CURSUS PHILOSOPHICUS F. LAURENTII FRANCII PISTORIENSIS AUGUSTINIANI...

Lorenzo Franci


CVRSVS PHILOSOPHICVS
F. LAVRENTII FRANCII PISTORIENSIS
AVGVSTINIANI
Sacræ Theologiæ Doctoris, & Bononiæ
in Conuentu S. Iacobi Regentis.
Ad Sententiam Fundatiss. Aegidij Columnæ
Ord. Erem. S. Augustini resolutus.
PARS PRIMA.
VIRIDARIVM ÆGIDIANVM

EMINENTISSIMO
AC REVERENDISSIMO D.
D. IOANNI BAPTISTÆ
PALLOTTA
S. R. E. CARDINALI AMPLISS.
Et totius Ordinis Eremitarum S. P. Augustini Protectori Vigilantiss. & D. Colendiss.

FLexo humi poplite (Eminentissime ac Reuerendissime D.) primam hanc Philosophici cursus partem ex opulentissimo Aegidianæ sapientiæ pœnu depromptam, fortissimo VESTRAE protectionis brachio sacro. Opus quidem inter rigentis hyemis horrores compositum, propemodum exanime est, & Ephemeri instar vix in lucis vsuram editum, exspirat. Sed Eminentissimæ vestræ purpuræ calore recreatum, & respirabit repentè, & perenni fruetur luce. Dederunt alij aut pretiosissimas sacræ scripturę vniones, aut profundissimæ Theologiæ purissima serta, alij dabunt. Ex aliorum viridarijs Pestanæ musarum rosæ, ex aliorum Hesperidum gemmulæ, & Heliconiæ delitiæ fuerunt, eruntquè deinceps; Ego verò tenues tantum rationalis Philosophiæ flores & lito, & sacro; nobiliores nunc non habeo sed rogo. Offe-

rent alij magnificentius, nulli verò amantius. At hi vilitatem suam exuent, si illos rosea vestra purpura animare dignabitur. Opus ipsum immortalitati vestri nominis sacrandum erat. Optabam Eminentissimam illam purpuram, cui iam iam me ipsum deuoueram, ex intimis præcordijs deosculari; sed cum oculorum imbecillitate laborarem, fulgentissimum illius splendorem pertimescebam. Satius duxi fontem sub ea erigere, vt in serenissimo, & purissimo aquarum sinu, solares eius radios intueri possem. Nauem ingenioli mei in altum Philosophiæ soluere, eaque per immensa sapientiæ spatia nullis quàm cælo terminis definita, nauigare gestiebam; hinc vt iras pelagi, & coniuratos Neptuni fluctus demulcerem, vt vadosa loca, infamesque scopulos, & latrantes syrtes, breuiumque insidias euitarem, antequam à littore soluerem, prisca nauigantium religione gemino syderi Sapientiæ, & Prudentiæ E. V. tamquam Castori & Polluci sacra facere institui, nauemque meam inter vorticosi pelagi errores sacrare. Ad fortunatas Philosophiæ Aegidianæ oras peruenire cupiebam, vastas ob id difficultatum solitudines peragrare, ignotos antiquorum Auctorum tentare calles, inuias Aristotelici textus rupes transmeare, ancipites argumentorum flexus retexere, & sinuosas sententiarum diuersitates superare debebam; ideò ne in tanta viarum difficultate sine numine vagarer, Sanctissimi Iacob exemplo munitus, lapidem in titulum erigere, sub quo meorum studiorum cursus triumpharet, libuit. Optabam tandem meas musas sub fælicissimis vestræ protectionis auspicijs quiescere, eas idcirco fortissimo vestro stemmati sacrare debui. Si enim Marcus Fuluius capta Ambracia musarum signa Romam transtulit, & in Herculis templo posuit, fortè innuere volens studia sub tutela altissimæ protectionis, sub principum virorum auspicijs florere iucundius: & ego studia mea tamquam musas sub Herculeo bracchio E. V. sisto, vt deinceps floreant suauius, canant iucundius, scribant altius. Dignetur ergo E. V. R. opusculum hoc, quod prius fuit vestrum ad tutelam, quam meum ad laborem, benignis oculis inspicere, vt sic amænissimo fruatur cœlo. Dignetur hanc

Philo-

Philosophiæ sobolem vberrimo protectionis lacte nutrire, ne fatali digito conteratur. Dignetur humanissimo sinu eam recipere, vt perenni calore animata, nec minitantis cœli ruinas, nec ardentis canis æstum pertimescat, sed tandem V.E. immortalitatem, qua viuens perfruetur, in æternum referat acceptam.

Bononiæ ex Iacobæo Gymnasio die 20. Aprilis 1649.

Eminentiæ Vestræ Reuerendissimæ

Humillimus, & obsequentissimus Seruus

F. Laurentius Francius Pistoriensis Augustinianus Bononiæ Regens.

Alę, quę per variorum carminum initiales literas quasi per pennas expansas nomen Eminentiss. & Reuerendiss. Augustinianæ Religionis Protectoris ferentes, quàm feliciter Augustiniana Religio sub tanto viuat Patrono, ostendunt.



A Fratre Nicolao Augustino Vneliensi eiusdem Religionis, & Bononiensis Lycæi Alumno compositæ.



Alę, quę per variorum carminum initiales literas quasi per pennas expansas nomen Eminentiss. & Reuerendiss. Augustinianæ Religionis Protectoris ferentes, quàm feliciter Augustiniana Religio sub tanto viuat Patrono, ostendunt.



A Fratre Nicolao Augustino Vueliensi eiusdem Religionis, Et Bononiensis Lycei Alumno composita.

Lectori Beneuolo.

PErtimescerem mehercle (Candidissime Lector) dum fundatissimam Aegidij Columnæ doctrinam, quasi armonicum instrumentum calamo pulso, quod infeliciter mihi contingeret id, quod Neantho Pittaci Regis filio euenisse refert Lucianus. Hic Orphei lyram in templo asseruatam sustulit, & sub noctem in suburbium profectus, vt eius periculum faceret, fides pulsare cœpit, sed tam ferali, & incondito carmine, vt canes e vicinia strepitu excitati, infelicem Citharedum dilaniarent. Hoc ipsum mihi contingere meritò existimarem, si me ipsum vel Aegidij commentatorem, vel cum dissidentibus conciliatorem iactarem: ea enim est ingenioli mei tenuitas, & virium imbecilitas, à qua non nisi ferale carmen prodire posset. Meritò tunc ab omnibus dilaniandus essem, vt potè, qui ausu temerariò suauissimam, & dulcissimam Aegidij lyram attrectare, eiusquè fides pulsare non exhorruerim. Sed dùm quæ excelsum illud ingenium excogitauit, nobisquè vt admiranda reliquit, in vnum colligo, pariterquè ostendo Aegidium Aegide suæ sapientiæ munitum, se ipsum à posterorum conatibus vindicare tela recentiorum retūdere, arma neotericorum in ipsum contorta confringere, non est cur inuidorum aut latratus, aut morsus pertimescam. Latrabunt fortè nonnulli, alij etiam mordere nitentur, sed dum inuiolabilem Columnam dentibus lædere tentauerint, sibi potius quam Columnæ damna inferent: est enim Columna Adamantina, & ideo NESCIA FLECTI, NESCIA FRANGI. At desino male ominari, dum Aegidium Orphei instar suam lyram pulsare in hac pagina audio. Si enim Orpheus solo cantu feras reddebat mansuetas, quin etiam, & fagos; & arbores suis locis motas, suaui cantu, & dulci armonia secum trahebat: Trahet & Aegidius nedum Augustinianæ Religionis alumnos, sed etiam feras, saxa, arboresquè; ingenia nimirum Philosophiæ luce viduata; Trahet Augustinianos, vt eos Peripatetica Doctrina rore fœcundet: trahet alios vt Aristotelica sapientia lacte nutriat: Trahet præclaras Thomistarum, & Scotistarum mentes, si non ad rorem,

& ad

& ad vbera, saltem ad armonicum eius concentum audiendum. Ergo (Candidissime Lector) paginam hanc perlege, quæ quidquid asseuerat Aegidium redolet, Aegidium spirat, suauissimum Aegidij concentum audi, vt postea eiusdem sapientiæ aquas plenis faucibus ebibere valeas. Vt vero securus existas Aegidium in hac pagina loqui, eiusdem codices, paginas, & columnas, ex quibus hæc doctrina desumpta est passim refero. Eam cum Aegidio conferas, & videbis me non verba mutasse, sed mutuatum esse. Consultò id feci, tum quia codices nonnulli rari sunt; tùm etiam vt Aegidium, non me audires. Quod si scire cupis, quid opusculum hoc exhibeat, accipe. Exhibet prima operationi intellectus explicationem textus Porphyrij, Prædicamentorum, & Sex principiorum: notanda circa litteram, & omnes difficultates, quæ à Recentioribus circa hæc exagitari solent. Exhibet secunda explicationem textus Perhier. Notanda, & dubia. Exibet tertia multa ex libris Priorum, totum ferè contextum p. post. & Elenchorum, notanda itèm, & dubia. Quatuor etiam exhibet disputationes, primam de Methodis: secundam de Terminis: tertiam de Definitione: quartam de Enunciatione; Difficultates insuper quæ circa Syllogismum, & Demonstrationem communiter solent inuestigari. Quæstiones de Vniuersalibus, Prædicabilibus, Prædicamentis proponit, & ex Aegidij pænu breuiter expedit, vt simul cum summulis Compendium totius Logicæ fundatissimi Aegidij exhibeat. Scholastico more illas non exagitat, vt inde ansam arripiat eas (fauente Deo) in secunda parte cursus abundè examinandi, & vberrimum doctrinæ rorem ibi cum Aegidio effundendi. Si opus placet, Deo gratias referas: si displicet parce. Si concentus delectat, audi, & sequere, si non, alios tibi Cithare dos, alios Orpheos quære, nobis vnus iste sat pro millibus. Vale.

ILLVSTRIA
FVNDATISSIMÆ DOCTRINÆ
ÆGIDII
Testimonia ex sequentibus Authoribus deprompta.

Ioannes Tritthem. Abbas pag. 205.

ÆGidius de Roma Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Augustini Prior Generalis, ac deinde Bituricensis Archiepiscopus, B. Thomæ Aquinatis quondam auditor, vir in diuinis scripturis eruditissimus, in Philosophia Aristotelica nulli suo tempore secundus, ingenio subtilis, sermone scholasticus, vita, & conuersatione deuotus: scripsit multa, & penè infinita opuscula.

Ioseph Pamphilus in Chron. Ordinis, pag. 42.

ÆGgidij, qui (vt ex titulo librorum eius conijcitur) ciuis Romanus Columnensium genere natus est, & ob doctrinę constantiam Fundatissimi cognomen adeptus, non tantum profectò librorum admiranda est multitudo, quantum acumen ingenij, & tenacissimæ memoriæ donum, quod in tam multis scriptis, & sermonibus in re nulla vnquam sibi est aduersatus: non enim tùm hac, tùm illud, vt plerique faciunt, sed idem semper asseuerauit. In soluendis quæstionibus fundamenta habuit irrefragabilia: rerum exquisitor diligentissimus, in dicendo singularis, & viuida quadam enargia ità clarus, vt hic omnis humanæ, & diuinæ sapientiæ ex omnibus Doctoribus Theologis arcana solus dilucidasse videatur.

Harthmanus Schedel in Registro historiarum, pag. 218.

ÆGidius Romanus Ordinis Eremitarum Generalis Prior, & Bituricensis Archiepiscopus, ac Primas Aquitaniæ declaratus, ijs temporibus ob ingenij magnitudinem Theologorum Princeps appellatus est, quod quidem conijci potest, si à curioso Lectore eius volumina perspiciantur: hic namque ex Illustri Columnensium Romanorum familia natus, cum longo tempore Ordinem suum, omnemquè Ecclesiam doctrina, & moribus illustrasset, plurimoquè labore Præceptoris sui Thomæ Aquinatis operà apud Parisios defensasset, tandem miraculis clarus beato fine quieuit. Quo sanctitatis merito Beatus Doctor appellatus est. Complura edidit librorum volumina, &c.

Pos-

Possevinus in Apparatu sacro tom. 2. pag. 19.

HIc ob mirum in eruenda veritate ingenium fundatissimi nomen assecutus, & ab Hieronymo Seripando Cardinali, eiusdem familiæ viro doctissimo, Prora, & Puppis Theologorum appellatus, cuius doctrinam plerique illustres viri, ac præcipuè Iacobus Viterbiensis, eiusdem instituti, Archiepiscopus Neapolitanus secuti sunt; Cum tanto esset ingenio, tenacisquè memoriæ vnà cum generis claritate animi demissionem ita coniunxit, vt etiam in alienis opinionibus refutandis nil appareat temperatiuus. Quia cum in scriptis suis D. Thomæ præceptoris sui aliquid minus sibi arrideret, id supra caput suum esse ingenuè scribit, ac Doctorem ipsum, suppresso nomine, virum magnum, siuè præstantem vocat.

Philippus Bergom. Anno Christi 1291.

ÆGidius Romanus Ord. Eremitarum Generalis Prior, & Bituricensis Archiepiscopus, ac primus Aquitaniæ declaratus: his temporibus ob ingenij magnitudinem, Theologorum Princeps est appellatus: quod quidem coniici potest si à curioso Lectore eius volumina perspiciantur. Hic namquè ex Illustri Columnensium Romanorum familia natus: cum longo tempore ordinem suum, omnemquè Ecclesiam doctrina, & moribus illustrasset; plurimoq; labore præceptoris Sancti Thomæ Aquin. opera apud Parisios defensasset; tandem miraculis clarus beato fine quieuit. Quo sanctitatis meritò Beatus Doctor est appellatus. Qui & hæc quæ subiecta sunt edidit librorum volumina &c.

Baronius Anno Christi 1297. *ff.* 13.

EAdem tempestate apud Eremitanos Augustinenses floruit Aegidius Columnius Romanus, nobili Columnarum stirpe natus. Fuit hic propter singularem vitæ sanctitatem, atquè Doctrinam in primis carus Philippo Pulchro Gallorum Regi, quo iubente libros de Regimine Principum scripsit, & coram quo à Rhemensibus sacris regresso luculentissimè perorauit. Eum Bonifacius Pont. Max. Archiepiscopum Bituricensem, & Aquitaniæ Primatem creauit. In tanta tùm generis, tùm doctrinæ, tùm sanctitatis, & dignitatis præstantia, demissionem, & modestiam animi sic coniunxit, vt nihil in eius scriptionibus quas permultas, & doctissimas, & Catholicæ veritati accommodatas reliquit, in alienis opinionibus refutandis, eo temperatiuus appareat. Proram, & puppim Theologorum Hieronymus Seripandus Cardinalis doctissimus, & ipse Augustinianus appellabat. Aliquis ei Elogium scripsit.

Aegidius magni magnum Ordinis incrementum
Romanus Columen Virtutis nobile, libris
Doctrina grauidis, vigiliquè labore parentem
Insequitur, Miraquè pares sortitur honores.

Bzouius in Annalibus Anno Christi 1297. & ex eo refert Claudius Robertus in Gallia Christiana pag. 47. de eo hac habet.

Ægidius magni magnum Ordinis incrementum
Romanus, culmen virtutis nobile libris
Si quæras meritum produnt miracula rerum
Per quem debilibus fertur amica salus.

Thomas Herrera in Alphabetum Augustinianum, pag. 7. refert Elogium in eius tumulo Parisijs inscriptum, quod est.

HIc iacet aula morum, vitæ munditia, Archiphilosophiæ Aristotelis perspicacissimus commentator, clauis, & Doctor Theologiæ, lux in lucem reducens dubia, F. Aegidius de Roma, Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Augustini, Archiepiscopus Bituricensis, qui obijt anno 1316. die 22. mensis Decembris.

Laurentius Amolynus Rhodiginus in Epist. ad quodlibet Aegidij, de quodlib. Aegidij ait.

VNum duntaxat adijciam nihil in opere isto non nitidum, florulentum, & doctum reperiri, vtpotè quod præ cæteris ab ipso editis notetur à multis, vt non aliundè Fundamentarij scriptoris nomen id vbiquè sectarum, vbiquè philosophorum inuidiosum vendicasse, quam ex quodlibettis putauerim. Quid enim aliud hoc tandem quodlibettum (sic Parrhisini literatores præcipua ingeniorum periclitamenta nuncupant) quam reconditioris cuiuspiam, & promiscuæ disciplinæ corrolarium.

Paulus Ciera in 1. sent. in doctorum Cathalogo.

ÆGidius studiorum causa Lutetiam Parisiorum missus, ibi D. Thomæ auditor fuit, sub quo adeo profecit, quod breui ad primas cathedras illius Gymnasij euectus fuerit, & ob suæ doctrinæ præstantiam, ac soliditatem Doctoris fundamentarij cognomen adeptus. Innumera sunt quæ scripsit, quæ docuit, quæ dictauit.

Balthasar Dardanus Ciuis Venetus, in Epist. ad lib. Rhet. Aegidij.

SCripsit in libros Aristotelicos diuino quodam munere multa quidem, & præclara ingenij, & doctrinæ suæ commentaria Romanus Aegidius, qui ob idipsum Doctor fundatissimus non iniuria meruit appellari.

Augustinus de Biella de Meschiatis, quast. de medio demonstrat. refert, Paulum Venetum 2. post hac de Aegidio asserere.

SEd in hac quæstione dubitat egregius, & multum subtilis Paulus Venetus, qui quamuis ipse sciat opinionem Domini Aegidij fundatissimam, & ipsum fundatissimum, vt ipse 2. post. ait. *Diuum Aegidium è cælo nobis missum fuisse.* Tamen vt melius veritas eluceſceret voluit arguere contra Dominum Aegidium, &c.

Vbi

Vbi impreſsi ſint Libri Ægidij, ex quibus præſens doctrina deſumpta eſt.

ÆGidius in Lib. Prædicabilium, Prædicamentorum ſex Principiorum, & Perhier. impreſſus Venetijs Anno 1507.

Aegid. in lib. Priorum, impreſſ Venet. anno 1515.

Aegid. in lib. Rhet. impreſſus Venetijs anno 1515.

Aegid. in lib. Poſt. impreſſus Venetijs anno 1530.

Aegid. in lib. Elench. impreſſ. Venetijs anno 1496.

Aegid. in lib. de Cauſis, impreſſ. Venet. anno 1550.

Aegid. in lib. de Generat. impreſſus Venetijs anno 1567.

Aegid. in lib. de Anima, impreſſ. Venet. anno 1550.

Aegid. in Quodl. impreſſus Venetijs anno 1504.

Aegidius de Eſſe, & Eſſentia, impreſſus Venetijs anno 1503.

Aegid. in Met. impreſſus Venetijs anno 1501.

Aegid. in 1. Sent. impreſſus Venetijs anno 1521.

Aegid. in 2. Sent. impreſſus Venetijs anno 1581.

Aegid. in 3. Sent. impreſſus Romæ anno 1623.

Ag-

Approbationes ex commissione Reuerendissimi P. Vicarij Apostolici.

EGo F. Petronius Veronius Bononiensis Augustinianus, Sacræ Theologiæ publicus Profess. ac Mag. Librum cui titulus. *Cursus Philosophicus F. Laurentij Francij Pistoriensis Augustiniani, Sacræ Theologiæ Doctoris, &c.* Mandato Reuerendissimi P. M. Saluatoris Seuerini Fabrianensis, totius Ordinis Eremitarum Sancti Augustini Vicarius Apostolicus, attentè perlegi, & nihil vel à prima veritate reuelante absonum, vel à principijs (vti spondet) Ægidianæ doctrinæ diuersum, offendere valui, ac propterea vt studiosis omnibus, ac artium nostræ Religionis Tyronibus ad cœtera capessenda, quæ à Fundatissimo Doctore nostro vbique sparsim, & abundè traduntur, valde accomodatum, dignum typis censui. Bononiæ die 18. Aprilis 1649.

F. Petronius Veronius &c.

EGo Fr. Ioannes Antonius Guarmanus Bononiensis, Sacræ Theologiæ Doctor, ac in principalioribus Patauij, ac Neapolis Lyceis olim Regens, ex mandato Reuerendissimi Patris Magistri Saluatoris Seuerini Fabrianensis, totius Ordinis Eremitarum S. Augustini Vicarij Generalis Apostolici, summa qua potui animi diligentia, ac voluptate vidi, & perlegi. *Cursus Philosophici partem Primam, ab Ad R.* P.M. *Laurentio Francio Pistoriense, Bononia in hoc* Iacoba *Archigymnasio Regente;* confecti, & iuxtà Ægidianam doctrinam resoluti, nihilque in eo, quod Orthodoxæ aduersaretur fidei, siuè bonis moribus animaduerti, quin omnia iuxtà veram, ac peripateticam Philosophiam, & fundamentalis nostri D. Ægidij doctrinam elaborata, maximo tanti authoris studio, ob dicendi eruditionem, in soluendis difficultatibus subtilitatem consideraui: Quapropter in communem omnium adolescentum, ac præcipuè Ægidianæ doctrinæ sectatorum vtilitatem in lucem prodire, & prælo committi posse seruatis seruandis, censui.

Magister Fr. Ioannes *Antonius Bononiensis.*

Facultas Reuerendiss. P. Vicarij Generalis Apostolici.

Magister Fr. Saluator Seuerinus Fabrianensis, totius Ord. Eremitarum Sancti Augustini Vicarius Apostolicus, licet indignus.

Reu. nobis in Christo Patri M. F. Laurentio Pistoriensi Gymnasij nostri S. Iacobi Bononiensis Regenti eiusdem Ordinis, ac voti salutem.

VT opus *Cursus Philosophicus, &c.* inscriptum, à te elucubratum, & à Patribus per nos deputatis, recognitum, & approbatum, typis dare possis, harum vi literarum, nostriquè muneris authoritate quantum ad nos spectat, & seruatis seruandis, licentiam impartimur. Dat. Romæ 24. Martij 1649.

Nostri muneris firmatæ sigillo.

F. Saluator Seuerinus Vicarius Apostolicus, licet Indignus.

Iussu

IVssu Eminentissimi, ac Reuerendissimi D.D. Card. Ludouisij Archiepisc. Bonon. & Principis. Vidi ego infrascriptus Librum, cuius Titulus est. *Cursus Philosophicus Admodum Reu. P. Laurentij Francij Pistoriensis Augustiniani, &c. Pars Prima*. In quo nihil contra fidem, aut morum probitatem; sed optimam Peripateticæ Disciplinæ de re Logica veritatem, firmissima Ægidianæ Columnæ soliditate subtiliter, & eruditè firmatam reperij. Ita vt in communem vtilitatem prælo committi posse censeo.

Ita est ego Franciscus Natalis Philosophiæ Doctor, & publicus Lector.

PAr est, vt quod ad Philosophica arcana fores aperuit in claustris, euulgetur in orbe. Cursus hic Philosophicus Auctorem vnicum ingenio proclamat, dum Columnæ insignem titulum meretur imponere PLVS VLTRA, subtilissimis explicationibus, & solidissimis Doctrinis.

D. *Iuuentius Tortus Cler. Reg. S. Pauli, Pœnit. in Metrop. Bononiæ.*

REuerendissimi Patris Inquisitoris Bonon. iussu, Ego Carolus Zambertus ex Societate Iesu in nostro Bononiensi Collegio publicus Theologiæ Moralis Professor. *Primam Partem Philosophici Cursus ab Adm. Reu. Patre Magistro Fr Laurentio Francio, Sac. Theol. Doctore, & Bononiæ in Conuentu* S. *Iacobi Regente compositam*, accurratè peruolui, nihilq; Catholicæ Fidei, ac bonis moribus repugnans comperi; Quinimò argumentationis subtilitatem, explicationis perspicuitatem, doctrinæ soliditatem in ea miro nexu inter se copulatas elucere perspexi; Ideoq; dignam illam censeo, quæ in lucem prodeat, vt sapientiæ veluti fax inextinguibilis ÆGIDIANÆ COLVMNÆ imminens in Philosophico Æquore Studiosis Nauigantibus tutior Pharus præfulgeat.

Imprimatur.

Fr. Hyacinthus Maria Calepius, pro Reuerendiss. P. Inquisit. Bonon.

Ad

Ad Doctissimum, & Ornatissimum virum
R.A.P. MAGISTRVM LAVRENTIVM
FRANCIVM PISTORIENSEM
AVGVSTINIANVM
Huius Operis Auctorem.

ODE.

Te solui metuens penna per athera
Fert, qua maior ades longius inuida
Te in terris neque cura
Imbecilla morabitur.

Noctes nulla tuas nox premet; haud tuis
Laurenti studijs, ingenio & tibi
Partum nomen ab auo
Deleri indocile excidet.

Te in verbis grauitas, inque stilo nitor
Secernunt populo; dictaque tot tui
Extabunt monimenta
Fama sacra superstiti.

Sumptus Pyramidum, cælum imitantia
Delubra, atque domos, pondera, Diuitem
Fortunamque sepulchri
Mortis conditio manet.

Namque aut flamma vorax, aut aquilo impotens
Aut tempus fugiens irreuocabile
His subducit honores;
Vis maturior aut premit.

At non ingenij sumptibus addita
Aut flamma, aut aquilo, aut irreuocabile
Tempus, sed sine morte
Vsque est ingenio decus.

Augustinus Petius,

PRO-

PROLEGOMENA

In vniuersam Aristotelis Logicam.

§. I.

De Nomine, & Existentia Logicæ.

REctus ordo cognitionis nostræ (ex Aegid. in prologo 1. sent.) expostulat, vt prius rem in vniuersali contemplemur, & postmodũ ad specialia in propria forma, & distinctè examinanda descendamus; vbi enim in animo pręcognitio quędam impressa fuerit, illico mens accenditur desiderio addiscendi omnia, de quibus illa scientia pertractat. Hac de causa dicebat D. P. Aug. 10. de Trinit. c. 1. *Nisi impressam cuiuslibet doctrinæ in animo notionem haberemus, nullo modo ad eam discendam studio flagraremus.* Cum autem Logica scibilis sit, idcirco antequam ea, de quibus pertractat in medium afferam, nonnulla de eadem Logica secundum se, & in vniuersali, tanquam prolegomena statuam. Primo itaquè, quid est quod dicitur per Logicam, & si est, tanquam præcognitiones præmittam, deinde eiusdẽ Logicæ causas contemplabor: fatuum enim esset quærere alicuius rei causas, nisi prius res illa, & quoad nomen, & quoad existentiam nota esset.

Quod igitur ad nomen attinet, duobus nominibus insignitur Logica; appellatur enim Logica, & Dialectica. Dicitur Logica ex Aegid. in prol. Elench. à *Logos* græcè, quod latinè sermo, vel ratio interpretatur; proprie autem loquendo, dicitur à *Logos*, vt interpretatur ratio, non verò vt interpretatur sermo, quia Logica propriè est rationalis, & est directiua intellectus, & rationis, non verò sermonis, & linguæ, sicuti est grammatica.

Dicitur Dialectica à *Dia*, et *Logos* (teste Paulo Veneto in prohæm. ad Porph.) quod est duo, & sermo, quasi duorum sermo, .s. opponentis, & respondentis: quia Dialectica ad disserendum, & disputandum ordinatur, & proinde ars disserendi à Cicerone appellatur; rigorosè tamen loquendo etiam Dialetica dicitur à *Logos*, non vt est sermo, sed vt est ratio, quia ex Aegidio loc. cit. propriè est directiua intellectus, nè erret in his, quæ ratiocinando, & syllogizando intelligit. His ergo nominibus importatur facultas aliqua directiua intellectus in ratiocinando, & syllogizando.

Quod attinet ad Logicæ existentiam. Logica communiter à Doctoribus primo diuiditur in naturalem, & artificialem; & illa dicitur facultas, seu potentia insita nobis à natura, qua quisquè etiam rudis potest circa quamlibet rem proposi-

tam discurrere, & ratiocinari: ista verò est habitus studio, & labore hominum acquisitus dirigens intellectum, nè in suis operationibus erret. Vtramquè autem dari certum est: illam quidem, cùm certum sit dari intellectum præhabentem in se principia quædam lumine naturali nota, ex quibus, nulla habita Logicæ artificialis cognitione, ratiocinari, & discurrere potest; nemo enim est ita rationis expers, qui inferre nequeat ex eo, quod sortes currat, quod moueatur: Istam verò, cum experientia constet, quod intellectus, qui prius cum errore definiebat, enunciabat, & syllogizabat; vbi Logicæ præceptis instructus fuerit, hæc omnia, & sine errore, & promptè præstare.

§ 2.

De causa efficiente Logica.

AD habendam maiorem cognitionem de Logica secundum se, eius causas speculari oportet; nam ex Arist. 1. post c. 2. & 1. ph. c. 1. scire arbitramur vnumquodque, cum eius causas cognoscimus. Causæ autem ex 2. ph. sunt quatuor, s. Efficiens, Materialis, Formalis, & Finalis, de quibus nonnulla sunt dicenda. Hunc ordinem semper secutus est Aegidius, vt videre est in principio lib. Prædicabilium, sex Principiorum, Priorum, Elenchorũ, & maximè in prologo 1. sent. quibus in locis semper quatuor genera causarum præmisit.

Causa itaquè efficiens Logicæ; loquendo de causa per omnem modum; est Deus ipse, quia ex Aegidio in prol. 1. sent. p. 3. q. vnica. ad hoc vt sciamus duo requiruntur; primo requiritur lumen, quia intellectus noster possibilis, qui est omnia fieri, fit in actu per lumen intellectus agentis, qui est omnia facere; secundò requiritur ordinatio specierum, quia sicut literæ rectè ordinatæ faciunt syllabas, & orationes, quæ aliter ordinatæ nihil constituunt; ita eadem verba vno ordine prolata faciunt scire, quæ tamen aliter prolata non aggenerant scientiam; & quia Deus lumen potest creare, & confortare, & potest ordinare phantasmata, & species, ideo Deus est causa efficiens nedum Logicæ, sed etiam omnium scientiarum, & per omnem modum. Angelus est aliquo modo causa efficiens, quia licet non possit lumen creare, potest tamen ipsum confortare, & potest species ordinare, ex vi cuius ordinationis intellectus non errabit in suis operationibus. Homo autem minus est causa efficiens, quia solum causat aliquo modo ordinationem phantasmatum, & specierum, ratione cuius intellectus postea regulatè operatur. Nec facit quod nec Deus, nec Angeli habeant Logicam, cum non intelligant discurrendo; quia ad rationem causæ efficientis non requiritur, quod agens conueniant in forma vniuocè, sed satis est si conueniat æquiuocè, & eminenter, qua ratione Deus, & Angeli habent Logicã, quatenus sciunt, quæ ordinatio specierum requiratur ad hoc, quod intellectus in ratiocinando non erret.

Deus ergo per omnem modum esse potest causa efficiens Logicæ, qui hac de causa eam Adamo, sicut & reliquas scientias, quæ possunt du-

ductu rationis acquiri, in sui creatione infudit. Sicut enim (inquit Aegidius 2.sent. d.23. qu. 2. art.3.) Deus produxit corpus Adæ secundum illam totam perfectioné, quam potuisset acquirere naturaliter, quia fuit factus in ætate perfecta; ita & multo magis credibile est, quod Deus infudit sibi animam non solum cùm seminibus scientiarum, sicut infunditur nunc cuilibet homini, sed secundum omnes illas scientias perfectas, quas potuisset acquirere ex talibus seminibus, seu principijs. Insuper cum Adam formatus fuerit, vt Pater, & per consequens, vt Doctor omnium posterorum, debuit esse productus plenus scientia, & perfectè scientificus, atque adeo eius intellectus debuit esse perfectè in suis operationibus regulatus, quod est habere Logicam perfectè. Quia verò Adamus fuit creatus, vt Doctor posterorum, ideo ab ipso ad filios eius scientiæ deriuatæ sunt; à filijs ad Noè, ad Abrahamũ, ad Caldæos, ad Aegyptios, ad Græcos, qui maximè in Logica floruerunt. Iniuria tamen temporum ferè deleta est, & ex hominum mentibus perijt, vt proinde qui eam ad pristina principia redegerunt, meritò causæ efficientes, & Logicæ inuentores habeantur.

Sed hic oritur difficultas quomodo ab eis inuenta fuerit Logica, & in pristina principia redacta?

Respondeo cum Aegidio in prolog. post. pag. 3. quod sicut in alijs scientijs ex admirari incæperũt homines philosophari, & videndo effectus incæperunt inuestigare causas, vt videndo Eclypsim cæperunt inuestigare causam eius, qua inuestigata habuerũt scientiã de eclypsi; sic antiqui sapientes videntes, quod intellectus ad quamlibet rem inuenit rationes, & argumenta, cœperunt inuestigare quomodo intellectus arguit, & quomodo syllogizat, & sic conati sunt inuenire principia formalia syllogismorum, v. g. dici de omni, & dici de nullo; quibus inuentis, inuenerunt artem syllogizandi, Logicam nimirum; quam postea eisdem regulis, & principijs distinctam, suis scriptis nobis transmiserunt.

Verum circa huiusmodi inuentionem Logicæ in experientia fundatam duplex insurgit ratio dubitándi. Primò quia experientia est fallax ex Hippocrate, & ratio est, quia experientia est cognitio accepta ex singularibus, quæ sunt contingentia, & fallibilia, ergo non potest esse causa scientiæ, nec consequenter inuentionis illius.

Confirmatur quia licet experientia aliquando sit certa certitudine sensus, hæc tamen certitudo est minor ea, quæ ad scientiam requiritur, ergo non potest esse principium sufficienter assignans infallibiles regulas artis, & scientiæ; pr. ant. quia experientia non est vniuersalis, nequè de omnibus omnino singularibus; scientia verò est vniuersalis simpliciter, & complectitur etiam singularia, quæ sub experientiam non venerunt.

Secundò quia ad experientiæ positionem nihil scientiæ sequitur in intellectu, ergo antiqui sapientes per experientiam nõ potuerunt statuere principia Logicæ: probatur consequentia, quia si experientia fecit principia Logicæ, id vel fuit,

quia reuera extitit eorum causa efficiens, vel dispositiua, vel quia principia ad experientiam consecuta sunt: pr.ant.1. ex Arist.7. phys. t.20. ***Secundum enim nullam potentiam motis fit in nobis scientia, sed cum extiterit aliquid; ex ea enim, quæ est secundum partem, experientia, vniuersalem accipimus scientiam.***

Confirmatur, quia per experientiam non magis mutatur intellectus in acquisitione scientiæ, quam forma aliqua preexistens in acquisitione nouæ relationis; sed in forma nulla est realis mutatio respectu nouæ relationis; ergo neque in acquisitione scientiæ ad positionem experientiæ aliquo pacto interuenit mutatio; ma. pr. ex Arist. 7. physs. t. 20. ***At verò neque in intellectiua parte animæ est alteratio. Sciẽs enim maximè eorum, quæ ad aliquid dicitur, & hoc manifestum.***

Ad primam rationem respondetur ex Aegidio 2. post. c. vlt. dist. consequens, non potest esse causa propria, per se, & immediata, concedo consequentiam; non potest esse causa excitatiua intellectus, vt fiat in eo cognitio vniuersalis præter multa, .i. præter omnia particularia, ex qua vniuersali cognitione fit principiũ artis, & scientiæ, ex Arist. ibidem; nego; ex multis enim experientijs, & memorijs excitatur intellectus, vt cogitet de naturis rerũ; vt quia expertus est in multis particularibus Reubarbaris, quod habent purgare choleram, cogitat vnam naturam esse in omnibus particularibus Reubarbaris, ratione cuius habeant hunc effectum: ex hac autem natura fit postea vniuersale principium talis scientię de omnibus Reubarbaris. Ex quo fit vt scientia, vel cõclusio scita de Reubarbaris, nempe quod purgent choleram per se tantum pendeat ab illo principio vniuersali, vel à medio, & causa ex qua à priori infertur effectus; ab experientia verò nullo modo per se pendeat; cùm non sit causa inferens effectum à priori; sed tantum pendeat excitatiuè, & occasionaliter, quatenus ex experientijs excitatur intellectus ad considerationem experimentalem, & considerationem vniuersalis, ex qua postea generatur in nobis principium artis, quod est ratio assentiendi conclusionibus.

Rogas quomodo experientia fuit causa, vt decernerentur principia Logicæ? R. ex doctrina Aegidij ibidem, non fuisse causam per se, cum obiecta principiorum Logicæ non pendeant in causari ab obiectis experientiæ, & ideo experientia non potest esse causa per se eorum; fuisse tamen causam excitatiuam, quatenus stante experientia excitatus est intellectus ad intelligendum exacte rationes terminorum simplicium, quibus intellectis naturali lumine intellectus noster eis assensum præstitit, cognouitquè ab huiusmodi principijs per se postea pendere conclusiones.

Ad confirmat. R. argumentum tantum probare experientiam non potuisse esse principium per se; non tamen probare non potuisse esse principium excitatiuum intellectus ad appræhendendum in virtute luminis naturalis principia per se, saltim immediata, artis Logicæ.

Ad 2. R. neg. anteced. iuxta doctrinam præmissam, & ad Arist. R. ex Aegidio 7. ph. t.20. intentionem Arist.

Arist. non esse, quod nulla receptio fiat in intellectu, cum in eo generatur scientia; cum certum sit fieri in eo receptionem specierum intelligibilium, sed quod talis receptio dici nequeat alteratio; vnde sensus est ad scientiam non esse alterationem per se, quia nulla facta alteratione, vel passione in intellectu, sed facto in eo aliquid, quod est salus, & receptio; & facta alteratione in alio, .s. in parte sensitiua, fit in nobis scientia, & habitus cognoscitiuus.

Ad conf. R. neg. ma. & ad Arist. dicitur, tantum negare in intellectu mutationem includentem alterationem, non verò includentem perfectionem, & receptionem; quia verò hæc receptio non est in forma præexistente, ideo nõ est paritas. Quomodo autem scientia dicatur ad aliquid, dicam suo loco, pro nunc assero cum Aegidio p. 5. d. 30. qu. 1. scientiam esse ad aliquid secundum dici, non verò secundum esse.

Dices. De ratione experientiæ est habere acceptionem in multis singularibus, de ratione verò artis est habere acceptionem in omnibus; sed ex multis non possunt concludi omnia, quoniam esset fallacia consequentis: ergo ex experientia non potest inferri ars, & per consequens neque Logica.

R. quidam ex Arist. 8. top. inducenti in multis singularibus concedere oportet vniuersale, vel afferre instãtiam, alioquin respondens erit proteruus, quia autem antiqui sapientes habuerunt experientiam de multis syllogismis, & nulla est eis allata instantia, ideo ex ea collegerunt, & acceperunt de omnibus.

Sed insto contra, quia licet dialecticè ità concludatur, non tamen ob id generatur scientia: & ratio est, quia licet ità sit in multis, nõ tamen necesse est ita esse in omnibus, & licet quis non inferat instantiam, tamen quamdiu non est necesse, ità esse in omnibus, non est firma adhæsio, quæ est necessaria ad scientiam.

R. ergo experimentalem cognitionem non necessario inferre, ita esse in omnibus, sed probabiliter, ideo dictum est, quod experientia non est causa per se, & sufficiens, sed tantum excitans, coadiuuans, & occasionalis.

Rogas an Aristoteles debeat dici inuentor Logicæ?

R. cum Aegidio 2. Elench. c. vlt. quod Logica duplex est, alia est inuentiua, seu localis, vt est illa, de qua agitur in lib. Top. & in lib. Elench. in illis enim agitur de locis veris, in istis autem de locis apparentibus: alia est iudicatiua, & resolutiua, vt est illa, de qua agitur in lib. Prior. & Post. Aristoteles ergo fuit inuentor Logicæ localis, & inuentiuæ, non autem forte Logicę iudicatiuæ, & resolutiuæ; & quando dicit se esse specialem inuentorem syllogismorum; referendum est ad syllogismos locales, quales sunt, qui sumuntur ex locis veris, vel ex locis apparentibus. Potest tamen dici absolutè, Inuentor Logicę quãtum ad ordinem, & methodum, quia primus omnium artem syllogizandi ad ordinem, & methodum reduxit.

De

§. 3.

De causa materiali Logicæ.

IN scientijs ex Aegidio in p.sent. p.p. q. 1. non quæritur materia in qua, nec subiectum in quo, quia cùm scientiæ distinguantur per sua subiecta, si subiectum esset illud, in quo est scientia, tunc cùm omnes scientiæ sint in intellectu, esset confusio scientiarum, & omnes scientiæ essent vna scientia; sed quæritur materia, vel subiectum circa quod versatur scientia, quod propriè dicitur obiectum, quia obijcitur potentiæ vel habitui tanquam cognoscendum. De hoc ergo obiecto quæritur in præsenti quodnam sit. Relictis autem pro nunc varijs obiecti diuisionibus, de quibus 2.p. Cursus abunde dicam; præmitto cum Aegidio p. Elench. pag.24.col.3. in omni obiecto duo reperiri nempe rem consideratam, & modum considerandi; res considerata est id, ad quod scientia applicatur, quod ab alijs dicitur obiectum materiale largè sumendo nomen obiecti, vt notat Aegid.in prol. sent.p.p.q.p.ad 2. Hoc vel potest esse proximum, vel remotum. Modus considerandi est ratio sub qua scientia obiectum materiale, vel rem consideratam speculatur. Insuper ex Aegidio in prol. p.5. q. 1. obiectum formale duplex est, s. adæquatum, & inadæquatum. Obiectum adæquatũ est illud, quod per se, & primo, & principaliter, ac per omnem modum in scientia cõsideratur; vt est in metaphysica ens; nam quicquid determinat, determinat sub ratione entis; & hoc obiectum ità adequat scientiam, vt non excedat, neque ab ea excedatur. Obiectum inadequatum est illud, quod non adæquat scientiam, sed tantum partem scientiæ; Hæc diuisio admittenda est, quia inadæquatum sub ratione inadęquata includit negationem adæquati, atquè adeo est membrum condistinctũ ab adæquato. Obiectum inadæquatũ subdiuiditur ex Aegidio ibidem, nam vel est principale, vel minus principale; obiectum principale est illud, in quo principaliter reseruatur ratio obiecti adæquati, vt in met. est substantia. Obiectum minus principale est illud, quod tantum per se consideratur, non tamen primo, nec per omnem modum: & tale propriè non potest dici simpliciter, vel aliquomodo subiectum, sed propriè tantum dicitur pars subiecti, abusiuè verò dicitur subiectum minus principale, & ita se habet accidens in met. Obiectum autem principale, dicitur obiectum attributionis: & probo ex Aegid. loc. cit. vbi ostendens, quod illud, quod consideratur in scientia primo, & per se, non tamen per omnem modum sit aliquomodo subiectum scientię; ait. *Quod autem secundo modo consideratur licet non sit simpliciter subiectum in scientia, tamen aliquo modo potest dici subiectum; vnde & Arist. 4. met. t. p. cum prius dixisset, quod vna est scientia, quæ considerat de ente in eo quod ens; innuens per hoc, quod ens in eo quod ens est subiectum in metaphisica; postea t. 2. dixit, quod sicut est vna scientia, quæ considerat de sano, cui attribuuntur omnia sana, vt medicina; ita est vna scientia, quæ considerat de ente, cui attribuuntur omnia entia, vt me-*

metaphysica. Illud autem ens, cui attribuuntur omnia entia est substantia; per quod habere possumus quod aliquomodo subiectum in met. est substantia. Hæc Aegidius. Ergo substantia, quæ est obiectum principale metaphysicæ, erit subiectum attributionis, & per consequens ex sententia Aegidij idem erit subiectum principale, & subiectum attributionis: ea verò quę substātię attribuutur possunt dici obiectum attributi, vt colliges ex dictis. His præmissis.

Dico primo res consideratæ remotè à logica, seu obiectum materiale remotum sunt actus intellectus, & omnia entia, ad quæ huiusmodi actus applicari possunt. Est Aegidij in prol. Elench. pag. 2. col. 3. d. p. vbi ait. *Ad quod dici potest, quod & si aliquo modo de actibus rationis sit logica, proprie tamen non est de actibus, sed de intentionibus, & conceptibus, qui formantur per huiusmodi actus*, & dub. 3. vbi ait. Respondeo dicendum, quod dialectica per se est de cōceptibus, qui se tenent ex parte rationis; verum quia huiusmodi conceptus, & rationes applicabiles sunt ad omnia, dialectica est quodammodo de omnibus rebus, & in fine dubij ait. Dialectica est de secundis intentionibus adiunctis primis, quia est de talibus secundis intentionibus applicabilibus ad ea, quæ sunt primæ intentionis: & p. Elench. p. 24. col. 3. ait. materia dialectica non est determinati generis ratione rerum ad quas applicari possunt cōsiderationes dialecticæ, cū dialecticus quodamodo circa omnia negotietur ex 4. met. t. 5. est tamen dialectica materia aliquo modo distincta ab alijs materijs ex modo considerandi. Idē colliges ex prol. post. d. p. & 6: ergo res consideratæ remote erunt actus rationis, & omnes primæ intentiones, ad quas conceptus rationis applicari possunt.

Dico secundo res consideratæ proximè, & propriè, seu obiectum materiale proximū logicæ sunt conceptus rationis formati per operationes intellectus. Est Aegidij tùm in prol. Elench. tùm in prolog. post.

Probatur ex Aegidio quia logica propriè est scientia rationalis, ergo proprie est de his, ad quæ ratio cōparatur, vt ratio; sed ratio, vt ratio proprie non comparatur ad suos actus; nàm quod tendat in actum est ei commune cum potentijs sensitiuis, etiam enim istæ tendunt in suos actus; comparatur tamen ad conceptus formatos per tales actus, in quo distinguitur à potentijs sensitiuis; ergo logica proprie erit de conceptibus, & intentionibus formatis per actus rationis, & per consequens res proxime, & proprie consideratæ à Logica erunt conceptus rationis.

Dico tertio modus considerandi, seu ratio formalis obiecti logicæ est directio intellectus ad intelligendū seu est secūda intentio, vt directiua. Est expressa Aegidij in prol. Elēch. pag. 3. dub. 8. vbi quærens quomodo logica differat à metaphysica, cum vtraque consideret de definitione, & de alijs conceptibus rationis, ait. *Respondeo dicendum quod definitio, & omnes huiusmodi conceptus dupliciter possunt considerari, vel vt sunt significatiui rerum, vel vt sunt instrumenta intellectus ad*

in.

intelligendum, dialectica ergo quia est scientia directiua rationis considerat de huiusmodi conceptibus, vt sunt instrumenta quadam iuuantia intellectum ad intelligendum; scientia vero reales si considerant de tali bus, hoc est inquantum sunt significatiua rerum. Ex quo sic argumentor. Modus considerandi, seu ratio formalis obiecti est id, ratione cuius obiectú materiale, quod à pluribus scientijs cõsiderari poterat, restringitur ad specialem scientiam, & per ipsum vna scientia distinguitur ab altera; sed directio intellectus ad intelligendum seu secunda intentio dirigens est id, ratione cuius conceptus rationis, qui à diuersis scientijs considerari poterãt, restringuntur ad considerationem Logicalem, & per ipsam distinguitur Logica ab alijs scientijs realibus, ergo talis directio erit modus considerandi Logicæ.

Dico quarto obiectum adæquatum Logicę sunt conceptus rationis, vt directiui intellectus ad intelligendum. Sequitur ex dictis, ex quibus etiam probatur; tùm quia huiusmodi conceptus primo, & per se, ac per omnem modum in Logica considerantur; tùm etiam, quia obiectú adæquatum est illud, quod includit rem consideratam, & modum considerandi, quod totum est in conceptibus rationis, vt directiuis ad intelligendum.

Dices quælibet scientia, ex eo quod perficiat intellectum in ordine ad suum obiectum, dirigit intellectum in ordine ad intelligendum suum obiectum: ergo per directionem non distinguitur Logica ab alijs scientijs.

R. primo cum Aegidio dicta dub. 8. dist. ant. dirigit intellectum in ordine ad primas intentiones, de quibus talis scientia considerat: concedo: dirigit intellectum in ordine ad secundas intentiones, quibus debet vti in assequenda cognitione primarum intentionum, nego; hoc enim est solius Logicæ, cuius tantum est considerare conceptus rationis, vt sunt secundæ intentiones dirigentes intellectum in acquisitione scientiæ.

R. 2. cum eodem ibidem dist. ant. dirigit intellectum exprimendo significationes rerum, concedo; dirigendo, iuuando intellectum in intellectione, nego.

Dico vltimo syllogismus est obiectum principale, seu attributionis totius Logicæ. Est expressa Aegidij in p. Elench. pag. 49. col. 4. vbi ait. *Dicendum quod dialectica principaliter est de intentionibus formatis per actus rationis, & quia inter has intentiones principalior est syllogismus, ideo principalius est de syllogismo, quam de alijs intentionibus:* & paucis interiectis ait; non tamen propter hoc sequitur syllogismum ibi esse subiectum; nam & in metaphysica principalius consideratur de ipsa substantia, quam de alijs entibus non tamen ibi substantia est subiectum, sed ens: ergo ex Aegidio sicut substantia in metaphysica non est subiectum adæquatum, & simpliciter, sed tantum est subiectum principale, seu attributionis, vt supra notatum est; ita in Logica subiectum adæquatum non erit syllogismus, sed tantum erit subiectum principale, seu attributionis.

Ra-

Ratio autem eſt, quia omnia conſiderata in Logica attribuuntur ſyllogiſmo, tam enim conceptus ſimplices, quam complexi in gratiam ſyllogiſmi conſiderantur, vt patet diſcurrendo per omnes partes Logicæ, & ſuo loco oſtendam; ergo ſyllogiſmus erit obiectum attributionis totius Logicæ.

Confirmatur, quia vt conſtat ex notatis cum Aegid. ſubiectum ſimpliciter, & adæquatū alicuius ſcientiæ eſt illud ſub cuius ratione omnia conſiderata conſiderantur; vt exemplificatum eſt de ente in metaphyſica; ſubiectum verò attributionis eſt illud, cui attribuuntur omnia cōſiderata, vt dictum eſt de ſubſtantia in metaphyſica, quæ ideo dicitur ſubiectum attributionis in illa ſcientia, quia omnia entia ei attribuuntur; ſed non omnia conſiderata in Logica conſiderantur ſub ratione formali ſyllogiſmi, omnia tamen conſiderata in Logica conſiderantur in gratiam ſyllogiſmi, cui attribuuntur; ergo ſyllogiſmus ex Aegidio non erit ſubiectum ſimpliciter, ſeu adæquatum, ſed tantum ſubiectum attributionis totius Logicæ.

Dices ex Aegidio in lib. de Vniuerſalibus, §. Quæritur de ſubiecto Logicæ. Subiectum in tota Logica eſt ſyllogiſmus conſideratus tam ſecundum partes materiales, quam ſimul ſecundum partes formales; ergo erit obiectum adæquatum.

Reſp. ex dictis, diſt. ant. eſt ſubiectum ſimpliciter, & adæquatum nego; eſt ſubiectum attributionis concedo, omnia enim conſiderata in Logica, vel ſunt partes materiales ſyllogiſmi, vel partes formales, & ideo omnia in ea conſiderata attribuuntur ſyllogiſmo. Aegidius intelligendus eſt ſecundo modo, non primò, vt bene conſideranti rationes ibi adductas, innoteſcet. Vnde non ſequitur omnia conſiderantur in gratiam ſyllogiſmi: ergo ſyllogiſmus eſt obiectum adæquatum; quia ad hoc requiritur, vt conſiderentur ſub ratione ſyllogiſmi, vt dictum eſt de ente, non verò quod conſiderentur in gratiam ſyllogiſmi, vt pariter dictum eſt de ſubſtantia in metaphyſica. Plura obijciam, & ſoluam alibi.

Hęc ſi animaduertiſſet Bonherba nunquam ſubiectum adæquatū cum ſubiecto attributionis in via Aegidij confundiſſet, nec dixiſſet ex mente Aegidij ſubiectum adæquatum totius Logicæ eſſe ſyllogiſmum, vt dixit Tract. 1. in Log. q. 1. a. 2. d. 3.

Scientia ex ſuo ſubiecto quinque agnoſcit, vt notat Aegid. in prolog. ſent. q. 1. nam primò agnoſcit vnitatem; quia ex 1. poſt. ſcientia vna eſt, quæ eſt vnius generis ſubiecti partes, & paſſiones conſiderans: ſecundò agnoſcit diſtinctionem; quia ſcientiæ diſtinguuntur per obiecta, cum per idem aliquid habeat eſſe, & vnum eſſe, indiſtinctionem in ſe, & diſtinctionem ab alio: tertiò agnoſcit dignitatem, quia vna ſcientia eſt dignior alia, quia eſt de digniori ſubiecto: quartò ordinem, quia quando ſubiectum eſt ſub ſubiecto, ſcientia eſt ſub ſcientia: quintò neceſſitatem, quia ex hoc vna ſcientia eſt neceſſaria, quia ſubiectum vnius, non eſt ſubiectum alterius, & quod declaratur in vna, non declaratur in alia; & de his omnibus per tranſennam aliqua cum Aegidio decerno.

Quæres ergo primò. *An Logica*

sit vna specie specialissima?

R. affirmatiuè,& probo,quia tunc scientia est vna specie specialissima, quando ratio formalis se tenens ex parte scientiæ, est vna specie specialissima, est Aegidij tum 1. met. q. 9. cùm in prol.sent. p.2. q.3.ad 1. sed ratio formalis, seu modus considerandi se tenens ex parte Logicæ est vnus specie specialissima: ergo Logica erit vna specie specialissima: minor pr. quia omnes conceptus rationis conueniunt in hac ratione formali, nempe in directione intellectus ad intelligendum; & licet alio modo dirigantur conceptus simplices, alio modo conceptus complexi, & alio conceptus collectiui; hæc tamen diuersitas est materialis ex parte scientiæ, licet sit formalis ex parte obiectorum secundum Aegidij doctrinam loc. cit. qua ratione explico Aegid. 1. Elench. pag. 37. asserentem Logicam non habere vnum genus subijcibile, nec considerare omnia sub vna ratione; loquitur enim apertè de entibus, vt materialiter differunt respectu sciétiæ.

Quæres secundò. *An Logica distinguatur ab alijs scientijs.*

Resp. affirmatiuè cum Aegidio in prolog. Elench. pag. 2. & 3. & pr. nam distinguitur primo à Grammatica, quia grammatica propriè est sermocinalis, cum sit directiua sermonis, & linguæ, Logica verò propriè est rationalis, cùm sit directiua intellectus,& rationis. Distinguitur à Rhetorica, quia Logica considerat principaliter ea,quæ sunt efficaciora ad concludendum,vt sunt syllogismus, & inductio: Rhetorica verò considerat debiliora, vt sunt enthymema, & exemplum, seu considerat modos arguendi superficialiter, & typo .s. exemplariter; cum inseruiat scientijs moralibus ex Aegid.in prol. post. pag.4. col. 3.

Distinguitur à Philosophia naturali, quia Logica considerat conceptus rationis quatenus sunt secundæ intentiones; Philosophia verò considerat ea, quæ his intentionibus, & conceptibus subijciuntur: Logica considerat conceptus rationis, quatenus sunt instrumenta iuuantia intellectum ad intelligẽdum; philosophia verò,si considerat conceptus rationis, considerat eos tantum, quatenus significant rerum naturas.

Distinguitur à Metaphysica; quia metaphysica propriè est scientia cõmunis, cum per se, & secundum quod ipsum sit de ente in quantum ens: Logica verò propriè est scientia specialis, quia primo, & per se non est de omni ente, sed tantum de conceptibus rationis, & tantum est communis ex consequenti, quatenus conceptus rationis ad omnia entia applicari possunt. Item metaphysica propriè est scientia, Logica verò, vt patebit, propriè non est scientia, sed modus sciendi: item metaphysica considerat quidditates rerum; Logica verò considerat secundas intentiones, quibus quidditates supponuntur. Distinguitur à scientijs mathematicis, quia istæ considerant quantitatem, Logica verò considerat conceptus rationis.

Quæres tertiò. *An Logica sit dignior alijs scientijs?*

Resp.ex Aegidio in prolog.prior. dub. 4. quod Logica in suo genere est nobilior, & dignior alijs scientijs

tijs

tijs in suo; hæc tamen dignitas non est simpliciter, sed tantum secundum quid. Probo vtramquè partem ex Aegid. quia facultas, quæ in suo genere importat simul scientiam, & modum sciendi, est nobilior facultate, quæ solum scientiam importat; nam vltra perfectionem ab alijs importatam, importat etiam modum sciendi, sed Logica in suo genere importat simul sciẽtiam, & modum sciendi; aliæ verò scientiæ tantum important scientiam, non tamen modum sciendi, cum ex Aegid. in prol. post. scientiæ speciales non possint tradere artẽ de modis sciendi: ergo Logica in suo genere erit nobilior alijs scientijs in suo. Probo secundam partem, quia Logica non est de nobiliori subiecto, nec per nobiliores demõstrationes procedit, nec sibi alias scientias subalternat, & per consequens non est alijs scientijs simpliciter nobilior, sed tantum secundum quid.

Insuper ex Aegidio in prol. post. pag. 2. col. 1. Logica non respicit res scitas, sed modum sciendi, atquè adeo non potest tantam dignitatem habere, quantam habent scientiæ respicientes res scibiles; habet tamen aliquam dignitatem ratione cuius est appetenda, quia (vt ait ibi in Epist.) clarè, & certò dirigit intellectum in abdita scientiarum.

Quæres quartò. *An Logica sit pars essentialis Philosophiæ?*

Resp. cũ Aegid. in prol. Elench. d. 5. quod philosophia potest duobus modis considerari, primo secundum se; deinde secundum modum, quo participatur à nobis, secundum se accepta non sibi subalternat Logicam, nec Logica est pars philosophiæ eo modo acceptæ, & pr. quia partes essentiales philosophiæ sumuntur (ex 6. met. t. 3) ex diuersis abstractionibus rerum scibilium; nam si scibilia abstrahant ab hac, vel illa materia, non tamen à materia simpliciter, nec secundum esse, nec secundam definitionem; sic scientiam naturalem specificant, & constituunt; si abstrahant secundum definitionem, non tamen secundum esse; sic constituunt scientias mathematicas, si verò abstrahant, & secundum esse, & secundum definitionem; sic constituunt metaphysicam: sed Logica non versatur circa aliqua obiecta scibilia aliquo modo ex his tribus abstrahentia, sed tantum circa secundas intentiones in his fundatas: ergo Logica nõ erit pars essentialis philosophiæ. Si verò philosophia consideretur non secundum se, sed secũdum modum, quo participatur à nobis, sic quodammodo est pars essentialiter pertinens ad philosophiam; & ratio est, quia nos acquirimus philosophiam intelligendo cum discursu: ergo vt à nobis acquiratur sine errore essentialiter petit Logicam, quę dirigit intellectum nè in speculando erret. Nec est inconueniens, quod aliquid non sit de essentia rei secundum se; sit tamen de essentia eius prout habet esse in effectu; nam cõditiones materiæ non sunt de essentia hominis considerati secundum se, sunt tamen de essentia hominis considerati secundum esse, quod habet in effectu; nam cum homo non existat, nisi in suis particularibus, & de ratione, & essentia rei particularis sint conditiones materiæ; de ratione, & essentia hominis

quantum ad modum exiſtēdi, quem habet, erunt conditiones materiæ.

Quæres quintò. *An Logica addiſcenda ſit ante philoſophiam, & metaphyſicam*.

Reſp. ex Aegidio in prol. poſt. pag. 2. col. 1. eſſe addiſcendam ante philoſophiam, & metaphyſicam, & ante omnem facultatem habentem veram rationem ſcientiæ; pr. quia Logica eſt via, & modus ſciendi manuducens intellectum ad alias ſcientias capeſsendas, & acquirendas ſine errore: ergo eſt addiſcenda ante alias ſcientias.

Confirmatur, quia Logica non eſt neceſſaria propter res ſcitas, cum res ſimpliciter ſciri poſſint ſine Logica, quo pacto ſciuntur ab Angelis, ſed eſt neceſſaria propter noſtrum modum ſciendi, quia cùm intellectus noſter ſit potentia cognoſcens; ne in cognoſcendo erret, indiget regulis quibus dirigatur: ergo intellectus antequam addiſcat debet eſſe inſtructus Logica, & per conſequens Logica eſt ante alias ſcientias addiſcenda; cùm enim ſit neceſſaria ex parte intellectus intendentis exire in actum erga res ſcibiles, debet prius eidem intellectui inexiſtere, tanquam regula dirigens ipſum in ſuis actibus.

Dices. Metaphyſica eſt prior cæteris ſcientijs, cùm principia omnium ſcientiarum confirmet, & rationes tranſcendentales entis, ſine quarum cognitione vix poteſt in aliqua ſcientia aliquid exactè tractari explicet: ergo metaphyſica eſt ante Logicam addiſcenda: ergo Logica, &c.

Reſp. diſt. ant. eſt prior ordine doctrinæ concedo; in ratione noſtri modi cognoſcendi, nego: ſic enim Logica eſt prior, metaphyſica verò poſtremum locum ſibi vendicat, cùm rationes entis quoad quid eſt, ſint difficillimæ cognitionis. Nec facit, quod in Logica aſſumantur quædam principia metaphyſicalia, quia aſſumuntur non vt cognoſcibilia ex vi metaphyſicæ, ſed ex vi naturalis luminis, & prout ſatis eſt ad diſcurrendum in Logica.

Quæres ſextò. *An Logica ſit neceſſaria?*

Reſp. ex Aegid. in prolog. ſent. p. 1. qu. 4. quod aliqua ſcientia duobus modis poteſt dici neceſſaria, .ſ. vel in ordine ad ſuum obiectum, vel in ordine ad finem extrinſecum: primo modo eſt neceſſaria, quando ea, quæ determinantur in illa, eo modo, quo cognoſcuntur ibi, non cognoſcuntur in alia ſcientia: ſecundo modo eſt neceſſaria, quando ſine ea non poteſt finis extrinſecus aſſequi, vel ſimpliciter, vel non ita facilè; vt ſi vna ſcientia eſſet neceſſaria ad acquirendam aliam: hic non loquor de neceſſitate ſecundo modo, de qua mox quæram, ſed tantum primo modo; tunc dico.

Logica in ordine ad ſuum obiectum eſt ſimpliciter neceſsaria, ita vt nullo modo ſit ſuperflua. Ita docet Aegidius in prol. poſt. pag. 3. col. 1. dub. 4.

Probatur primò, quia obiectum Logicæ ſunt conceptus rationis, & maximè ars ſyllogizandi, & demonſtrandi, ſed hæc non poteſt tradi ab alijs ſcientijs; ergo propter ipſam erit Logica neceſſaria; pr. mi. ex Ariſt. 2. met. t. 15. *Abſurdum eſt ſimul quærere ſcientiam, & modum ſciendi*; ſed aliæ ſcientiæ tradunt ſcien-

ſcientiam: ergo non poſſunt tradere modum ſciendi, ſeu artem ſyllogizandi.

Secundò, quia ars ſyllogizandi non poteſt perfectè ſciri, niſi perfectè ſciantur eius principia; ſed aliæ ſcientiæ non poſſunt perfectè tradere principia ſyllogizandi: ergo nec artem ſyllogizandi, pr. mi. quia principia ſyllogizãdi ſunt dici de omni, & dici de nullo, & ea ex quibus cõponitur ſyllogiſmus ſunt conceptus rationis, qui ad ſolam Logicam pertinent: ergo non poſſunt ab alijs ſcientijs tradi, & per conſequens ad habendam hanc artem erit neceſſaria Logica.

Tertiò pr. de Rhetorica ex Aegidio loc. cit. dub. 12. quia ars perfectè ſyllogizandi, & demonſtrandi tantum inſeruit ſcientijs ſpeculabilibus, ſed Rhetorica non inſeruit ſcientijs ſpeculabilibus, ſed moralibus; ergo non poteſt perfectè tradere artem ſyllogizandi, & demonſtrandi, pr. mi. quia cum argumentatio deſeruiat tàm ſcientijs ſpeculatiuis, quàm artibus moralibus, oportuit inuenire duplicem dialecticam, quarum vna inſeruiret ſciẽtijs ſpeculatiuis, & talis eſt Logica, altera moralibus, & hæc eſt Rhetorica, quæ eſt quædam rudis Dialectica; vnde quia artes morales non procedunt demonſtratiuè, ſed tantum exemplariter, Rhetorica tantum poterit tradere hanc artẽ, quantum ad modos argumentandi ſuperficialiter, & typo, .ſ. quantum ad enthymema, & exemplum: ex oppoſito autem, quia ſcientiæ ſpeculatiuæ procedunt demonſtratiuè; Logica, quæ eis inſeruit, poterit tradere artem ſyllogizandi, & demonſtrandi.

Quartò pr. de alijs ſcientijs quãtum ad artem demonſtrandi. Ars demonſtrandi non poteſt tradi per terminos ſpeciales, ſed tantum per communes, ſed ſcientiæ ſpeciales procedunt per terminos ſpeciales, & non per communes: ergo non poſſunt tradere artem demonſtrandi, pr. ma. quia ars demonſtrandi eſt communis cuilibet ſcientiæ: ergo non poteſt tradi per terminos ſpeciales, ſed per communes.

Conf. quia demonſtratio conſtat ex conceptibus rationis, ſed ſcientiæ reales non conſiderant cõceptus rationis: ergo non poſſunt tradere artem demonſtrandi.

Quæres ſeptimo. *An logica ſit neceſſaria ad alias ſcientias acquirendas?*

R. ex Aegid. in prol. poſt. dub. 12. & 13. affirmatiuè: & pr. quia ſcientiæ non poſſunt ſcientificè acquiri ſine demonſtratione; cum demonſtratio ſit ſyllogiſmus faciens ſcire; ſed ſine Logica non poteſt confici demonſtratio; cùm tradere artem demonſtrandi ad ſolam Logicam ſpectet ex iam dictis: ergo ſine logica non poſſunt aliæ ſcientiæ ſcientificè acquiri.

Secundo pr. quia ſcientia noſtra acquiritur ex vi perfecti diſcurſus; ſed ſine Logica non poſſumus perfectè diſcurrere, ſed tantum Rhetoricè; ergo nec poſſumus ſine ea acquirere ſcientias; pr. mi. quia diſcurſus non poteſt eſſe perfectus, & rectus; niſi reducatur in ſua principia, & in ſuas regulas, nempe in dici de omni, & dici de nullo, quæ ſunt principia, & regulæ rectè diſcurrendi; has autem regulas ſola Logica tradit: ergo ſine ea non poſſu-

ſumus perfectè diſcurrere, et per cõſequens nec alias ſciẽtias acquirere.

Quærẽs octauo. *An Logica tradendo artem ſyllogizandi, vtatur ſyllogiſmo?*

Reſp. affirmatiuè ex Aegidio in prol. poſt. dub.3. & ratio eſt, quia potentia conuerſiua ſupra ſe ipſum, & ſuum actum, poteſt aduertere modum, quo elicit ſuum actum; ſed intellectus eſt potentia conuerſiua ſupra ſuum actum; ergo dum actu tradit artem ſyllogizandi, & ſyllogizat; poteſt aduertere modum, & regulas, quas ſeruat in ſyllogizando, & per conſequens ſyllogizando poteſt vti ſyllogiſmo.

Sed ob. ſi Logica tradendo artem ſyllogizandi, ſyllogizaret, vteretur ſyllogiſmo, ſed hoc eſt impoſſibile: ergo & id, ex quo ſequitur: pr. mi. quia tradens artem ſyllogizandi docet conſtruere omnem ſyllogiſmũ; ergo non poteſt vti aliquo ſyllogiſmo, alias in ſyllogiſmo; quo vteretur, præhaberetur forma talis ſyllogiſmi, ſeu ſui ipſius, quod eſt impoſſibile; cum forma talis ſyllogiſmi tantum præhaberi poſſit in arte docente conſtruere omnem ſyllogiſmũ; alias idem ageret in ſeipsũ.

Reſp. cum Aegidio loc. cit. dub. 7. neg. mi. & ad prob. neg. conſequentiam, & ad prob. diſt. idem ſecundum rem, & ſecundum rationẽ non poteſt agere in ſe ipſum concedo: idem ſecundum rem, diuerſum tamen ſecundum rationem, nego; nunc autem ſyllogiſmus ille, vt præhaberetur in arte, & vt eo vteretur tradens artem, eſſet diuerſus ſecundum rationem; nam vt eſſet in arte eſſet ſubiectum, & ſyllogiſmus roboratus, vt vero eo vteretur tradens artem, eſſet organum, ſeu inſtrumentum, & eſſet ſyllogiſmus roborans, quo pacto differret à ſe ipſo ratione.

Sed contra. In arte fabricandi malleos, v.g. non poteſt dari aliquis malleus, quo fiat omnis malleus; alias eo fieret ipſemet: ergo neque in arte ſyllogizandi poteſt dari aliquis ſyllogiſmus, quo tradatur ars omnis ſyllogiſmi; & quo roborentur omnes alij, & etiam ipſemet.

Reſp. ex Aegid. neg. conſequentiam, quia eſt diſparitas; nam potẽtiæ corporales, & organa corporea, per quæ huiuſmodi potentiæ operantur, non poſſunt ſe conuertere ſupra ſe, & ideo non eſt poſſibilis aliquis malleus, quo fiat omnis malleus; actus tamen ratiocinandi, & ſyllogizandi ſunt ſupra ſe conuerſiui, & ideo non eſt inconueniens, quod detur aliqua ratio, quæ roboret omnem rationem, & etiam ſeipſam.

Contra, quia ſequeretur, quod idem eſſet notius, & ignotius; nam ille ſyllogiſmus, vt roborans eſſet notior, vt roboratus eſſet ignotior; hoc autem eſt inconueniens ergo, &c.

Reſp. ex Aegidio dub.8. diſt. mi. eſt inconueniens in his, quæ cognoſcuntur per alia concedo: in his, quæ ſeipſis faciunt fidem, nego; & quia ille ſyllogiſmus conſtaret ex principijs formalibus ſyllogiſmorum, .ſ. ex dici de omni, vel de nullo, ideo ſeipſo faceret fidem .i. per principia contenta in ſeipſo, ideo non eſſet inconueniens, quod ſeipſum roboraret per ſe ipſum, & ſi hoc nõ faceret ſecundum eãdem rationem, vt dictum eſt. Do inſtantiam

tiam in terminis generalibus,& specialibus, nam isti non denominant se ipsos, quia albedo non est alba, nec cursus currit; illi tamen seipsos denominant,quia bonitas est bona, & entitas est ens: sic etiam licet syllogismi facti in terminis specialibus non roborarent seipsos; facti tamen in terminis generalibus possent se ipsos roborare, vt v.g. esset iste syllogismus. Omnis syllogismus in quo est principium dici de omni, vel dici de nullo est perfectissimus syllogismus: sed syllogismus factus in Barbara, vel Celerent est huiusmodi; ergo est perfectissimus syllogismus. Iste syllogismus nedum roborat alios, sed etiam seipsum, quatenus in se ipso habet principia formalia syllogismorum.

§. 4.

De Causa Formali Logica.

CAusa formalis duo habet .s. dare esse rei,& esse rationem sic, vel sic operandi, ideo quantum ad causam formalem Logicæ quæram quid propriè sit Logica, & qua methodo vtatur, & maioris claritatis gratia.

Quæres primò. *An Logica sit habitus intellectualis?*

Resp. Ex Arist.6. mor. t.4. habitus intellectuales esse quinque .s. intellectum, sapientiam, scientiam, prudentiam,& Artem; qui sunt habitus principales; Logica autem in his locum non habet; non enim est intellectus, quia intellectus est habitus principiorum, Logica vero est habitus conclusionum. Non est sapientia, quia hæc est cognitio rerum per altissimas causas: & Logica est cognitio secundarum intentionum. Non est scientia, vt mox dicam. Non est prudentia quia hæc est recta ratio agibilium, & Logica est recta ratio conceptuum rationis. Nequè est Ars, quia Ars ex Arist. loc. cit. est habitus recta cum ratione effectiuus, vnde est de his, quæ ad extra edimus; & ex 2. phys. in hoc distinguitur Ars à natura, quod Ars est principium operationis in alio, .i. actionis transeuntis; qua de causa in opere artis non est ars; sed hæc est in animo artificis; natura verò est principium operationis receptæ in ipsa natura; Logica autem non est effectiua operis extra animam, sed tantum in anima, cum eius operatio sit immanens. Dicitur tamen Ars latè, quatenus Ars dicit quamlibet artificiosam mentis nostræ operationem; quæ tunc est talis, quando est ordinata, & ad propositum finem per conuenientia media progreditur; quod totum est in operibus Logicæ. Vnde Logica locum non habet inter habitus principales; est tamen habitus intellectualis instrumentarius, quia est qualitas de difficili mobilis ab intellectu,& ipsum dirigit in suis actibus: reducitur autem ad habitum scientiæ, sicut modus sciendi reducitur ad scientiam ex Aegid. in prol. post. dub.16.

Quæres secundo. *An Logica sit scientia posterioristice?*

Resp. Quod Logica duplex est, alia docens, alia vtens. Logica docens ex Aegidio in prol. post. dub. 16. & 18. est illa quæ tradit regulas,& præcepta conficiendi modos sciendi; Logica vtens est illa, quæ vtitur regulis, & præceptis traditis à Lo-

à Logica docente applicando ea ad quodlibet propositũ, & de vtraque quæri potest, An sit scientia? modo tamen tantum quæritur de Logica docente.

Dico cum Aegidio in prol. post. d. 10.16.18. & p. post. pag. 45. & in prol. Elench. d. 2. & 2. 5. d. 34. dub. 5. quod Logica docens propriè non est scientia, sed modus sciendi.

Affero vnam, vel alteram rationem Aegidij in hanc rem. Prima ratio. Scientia propriè accepta est tantum de his, quæ proprie, & principaliter possunt esse obiectum intellectus nostri; inde est quod de particularibus non est scientia, nec definitio ex 7. met. t. 35. quia particularia non sunt obiectum proprium nostri intellectus; sed Logica non est de his, quæ propriè, & principaliter possunt esse obiectum intellectus nostri: ergo Logica non est scientia proprie accepta. mi. pr. quia Logica proprie est de conceptibus rationis; hi autem non possunt esse proprium, & principale obiectum nostri intellectus, quia intellectus noster principaliter, & directè intelligit res ipsas, reflexè verò intelligit conceptus in ipsis rebus fundatos.

Secunda ratio ex Aegid. in prol. post. d. 10. Logica non procedit demonstratiue; ergo non est scientia; pr. ant. Logica non procedit ex veris proprijs, & immediatis; ergo non procedit demonstratiuè: pr. ant. quia procedere ex veris, proprijs, &c. est assignare specialia vera, propria, & immediata dicentia propter quid conclusionis scitæ; Logica autem hæc assignare non potest; cum non vtatur terminis specialibus, sed communibus ad propria cuiuslibet scientiæ applicabilibus; vt mox ostendam.

Confirmatur, Logicus non est sciens; ergo Logica non est scientia, pr. conseq. quia à concretis, vbi est prædicatio per se, valet consequentia ad abstracta; pr. ant. scire est cognoscere certo; & euidenter aliquid in se, non vero est cognoscere modum, secundum quem cognoscere debemus aliquid in se; sed Logicus non cognoscit aliquid in se, sed tantum cognoscit modum, secundum quem cognoscere debet aliquid in se: ergo Logicus non scit, nequè est sciens ma. pr. quia scire modum, quo construenda est domus v.g. non est construere domum in se, sed tantum est scire modum construendi domum in se; mi. pr. scire artem definiendi, enunciandi, & argumentandi non est scire aliquid in se, sed est scire modum, quo definire, enunciare, & syllogizare debemus, cum volumus aliquid in se cognoscere.

Nota cum Aegid. loc. cit. quod licet Logica doceat, quod demonstratio debeat constare ex veris, proprijs, & immediatis, nunquam tamen assignat specialia vera, propria, & immediata; hæc enim nomina .s. vera, propria, immediata, ex quibus Logica docet demonstrationem constare debere; non sunt nomina specialia, sed secundę intentionis, & communia ad propria cuiuslibet scientiæ v.g. Geometricæ, Philosophicæ, &c. vnde docere demonstrationem debere constare ex proprijs, & non assignare specialia propria, non est procedere ex proprijs, sed ex commu-

mu-

munibus, & per consequens non est procedere demonstratiue.

Respondebis fortasse, hæc omnia requiri in scientia reali, non in rationali, qualis est Logica.

Contra Logica non est scientia absolutè: ergo nec est scientia rationalis; nam à superiori ad inferius negatiue, valet consequentia; vt non est animal; ergo non est homo pr. ant. scientia absolute est cognitio rei per causam, quod illius est causa, & non contingit aliter se habere: hæc enim est definitio sumpta ex p. post. & ab omnibus recepta; & terminis in disputationibus debemus vti secundum communem vsum; sed Logica non est cognitio rei per causam, sed tantum est cognitio modi, quo quis cognoscere debet rem p causam, vt dicebatur; ergo absolutè non est scientia. Insuper de scientia absolute procedunt rationes factæ, & adductæ ex Aegidio.

Ob. 1. Quidquid procedit ex veris, proprijs, & immediatis generat scientiam, sed demonstratio est huiusmodi: ergo generat scientiam. Hæc est demonstratio logicalis, ergo Logica est scientia.

Resp. ex Aegid. loc. cit. neg. subsumptum, quia ille syllogismus non procedit ex proprijs primo intentionaliter, vel ex specialibus proprijs, sed ex proprijs secundo intentionaliter, quod est procedere per communia cuilibet scientiæ. Addit Aegid. dub. 16. quod ille, & similes syllogismi non sunt demonstrationes, sed rationes quædam necessariæ concludentes in secundis intentionibus, & in terminis communibus, non verò in specialibus, quod requiritur ad demonstrationem.

Ob. 2. Logica probat proprias passiones per propria principia, de proprio subiecto: ergo probat scientificè: ergo est scientia.

Resp. dist. ant. proprias, per propria, de proprio secundo intentionaliter concedo: primo intentionaliter, nego: termini enim assumpti, licet sint proprij Logicæ, sunt tamen tales secundo intentionaliter, & ideo verè sunt communes: sicut quartum prædicabile, quod est proprium; vt consideratum à Logica est proprium secundo intentionaliter tantum, & ideò verè est quid commune ad propria cuiuslibet essentiæ.

Ob. 3. Logicus cognoscit se scire: ergo Logica est scientia.

Dist. ant. cognoscit se scire aliquid in se, seu quoad rem, nego: cognoscit se scire modum, quo vti debet, vt sciat aliquid in se, seu cognoscit se scire quoad modum, concedo.

Ob. 4. Ex Aegid. in prol. Priorum, Logica est scientia, est secundum quid nobilior alijs, eo quia simul tradit scientiam, & modum sciendi: ergo.

Resp. 1. Aegidium ibi expresse loqui de scientia communiter dicta, non de scientia propriè accepta, vt suo loco ostendam.

Resp. 2. Aegidium ibi loqui de scientia, qua scitur modus sciendi; nam dub. 2. ait. Non est inconueniens quod Logica determinet simul scientiam, & modum sciendi, quia est de modo sciendi, & potest rectificare seipsam, nec in ea scientia, & modus sciendi sunt duo, sed vnum.

Rogas. *Quid ergo propriè est Logica?*

Resp. ex Aegid. quod propriè est modus sciendi regulans intellectum in acquisitione scientiarum, & cum dicitur quod est modus sciendi, non est hoc accipiendum formaliter, sed obiectiuè, quatenus est de conceptibus, & intentionibus rerum, ex quibus conceptibus accipitur modus sciendi; nam licet principaliter sciamus ipsas res, scimus tamen eas secundum modum, quo sunt in nobis conceptus, & intentiones earum; quia ergo Logica est de huiusmodi conceptibus, ideo dicitur quod sit modus sciendi obiectiue, non verò formaliter.

Quæres 3. *An Logica vtens sit scientia?*

Resp. neg. ex Aegid. loc. citatis ob rationes dictas; & addo ex dub. 4. in prol. Elench. quod magis deficit à ratione scientiæ, & magis est modus sciendi, vt est vtens, quam vt est docẽs; quia vt est docẽs habet aliquod obiectum de quo considerat principaliter, nempe conceptus rationis, de quibus probat, quæ probare debet, vt v.g. probat debitas passiones de syllogismo: vt vero est vtens, non est determinati generis, nec est de aliquo obiecto principaliter; sed tantum est quidam modus sciendi, quo vtuntur aliæ scientiæ in determinando de rebus.

Quæres. 4. *An Logica docens, & vtens sint habitus realiter distincti?*

Resp. Affir. cum Aegid. in prol. post. d. 17. & 18. & in prol. Elench. d. 3. & 4. & ex his, quæ in istis locis docet doctor.

Et probatur, quia habitus distinguuntur per actus, & actus per obiecta ex Arist. 2. de anima; sed Logica docẽs habet diuersos actus, & diuersum obiectũ à Logica vtente, ergo sunt habitus distincti; pr. mi. quia actus Logicę docentis sunt tradere regulas de conceptibus rationis, & probare de eis debitas passiones, per debita principia: actus vero Logicæ vtentis sunt applicare huiusmodi conceptus rationis ad alias res, & formare syllogismos de alijs rebus, qui actus sunt distincti, vt patet.

Secundo, quia Logica docens generat in mente modum sciendi, & vtitur aliquando quibusdam rationibus necessarijs, Logica vero vtens generat opinionem, & vtitur syllogismo topico: ergo non sunt idem habitus: quia alias generarent in mente eamdem formalitatem; habitus enim generatur ex similibus actibus.

Confirmatur ex eodem, quia obiectum Logicæ docentis est determinati generis, obiectum vero vtentis nõ est determinati generis, sed comprehendit obiecta cuiusuis scientiæ, quatenus eis applicare potest præcepta Logicæ docentis. Insuper vt vtens magis deficit à ratione scientiæ, quam vt docens; & vt docens est magis speculatiua (ex Aegid. in prol. Priorum) vt vtens vero est magis pratica, quæ omnia cum identitate habitus nequeunt consistère.

Quæres. *An Logica sit habitus speculatiuus, vel practicus?*

Resp. cum Aegidio p. post. pag. 6. col. 3. dicente, omnes artes speculatiuæ, vel sunt reales & merentur

dici

dici scientiæ, vel sunt rationales, & merentur dici modi sciendi scientiæ autem rationales quantum ad præsens spectat, duæ sunt .s. Dialectica, & Rhetorica, & ideo ex Doctore Logica est speculatiua.

Probatur autem, quia habitus speculatiuus est, qui vltimate intendit contemplationem veritatis: sed Logica vltimate intendit contemplationem veritatis: ergo erit habitus speculatiuus: mi. pr. tum quia Logica simpliciter inseruit sciẽtijs speculatiuis, quarum vltimatus finis est contemplatio veritatis: tùm etiam quia finis internus Logicæ non est extra ipsum intellectum, nec intendit ipsum operari ad extra, sed tantum speculari, & contemplari, in hoc enim consistit differentia habitus practici, & speculatiui, ergo &c. Et licet ex vi Logicæ construatur syllogismus, non proinde tamen ex vi huius operis extrahi potest à linea speculatiua, quia talis constructio non ordinatur ad extra, sed tantum, vel ad inferendam veritatem, si syllogismus fiat in mente, vel ad eam exprimendam, si fiat in voce, aut scripto. Similitudinarie tamen, & analogicè dici potest aliquo modo habitus practicus.

Quæres sextò. *An Logica tradendo artem syllogizandi, & demonstrandi vtatur methodo demonstratiua?*

Resp. ex Aegid. in prol. post. dub. 2. & dub. 9. 15. 16. & 17. Negatiuè. Probatur primo, quia artifex tradendo suam artem non potest vti organo alterius artificis, nisi exempli gratia: sed demonstratio non est proprium instrumentum Logici, bene tamẽ syllogismus Dialecticus, vel syllogismus simpliciter; ergo Logicus tradendo artem demonstrandi non potest vti demonstratione, sed tantum syllogismo; pr. mi. quia demonstratio debet procedere ex proprijs primo intentionaliter, vt dictum est, quæ non reperiuntur in Logica; syllogismus verò procedit per communia, quæ in Logica reperiuntur, & ideo est organum Logicæ. Ergo, &c.

Secundò, ex dub. 9. Ars demonstrandi se extendit ad omnem demonstrationem, non enim traderetur ars demonstrandi, nisi daretur notitia de omni demonstratione: ergo talis ars non potest tradi demonstratiue; pr. conseq. quia qui docet omnem demonstrationem, debet vti terminis communibus omni demonstrationi: sed repugnat demonstrationi, quod tradatur per cõmunia: ergo repugnat quod tradatur ars demonstrandi demonstratiuè. Et notat Aegidius, quod aliud est dicere, aliud est vti, Logica dicit, & docet, quod demonstratio debet constare ex proprijs, speciales tamen scientiæ proprijs vtuntur, cùm quælibet scientia procedat ex his proprijs, ex his veris.

Quæres septimo. *An Logica diuidenda sit secundum tres operationes intellectus?*

Resp. ex Aegid. in prol. post. & Elench. quod cum Logica inuenta sit pro directione actuum intellectus nostri, nè in eis accidat error, communiter solet in tres partes, iuxta tres operationes intellectus, diuidi; nempè in lib. Prædicamentorum, quantum ad primam operationem; in lib. de Interpretatione, quantum ad secundam; & in libros artis no-

uæ, quantum ad tertiam. Docet tamen, quod per se loquendo magis diuidenda est secundum conceptus per tres operationes formatos, quam secundum ipsas operationes; cum enim Logica propriè sit scientia rationalis, propriè erit de his, ad quæ ratio comparatur, vt ratio: ratio autem, vt reduplicatiuè ratio non comparatur ad suos actus; cum hoc etiam conueniat alijs potentijs, sed comparatur ad conceptus per tales actus formatos, per quod distinguitur à cæteris potentijs; ideo Logica propriè erit de huiusmodi conceptibus per tres operationes intellectus formatis; & per consequens propriè diuidenda, & ordinanda erit secundum ordinem horum conceptuum; quia ergo intellectus noster per simplicium apprehensionem format sibi conceptum simplicem, vt cum apprehendit substantiam, format sibi per talem actum conceptum simplicem, qui dici potest definitio, ideo prima pars Logicæ erit illa, in qua agitur de simplicibus terminis, & conceptibus, & sic prima pars erit liber Prędicamentorum, in quo explicatur quid significetur nomine cuiuslibet prædicamenti; ex qua explicatione possumus debitos conceptus de eis formare, & conceptus iam formatos, rebus quibus competunt, debitè adaptare. Sic etiam, quia intellectus noster per compositionem, & diuisionem, nempè per compositionem prædicati cum subiecto, & per diuisionem prędicati à subiecto, format sibi conceptum complexum, qui dicitur enunciatio, ideo secunda pars Logicæ erit illa, in qua agitur de enunciatione, & sic secunda pars erunt lib. Perhiermeniarum, in quibus dirigitur intellectus in coniungendo, vel remouendo prædicatum à subiecto, & quia per discursum à principijs ad conclusiones format sibi conceptum illatiuum, qui dicitur syllogismus; ideo tertia pars erit illa, in qua agitur de syllogismis, vt sunt omnes libri artis nouæ, in quibus instruitur intellectus in syllogizando, & inferendo conclusiones ex principijs.

Libri autem artis nouæ diuidendi sunt secundum diuisionem syllogisticam: syllogismus enim dupliciter potest considerari, vel simpliciter, vel vt contractus: si sumatur simpliciter, sic determinatur de eo in lib. Priorum: si sumatur vt contractus, hoc erit dupliciter, nam vel erit cõtractus ex necessitate materiæ, & sic determinatur de eo in lib. Post. vel est contractus ex habitudine locali, & hoc dupliciter, quia vel talis habitudo erit congrua, vt in ea possit saluari forma syllogistica, & sic determinatur de eo in lib. Top. vel erit incongrua, vt in ea non possit saluari forma syllogistica, & sic determinatur de eo in lib. Elenchorum. Ex quibus habetur totius Logicæ diuisio, & ordo.

Est tamen diligenter obseruandum cum Aegidio in prol. Elench. dub. 1. quod omnes isti libri, & per consequens tota Logica, non sunt de actibus intellectus, sed de conceptibus formatis per tales actus; v. g. liber Prædicamentorum non est de simplicium appręhensione, seu de actu, quo intelligimus substantiam, sed est de conceptu, quem sibi format ratio, ex eo quod intelligit substantiam; vnde ly substantia

non

non significat actum, quo intelligo substantiam, sed significat conceptum formatum in intelligendo substantiam, & sic de alijs libris; omnes ergo sunt de conceptibus formatis per actus, non de ipsis actibus, & per consequens tota Logica est de conceptibus per tres operationes formatis, de ipsis verò operationibus non est Logica, sed Philosophia, quia de eis determinatur in libris de anima. Et licet aliæ scientiæ reales possint esse aliquo modo de his conceptibus; hæc tamen est differentia inter eas, & Logicam, quod aliæ sciẽtiæ sunt de ipsis, quoad substrata, Logica verò est de eis, quoad secundam intentionem, v. g. Genus, vt dicit secundam intentionem consideratur à Logico; vt dicit animal substratum secundæ intentioni, quod est prima intentio, consideratur à philosopho: Item aliæ scientiæ sunt de huiusmodi conceptibus, vt sunt significatiui rerum; Logica verò est de eis, vt sunt instrumenta iuuantia intellectum ad intelligendum, ita Aegidius in prol. Elench. dub. 8.

§. 5.
De Causa Finali Logicæ.

DVplex finis in Logica ex Aegidio lib. Vniuers. c. 1. considerari potest, .s. finis intrinsecus, & finis extrinsecus: Finis intrinsecus est cognitio ipsius Logicæ, & absoluta explicatio sui subiecti, quem finẽ assecutus fuit Aristoteles, dum Logicæ libros absoluit, & addiscentes totam Logicam, talem finem assequuntur. Finis extrinsecus est scientijs inseruire. De fine extrinseco potest esse aliqua difficultas, an nimirum talis finis sit vtrique philosophiæ parti, .s. contemplatiuæ, & morali, adminiculari? Voluerunt enim quidam finem extrinsecum Logicæ esse tradere regulas discernendi verum à falso, & sic inseruire scientijs speculatiuis, & discernendi bonum à malo, & ità adminiculari philosophiæ morali.

Dico tamen cum Aegid. in prol. post. dub. 12. Logicam inseruire tantum scientijs speculatiuis, atquè adeo externum finem Logicæ esse discernere verum à falso, non verò bonum à malo. Probatur primò, quia Logica per se, & formaliter versatur circa res, vt habent esse cognitum: ergo per se, & formaliter non potest habere pro fine, nisi discernere verum à falso, non verò bonum à malo; pr. conseq. quia verum, & falsum sunt in intellectu; bonum, & malum sunt in rebus: ergo bonum, & malum sunt extra sphæram formalem Logicæ, & per consequens Logica formaliter non potest ad bonum, & malum se extendere; primum ant. patet, quia Logica est de conceptibus rationis, qui sunt in intellectu, & formaliter important esse cognitum, vel esse per cognitionem productum.

Secundò, Arist. 2. post. docet ex syllogismis colligi conclusionem veram vel falsam; non verò bonam, vel malam; & ex eodem enunciatio est vera, vel falsa, non bona, vel mala: ergo Logica non potest per se inseruire ad secernendum bonum à malo, sed tantum verum à falso.

Tertiò ex Aegidio nè intellectus erret in scientijs moralibus inuenta est

eſt Rhetorica, quæ eis inſeruit; & nè erret in ſpeculatiuis inuenta eſt Logica: ergo Logica pro fine immediato non poteſt habere ſecernere bonum à malo], cum ad hunc finem ſit inuenta alia facultas.

Ob. ex Ariſt. 1. top. c.9. dicente, problemata moralia ad electionem, & fugam pertinent: contemplatiua ad ſcientiam veritatis; Logicalia verò ad neutrum horum per ſe, ſed tãtum ad vtrumq; horum pertinent, quatenus ſunt inſtrumenta adminiculantia ad vtrumque conſequendum; ergo Logica inſtrumentaliter inſeruit vtrique ſcientiæ.

Reſp. diſt. ant. pertinẽt ad vtrumquè conſequendum per ſe, & primario, ſeu formaliter, & immediatè, nego; ſecundario, & ex conſequenti, ſeu materialiter, concedo: Logicalia enim per ſe, & primario non conferunt ad benè agendum, ſed tantum ſecundario, quatenus habita cognitione de rebus agendis, quis moueri poteſt ad bene agendum, vel quatenus id, quod cognoſcitur, vt verum .l. falſum, materialiter poteſt eſſe, ſeu eſt bonum, vel malum.

LIBER PRIMVS

De his, quæ pertinent ad primam operationem Intellectus.

CAPVT PRIMVM

De operationibus Intellectus nostri.

§. I.

Operationes Intellectus definiuntur.

QVoniam ex Aegidio, tùm in prol. post. tum Elenchorum, tum lib. p. Perh. dub. 1. Logica est directiua, & regulatiua operationum, & conceptuum nostri intellectus; in quibus propter potentialitatem potest esse error, idcirco antequam ad explicanda ea, quibus præfatæ operationes intellectus diriguntur, accedam; de eisdem operationibus nonnulla præmittam.

Not. est igitur ex Aegid. loc. cit. quod triplex est operatio nostri intellectus prima est simplicium quidditatum appræhensio; secunda est appræhensarum quidditatum compositio: tertia est discursus ad conclusiones. Prima ex Aegid. ***Est simplicium quidditatum cognitio, nihil affirmando, vel negando de eis.*** Hęc operatio ab Aegidio 3. de anima t. 21. vocatur intelligentia indiuisibilium, quia in ea nec est veritas, nec falsitas, & ideo per hanc operationem intellectus tantum indiuisibilia, & simplicia prædicata contemplatur, absque eo, quod vnum alteri attribuat, vel vnum de altero neget. Secunda operatio ab Aegid. lib. 1. perh. c.p. definitur sic. ***Est cognitio, in qua intellectus comparans vnum conceptum alteri, apprahendit identitatem rerum, quarum sunt conceptus; hoc autem potest esse vel verè, vt homo est animal: vel falsè, vt homo est Asinus.*** Tertia operatio est cognitio, qua intellectus ex principijs infert conclusiones: vt dicendo Sortes est homo: ergo Sortes est risibilis.

Not. est autem ex Aegid. 3. de anima loc. cit. quod in secunda operatione intellectus, compositio sumitur largè; prout comprehendit tam propositionem affirmatiuam, quam negatiuam; quia verò propositio negatiua diuidit prędicatum à subiecto, ideò hæc operatio respectu propositionis negatiuæ propriè dicitur diuisio; qua ratione communiter dicitur, quod secunda operatio est compositio, & diuisio. Hęc ita-

taq uè operatio, vt respicit propositionem negatiuam, & sic vt est diuisio, ita ab Aegidio lib.p.perhier. c.p. definitur. *Est cognitio per quam intellectus, vbi comparauit vnum conceptum alteri, apprahendit diuersitatem rerum, quarum sunt conceptus, quod potest esse, vel verè, vel falsè, vt homo non est Asinus, homo non est animal.*

§. 2.

Obijciuntur nonnulla.

VErùm cõtra ea, quę dicta sunt. Ob. p. simplex apprænhensio est operatio intellectus, & tamen non est aliqua ex enumeratis, sed omnibus illis est prior; ergo operationes intellectus sunt quatuor: pr. ant. antequam intellectus simplices quidditates proposito obiecto conuenientes, appræhẽdat, prius simplici appræhensione appræhendit obiectum, cui conueniunt; vt cum aliquis videt à longè aliquod se mouens, intellectus prius appræhendit simplici cognitione, quod sit animal, deinde appræhendit simplicia prædicata, postea enunciat, tandem de illis discurrit: ergo simplex appræhensio est operatio à reliquis distincta.

Resp. dist. ant. non est aliqua ex euumeratis in specie concedo, in genere nego; tres enim operationes intellectus non important vnitatem specificam, sed genericam; ideò in vnaquaque operatione dantur plures species ad eundem gradũ pertinentes: in prima v.g. datur cognitio confusa, & distincta; datur abstractiua, & intuitiua: directa, & reflexa; quæ licet inter se specie differant, pertinent tamen ad lineam primę operationis, dummodo intellectus sistat in simplici appræhensione, & non faciat transitum ad iudicium, simplex ergo illa appræhensio pertinet ad primam operationem, quia est cognitio animalis nihil affirmando vel negando de illo, de ea tamen non loquuntur doctores, quia cum sit cognitio confusa, non potest inseruire acquisitioni scientiarum, quæ est intenta in operationum regulatione, & directione.

Ob. 2. Ex Arist. 3. de anima, operationes intellectus sunt tantum duę .s. vna, qua intellectus intelligit indiuisibilia; alia, qua intelligit diuisibilia; ergo non bene enumerantur discursus inter eas.

Resp. ex Aegidio 2. 5. d. 29. p.p. q.2. a.3. quod intellectus potest dupliciter considerari, vel vt tantum intellectus est; & sic solum habet primam, & secundam operationẽ: vel etiam vt est ratio, & sic habet inquirere, & discurrere, & tertiam operationem: licet autem idem sit intellectus, & ratio; differunt tamen secundum officia: nam vt intellectus est, habet officium appræhendendi veritatem; vt verò est ratio, habet officium appræhendendi veritatem ex vi discursus, & illationis, per quam discurrit à principijs ad conclusiones: quando ergo operationes intellectus dicuntur tres, sumitur intellectus etiam vt est ratio.

CA-

CAPVT SECVNDVM
De Quidditate Methodi, vel modi sciendi.

§. I.

Quædam de Methodis præmitto.

ANtequam definitionem Methodi assignem, præmitto primo Methodũ dici à Methodos grecè, quod latinè interpretatur via, vel semita aut transitus ab aliquo ad aliquid, ideo nomine Methodi non est aliud intelligendum, quam via intellectualis, per quam intellectus progreditur, dum ad rerum cognitionem tendit; non tamen omnis via intellectualis est Methodus nuncupanda, sed tantum quæ à mente nostra fit in ordine ad acquisitionem scientiæ. Hæc autem via non est necessaria propter ipsa scibilia absolutè, & simpliciter; nam Deus, & Angeli sciunt res sine tali via eos dirigente, sed tantum est necessaria (ex Aegidio in prol. post. col. p.) propter nostrum modum sciendi; vel propter ipsa scibilia, non specificatiuè, sed reduplicatiuè, quatenus nempe, sunt scibilia à nobis. Origo autem huius necessitatis rectè ab Aegidio loc. cit. sumitur ex potentialitate intellectus nostri. Cùm enim noster intellectus in sui primordio sit tamquam tabula rasa, & sit potentia cognoscens ex 3. de anima; & vbi est potentia, ibi possit esse error: quia ex 2. met. malum, & error est post potentiam, qua de causa in rebus æternis, & quæ sunt in actu, error esse non potest: ideo in intellectu nostro transeunte de potentia ad actum, error esse potest; vnde vt intellectus errores euitare valeat, quibusdam indiget regulis, quibus in suis operationibus reguletur, & dirigatur; quę regulæ dicuntur viæ, & semitæ seu methodi sciendi intellectum in suis operationibus dirigentes. Quia verò operatio intellectus est triplex, & in qualibet reperitur potentialitas ideò, vt in omni operatione dirigatur, triplici via, & semita directiua indiget. Est in eo potentialitas respectu primæ operationis, per quam format definitionem, quia nõ statim, ac intelligit genus, intelligit differentiam; nec statim, ac intelligit differentiam, intelligit speciem; & ideo nè erret in intelligentia simplicium quidditatũ applicando v. g. differentiam generi indebito; vt esset si latum adderet lineæ; aut debitam definitionem non coniungendo cum debito definito, vt si definitionem hominis adaptaret equo; indiget quadam regula, qua in tali operatione reguletur. Est deinde in eo potentialitas respectu secundę operationis, quia non statim ac intelligit subiectum, intelligit prædicatum: ideò nè in hac operatione erret, tribuendo nimirum prædicatum subiecto non debito, vel negando prædicatum à subiecto debito; indiget alia regula, qua hæc secunda eius operatio reguletur. Est tandem in eo potentialitas respectu tertiæ operationis, quia cùm intelligat discurrendo, non statim, ac intelligit principia, intelligit conclusiones, ideò nè erret in inferendo conclusiones ex principijs, indiget alia regula, quà hæc tertia eius operatio reguletur. Hæ ergo regulæ diri-

dirigentes intellectum in ordine ad adipiscendas scientias ; dicuntur Methodi, vel modi sciendi.

Pręmitto secundo, quod ex vi huius viæ, & regulæ, duobus modis intellectus duci potest in cognitionē rerum ; nam aut manuducitur ad ordinandas, & desponendas res, quarum notitiam intendit sine errore acquirere : aut manuducitur de potentialitate ad actum cognoscendi, & notificandi ignotum: si primo modo manuducatur tunc via dirigens appellatur ordo, & ab Aegidio in prol. Elench. Prior. & Vniuer. appellatur forma tractatus, qua partes cognoscendę disponuntur, & ordinantur, & hic ordo, vel est resolutiuus, vel compositiuus, si secundo modo, sic via dirigens dicitur Methodus sciendi ; ordo enim proprie, & rigorosè non est Methodus, cùm non sit directiuus intellectus, sed tantum dispositiuus, & præparatiuus materiæ, circa quā intellectus est dirigendus ; latè tamen etiam ordo methodus appellatur. Hic non est sermo de Methodo, vt se extendit ad ordinem, sed tantum, vt rigorosè, & proprie vsurpatur.

Præmitto tertio, quod sicut in qualibet arte, quæ alterius defectum supplet duo sunt, .s. Doctrina, & vsus, & doctrina est illa, quæ tradit regulas, & præcepta conficiendi artefactum, & hęc dicitur Ars docens: Vsus vero est applicatio talium pręceptorum ad specialem artem, & dicitur, Ars vtens : ità in Methodis sciēdi duo sunt .s. Doctrina, & vsus; Doctrina sunt regulæ, & præcepta benè cognoscendi, & definiendi; & hæc dicitur Methodus docens; vsus est exercitium, & applicatio talium præceptorum, & hæc dicitur Methodus vtens : hic non loquor de Methodo vtente, sed de docente; de qua genus, & differentia sunt assignanda.

§. 2.
Definitionem Methodi statuo.

DVo sunt genera habituum in intellectu existentium: quidā enim sunt primarij, & principales ; & hi sunt quinque ex 6. lib. Mor. c. 3. .s. Intellectus, Sapientia, Scientia, Prudentia, & Ars, & hi dicuntur principales, quia per se, & non alterius gratia quæruntur, & considerantur; vnde, & dicuntur habitus rerum : Alij sunt secundarij, & instrumentales, qui non per se, sed alterius gratia quæruntur, & considerantur, adminiculantur enim intellectui ad habitus principales, & rerum scientias adipiscendas : ex his autem habitus primi generis non possunt esse per se, & directe genus Methodi, nec Methodus potest sub eis directe contineri; quia Methodus, non gratia sui, sed gratia scientiarum quæritur, & intenditur, vt constat ex §. 1. vndè, reliquum est, vt Methodus contineatur, tamquam species sub genere, sub habitibus secundarijs, & instrumentarijs, quia vero Methodus ex sua ratione formali habet inseruire intellectui in manifestatione ignoti, ideò eius differentia erit hoc, quod est manifestare, & notificare ignotum, seu dirigere intellectum in manifestatione ignoti, quo statuto. Dico Methodus est habitus instrumentalis dirigens potentialitatem intellectus

ad

ad cognionem ignoti, seu rerum cognitionem adipiscendam. Hæc definitio non differt nisi in verbis ab ea, quam tradit Aegidius in prol. super artem veterem, dum ait. *Methodus est via, seu semita intellectualis recta, obliquitates aliarum viarum deuitans, nobisquè inseruiens ad cognitionem rerum.* Cum enim Methodus non quæratur propter se, ex notatis cum Aegidio; non erit via principalis, sed instrumentalis, & per consequens non erit habitus principalis, sed instrumentalis: deinde idem est esse viam rectam obliquitates deuitantem, ac dirigere potentialitatem intellectus & idem est dirigere intellectum ad rerum cognitionem adipiscendam, ac ei inseruire ad rerum cognitionem. Vtraquè autem definitio satis ex dictis manet explicata.

Modus sciendi non distinguitur à Methodo rigorosè accepta, & ex Aegidio in prol. Elench. d. 2. & d. 8. sic definiri potest. *Est conceptus & intentio rei, qua mediante intellectus eiusdem rei scientiam consequitur;* docet enim d. 2. quod ideo Logica propriè est modus sciendi, quia licet principaliter sciamus ipsas res, sciamus tamen eas secundū modū, quo sunt in nobis cōceptus earum: vndè modus sciendi secundum tales conceptus propriè accipitur, quare modus sciendi proprie erit conceptus rei, quo mediante intellectus eiusdem rei scientiam acquirit, & ex d. 8. hanc definitionem elicio. *Modus sciendi est instrumentum intellectuale adiuuans intellectum, vt scientiam rerum consequi valeat.* Quidam; inter quos est Casilius c. 5. Methodum confundunt cum ordine, ideo à methodo modum sciendi distinguunt; sed hoc forte in sequentibus impugnabitur.

DISPVTATIO
De Methodis, seu modis sciendi.

SECTIO PRIMA.
Vtrum Methodi, vel modi sciendi sint tantum tres?

§. 1.
Proponitur Aegidij sententia, & comprobatur.

DIsputationem, tam Logicis, quam Philosophis vtilissimam excito, dum de Methodis pertractare instituo; eamquè omnibus gratam fore confido: tùm quia de ea pauca apud alios reperiantur, tùm quia plura ab alijs neglecta, & alioquin scitu dignissima exhibeat. Et primo quæro, an modi sciendi sint tantum tres?

Qua in re mirum est, quam varient inter se Doctores: Zab. lib. 3. de Methodis vnicam tantum Methodum agnoscit, nempè Argumentationem. Auersa tom. 1. in Log. tract. 1. c. 2. quatuor modos sciendi, vt necessarios statuit .s. Definitionem, Diuisionem, Argumentationem, & Enunciationem. Complutenses in Procemio Log. tres modos sciendi statuunt, .s. Definitionem, Diuisionem, & Argumentationem. Idem docent Casilius, & Ioan. de S. Th. & alij communiter. Ouiedo in summul. cont. 2. vt certum statuit modos sciendi, quos instrumenta sciendi appellat, esse tres .s. Definitionem, Diuisionem, & Argu-

mentationem; postea verò cont. 2. in Log. p. p. rem sub dubio relinquit, asserens modum sciendi, hoc est sciendi instrumentum, forsan tantum esse demonstrationem eo quia hac solum scire dicamur.

Aegidius tamen in prol.post.pag. 2. & Elench. pag. 2. modos sciendi tantum tres esse asserit, .s. Definitionem, Enunciationem, & Syllogismum, quæ sententia, vt vera est amplectenda, vndè pro resolutione.

Sit conclusio. Modi sciendi sunt tantum tres .s. Definitio, Enunciatio, & Syllogismus. Hæc conclusio habet duas partes; prima est, quod modi sciendi sint tantum tres; secunda, quod sint isti .s. Definitio, Enunciatio, & Syllogismus. Modo probo tantum primam partem, dicturus de secunda in sequentibus.

Probo ergo eam primo sic. Tot sunt modi sciendi, quot sunt modi, quibus intellectus noster potest errare, sed intellectus noster tantum tribus modis potest errare, ergo tãtum tres sunt modi sciendi, pr. ma. quia, ex Aegidio in Angelis ideo non est Logica, nec modus sciendi, quia cum in eorum intellectu non sit potentialitas, non potest in eo esse error, & per consequens nulla est indigentia modi regulatiui, ergo tota indigentia modorum sciendi oritur ex intellectu, qui errare potest, vt est intellectus noster, ergo tot sunt statuẽdi modi sciendi, quot sunt modi, quibus intellectus noster potest errare. Minor pr. quia intellectus noster primo errare potest in simplicium appræhensione, quia cum non statim, ac intelligit genus intelligat differentiam, nec statim, ac intelligit differentiam intelligat speciem, potest errare tam in conceptione simplicium terminorum, vt non concipiendo debitè substantiã; quàm in vnione conceptuum ad inuicem, vt conceptum substantię adaptando quantitati, & conceptum differentiæ non adaptando debito generi, vt dictum est c. præced. ergo indiget aliquo modo sciendi, quo in prima operatione dirigatur: secundo potest errare in vnione prædicati cum subiecto, vt si prædicatum non applicet debito subiecto, & debitum prędicatum à debito subiecto diuidat, ergo nè in hac secunda operatione erret, indiget alio modo sciendi: tertio, quia non statim, ac intelligit principia, intelligit conclusiones, potest etiam in tertia operatione errare, ergo cum non detur alia operatio, nec alia potentialitas, (formaliter loquendo) ab his tribus enumeratis, neque etiam dabitur alius modus sciendi.

Secundò, Methodus sciendi est via manifestatiua alicuius ignoti, & existentis in tenebris, ita vt mediante Methodo palam appareat potentiæ intellectiuæ, & clarè videatur; ergo tot erunt methodi, quot erunt ignota (& loquor formaliter) respectu intellectus nostri, sed ista sunt tantum tria, ergo tantum tres erunt methodi sciendi; pr. mi. quia, vel intellectui nostro est ignotum coniungere genus cum differentia, & differentiam cum specie: vel est ignotum coniungere prædicatum cum debito subiecto, vel est ignotum deducere conclusiones ex principijs; nullum aliud ignotum in suis operationibus esse potest, quia nullam aliam habet operationem; ergo si ignota sunt tantum tria, tantum

etiam

etiam tres erunt methodi ſciendi, vel modi manifeſtandi ignota.

§. 2.

Argumentis ſatisfacio.

VErùm contra propoſitam ex Aegidio veritatem Ob. 1. ſignum eſt eſſentialiter manifeſtatiuum alicuius ignoti, & tamen non eſt connumeratũ inter modos ſciendi, ergo modi ſciendi erunt plures; pr. ant. ex D. P. Aug. 2. de doctrina Chriſtiana. *Signum eſt illud, quod præter ſpeciem, quam ingerit ſenſibus, aliquid aliud facit in cognitionem venire:* ergo ſignum eſt eſſentialiter manifeſtatiuum alicuius ignoti, ergo eſt modus ſciendi, cum hæc ſit definitio modi ſciendi.

Reſpondes Ioan. à S. Th. lib. 2. Summ. c. 2. diſt. ant. manifeſtat manifeſtatione, quæ opponitur obſcuro, & negat; manifeſtatione, quæ opponitur incognito, & non applicato potentiæ cognoſcenti, & concedit; manifeſtatio primo modo fit per aliquid notius, & clarius, quo tollitur obſcuritas illa, & hæc fit per modum ſciendi: manifeſtatio ſecundo modo fit per aliquod mediũ applicans nobis obiectum non applicatum, & ſic manifeſtare pertinet ad ſignum.

Hæc reſponſio nullo modo eſt admittenda, vnde contra eam argumentor primò. Manifeſtare aliquid obſcurè cognitum conuenit alijs à modo ſciendi, ergo non ideò aliquid eſt methodus, quia manifeſtat aliquid obſcure cognitum: pr. ant. conuenit lumini gloriæ; nam lumen gloriæ clarè manifeſtat obiectum fidei, per fidem obſcurè cognitum, & tamen non eſt modus ſciendi, ergo ex eo quod aliquid ſit manifeſtatiuũ alterius obſcurè cogniti, inferri nequit, quod manifeſtatiuum ſit modus ſciendi, & per conſequens diſparitas aſſignata non ſoluit argumentum.

Reſpondebis ex eius doctrina manifeſtare obſcurè cognitum per modum ſimplicis propoſitionis obiecti, non inferre modum ſciendi, hoc autem pacto manifeſtat lumen gloriæ; cæterum manifeſtare per modum orationis complexæ, & ad ſcientiam ordinatæ, ac vim illatiuam habentis, inferre abſolutè manifeſtatiuum eſſe modum ſciendi; hoc autem pacto manifeſtant tres modi ſciendi non tamen lumen gloriæ.

Sed contra (etſi in re patula) formo contra authorem Elenchum. De ratione modi ſciendi eſt manifeſtare per modum orationis habentis vim illatiuam ordinatam ad ſcientiam, hæc eſt tua: ſed definitio, & diuiſio nõ manifeſtant illatiuè; quia veritas complexa manifeſtatur per probationem, quæ fit per argumentationem; hæc etiam eſt tua; ergo definitio, & diuiſio non erunt modi ſciendi, & hæc eſt contra id, quod aſſeris.

Secundò argumentor proceſſus à confusè, & obſcurè cognito, ad clare, & diſtinctè cognitum, non eſt proceſſus conueniens modo ſciendi, ſed ordini; ſed ordo non eſt modus ſciendi, ergo nec proceſſus à confusè, & obſcurè cognito, ad cognitum clarè, & diſtinctè; pr. ma. ex Ariſt. 1. ph. c. 1. vbi decernens modum procedendi in philoſophia; docet procedendum eſſe ſecundum ordinem naturæ, ſecundũ quem nobis

bis sunt notiora vniuersaliora, & confusa magis, & ex his procedendum esse ad singularia, & distincta: talis autem modus procedendi ex omnium sententia conuenit ordini, non modo sciendi, ergo ex eo quod aliquid manifestet id, quod est obscurè, & confusè cognitum, inferri non potest, quod manifestans sit modus sciendi, sed tantum ordo, qui ab ipso inter modos sciendi non enumeratur.

Respondeo ergo eruendo responsionem ex fundamento Aegid. dist. ant. manifestat dirigendo potentialitatem intellectus ad debitè formandum, vel coniungendum cõceptum rei significatæ per signum, nego: hoc autem est de ratione modi sciẽdi, manifestat excitando potentiam iam directam in formatione conceptus ad rem significatam eo tunc contemplandam, concedo: & hoc pacto intelligitur definitio signi: quando enim intellectus contemplatur speciem fumi, vel circuli ante tabernam, non dirigitur tunc ad formandum conceptum de igne, vel de vino venali: sed supposita iam debita formatione conceptus, præhabita per modum sciendi, excitatur ad cogitandum actualiter de igne, vel vino.

Ob. 2. oratio est manifestatiua conceptus ignoti, ergo erit modus sciendi, sed non est aliquis modus ex tribus enumeratis, ergo modi sciendi erunt plures; ant. pr. ex 1. perhier. voces sunt signa passionum animæ, & internos conceptus manifestant.

Resp. dist. ant. est manifestatiua in ordine ad exprimendum conceptum alteri, concedo: in ordine ad dirigendum, & regulandum, nego: modus autem sciendi manifestat dirigendo potentialitatem; non verò solummodo internum conceptum exprimendo.

Ob. 3. Lumen intellectus agentis manifestat phantasmata intellectui possibili, ergo est modus sciendi, & tamen non connumeratur inter modos sciendi assignatos, ergo modi sciendi erunt plures.

Resp. dist. ant. manifestat obiectiuè, .i. proponendo, & illustrando obiectum, concedo; manifestat formaliter dirigendo, nego: at modus sciendi secundo modo manifestat: sic etiam fides dicentis in India esse talem speciem arboris, manifestat tantum obiectiuè, proponendo obiectum contemplandum; non tamen formaliter dirigendo nempe intellectum in formatione conceptus.

Ob. 4. Ratio essentialis modi sciendi conuenit diuisioni, & ordini, ergo etiã ista inter modos sciendi erunt connumeranda; pr. ant. quia diuisio est instrumentum intellectuale dirigens intellectum in ordine ad venandas partes definitionis, & numerum specierum antea ignoratarum, ordo est instrumentum intellectuale, quo docemur cuiusuis disciplinæ partes conuenienter disponere, sed hæc est essentia methodi, vt patet ex dictis ergo vtriquè cõuenit esse methodum.

Resp. quod de hoc argumento, quantum ad vtramque partem, dicam infra in proprijs sectionibus.

SE-

SECTIO SECVNDA.
Vtrùm definitio sit methodus, vel modus sciendi?

§. 1.

Aegidij sententia proponitur, & comprobatur.

IN hac difficultate prima sententia est asserentium, Definitionem propriè, & rigorosè non esse methodum, vel modum sciendi. Quam sententiam tradit Zabar. lib. 3. de Methodis à cap. 11. ad 15. inclusiuè; eamquè sequuntur nonnulli in doctrina Zabarellæ enutriti.

Secunda sentētia est asserentium definitionem vere, & proprie esse modum sciendi. Hanc sententiam tradit Aegidius loc. mox citandis; eamq; sequuntur Complut. Arriaga Ouiedo, Ioan. à S. Thoma, & omnes recentiores, quam sententiam tanquam veram amplector.

Sit ergo conclusio. Definitio est verè, & propriè modus sciendi.

Probatur autèm 1. ex Arist. 2. post. t. 3. vbi quærit, an idem sciri possit definitione, & demonstratione; seu an idem sit definibile, & demonstrabile; & respondet quod non, ob rationes ibi adducendas, ergo Arist. supponit definitionem esse modum sciendi; licet non sit modus sciendi respectu eius, quod est scibile per modum sciendi, qui est demonstratio.

Secundo pr. ex Arist. 2. post. t. 2. dicēte. *Amplius si definitio substantiæ alicuius notificatio est; manifestum quod non sunt substantiæ*, vbi Aegidius sic habet. Notandum est, quod definitio per se, & primo est substantiarum: demonstrationes autem non sunt substantiarum secundum se, & simpliciter: sed magis sunt per se passionum, vt sunt in substantijs; non ergo eorumdem erit definitio, quorum est demonstratio, hæc Aegidius; ex quibus ita formo argumentum. Definitio est notificatiua substantiæ, demonstratio est notificatiua passionis existentis in substantia; ergo definitio erit modus sciendi substantiam, seu erit methodus sciendi, qua mediante intellectus noster dirigitur, & regulatur in cognitione substātiæ, & quidditatis, quæ ei erat ignota.

Tertio ex Aegidio 2. post. t. 2. est manifestabile non tantum complexum, sed etiam incomplexum; illud manifestatur per demōstrationem; demonstratur enim passio de subiecto, non tamen per definitionem, quia complexa cùm non habeant essentiam vnam, definitione carent: incomplexum verò non est manifestabile per demonstrationem, sed per definitionem; quia definitio est sermo declaratiuus alicuius essentię, vel naturæ, hæc Aegidius; ex quibus sic argumentor. Definitio est manifestatiua alicuius ignoti, ergo definitio est modus sciendi; cōsequentia patet, quia de ratione modi sciendi est esse manifestatiuum alicuius ignoti; pr. ant. definitio est manifestatiua huius incomplexi .s. essentiæ, & quidditatis intellectui ignotæ; nam definitio est oratio explicans naturam, & essentiam rei, ergo est manifestatiua alicuius ignoti.

Confirmatur ex Aegid. quodl. 3. q. 5. definitio est speculum, in quo clarè cernitur natura rei, ergo in ea clarè manifestantur genus, & differen-

rentia, & ſimplicia prædicata quidditatiua, quæ extra ſpeculum erant ignota, ergo eſt eſſentialiter modus ſciendi.

Vltimo hoc ipsũ probo ex Aegid. in prol. poſt. pag. 2. reducendo eius rationem ad hanc formam. De eſſentia modi ſciendi eſt dirigere potentialitatem intellectus, nè dum ab ea tranſit ad actum, erret; ſed definitio eſſentialiter dirigit potentialitatem intellectus, nempè potentialitatem repertam in prima operatione, per quam ſimplices quidditates apprehendit, vt in ea non erret: ergo definitio eſſentialiter eſt modus ſciendi; pr. mi. quia definitio tradit præcepta bene definiendi, & per conſequens tradit præcepta, tum ad debite formandum conceptum generis, & differentiæ; tùm etiam ad eos debito modo adaptandos, & vniendos, quæ præcepta habentur in lib. Prædicamentorum, in quibus agitur de conceptu generis, differentiæ, & ſpeciei.

§. 2.

Fundamentis oppoſitæ ſententiæ ſatisfit.

VErùm contra propoſitam veritatem cum authoribus primæ ſententiæ Ob. p. Definitio methodi propriè dictæ non competit definitioni, ergo definitio non eſt methodus propriè dicta; pr. ant. methodus eſt proceſsus à noto ad cognitionem ignoti cum illationis neceſſitate; ſed definitio non ità ſe habet, ergo non eſt methodus; pr. mi. quia ſi definitio progrederetur ex noto ad cognitionem ignoti cùm illationis neceſſitate, ipſa eſſet terminus à quo notus, & quidditas, ad cuius cognitionem per definitionem perueniremus, eſſet terminus ad quem ignotus; ſed hoc non poteſt competere definitioni; quia cum definitio, & quidditas non differant, niſi vt ſignificans, & ſignificatum, non poteſt definitio eſſe nota, dum quidditas ignoratur, ergo definitio non poteſt procedere de noto ad ignotum.

Confirmatur, quia definitio, & quidditas ſunt idem, & non differunt, niſi ſecundum implicitum, & explicitum, ergo definitio non poteſt manifeſtare quidditatem, alias idem manifeſtaret ſe ipſum.

Pro hoc argumento noto, quod inſtrumenta Logicalia ſunt in duplici differentia: alia enim ſunt, quæ inſeruiunt intellectui ad res conſideratas diſponendas; alia, quæ ei inſeruiunt ad notificanda ignota cum directione; & inter iſta, alia ſunt notificatiua cùm directione, & illatione, vt ſyllogiſmus, & eius ſpecies; alia tantum cùm directione, non tamen cum illatione, vt definitio, & enunciatio, ideoquè ratio generica methodi tantum dicit notificare cum directione, & abſtrahit à notificare cum illatione, vel ſine illatione. Hoc præmiſſo.

Reſp. ad arg. neg. ant. ad prob. nego ma. quia illa non eſt definitio methodi ſecundum gradum genericum, ſed tantum ſecundum gradum ſpecificum; nempe eſt definitio methodi ſyllogiſticæ, quæ eſt vna ex ſpeciebus methodi: vnde non ſequitur definitionem non eſſe metdodum, ſed tantum non eſſe methodum ratiocinatiuam; ſicut ex eo, quod leo non ſit animal rationale

nale

nale, non sequitur, quod non sit animal.

Ad conf. Respondetur, quod quidditas rei sumi potest dupliciter; .s. vel pro definitione; vel pro ipsius rei essentia, quæ per definitionem explicatur: si sumatur primo modo, & hac ratione ignota fuerit; tunc concedo, quod definitio non possit manifestare quidditatem, quia idem seipsum manifestaret; si sumatur secundo modo, nego; quia cum definitio sit conceptus maximè expressus, & sit speculum, in quo clarè cernitur natura rei, vt docet Aegid. quodl. cit. habet maximè manifestare intellectui quidditatem rei, exprimendo de se ipsum quod quid est, & partes eius.

Ob. 2. Ità se habet ratio definitionis ad quidditatem, sicut ratio nominis ad rem per nomen significatã; sed nomen respectu rei significatæ, non est methodus, sed tantum instrumentum significandi, ergo nec definitio erit methodus, sed tantum instrumentum significatiuum.

Confirmatur ex Arist.p. top.c.4. dicente. *Definitio est terminus ipsum* quod quid erat esse significans, ergo non est methodus manifestatiua, sed tantum instrumentum significatiuum.

Huic argumento Resp. p. concedendo totum quia ex eo nihil aliud colligitur, nisi quod definitio significet quidditatem, eamquè sine illatione notificet, indè tamen non sequitur non esse methodum simpliciter, sed tantum non esse talem methodum, .s. notificatiuam cum illatione.

Resp. 2. quod definitio ad duo comparari potest, vel ad quidditatem, quam exprimit, vel ad intellectum, quem instruit in hoc, quod est debite formare conceptus quidditatiuos, eosquè debitè vnire, si definitio sumatur primo modo, concedo maiorẽ gratia argumẽti (dico gratia argumenti, quia ex Aegid.p. Elench. pag. 11. licet nomini sit essentiale significare seipsum, vt conceptum, & imaginatum, non est tamen ei essentiale significare rationes rerum in intellectu cõceptas, sed hoc habet ex hominum beneplacito, & institutione: definitioni vero est essentiale exprimere rei quidditatem) si vero sumatur secundo modo, nego ma. quia definitio instruit, & dirigit intellectum in formatione, & applicatione conceptuum; nomen verò hoc non habet, sed stante ex parte intellectus debita formatione, & vnione eorũ facta vi modi sciendi; nomen ex hominum placito ad significandos hos conceptus iam formatos secundum præcepta artis, impositum; excitat intellectum ad eos contemplandos, & ideo definitio respectu intellectus est methodus, non verò nomen. Et noto quod definitio non est methodus, vt comparatur ad quidditatem, sed vt comparatur ad intellectum, quem instruit.

Ob. 3. ex p. anima t. 4. & 5. vbi Arist. quærit, an sit aliqua communis methodus inuestigandi quod quid est in omnibus substantijs, & nominat ibi aliquas dicendo. Videndum est an sit demonstratio, an diuisio, an alia aliqua methodus: tunc sic, si definitio esset vera methodus notificans quid est, vana esset dubitatio Aristotelis; non enim

enim ei opus fuisset de ea dubitare, & confugere ad alias methodos, cum in promptu esset methodus definitiua, ergo cum de hac re dubitet, & mentionum non faciat de definitione, signum est quod ex eius sententia definitio non potest esse methodus.

Resp. ex Aegidio p. de anima t.4. & 5. Aristotelem merito dubitare de methodo venandi quidditatem, quia de hac re triplex fuit opinio: vna Hippocratis asserentis quidditatem inuestigandam esse per demonstrationem: altera Platonis docentis inuestigandam esse per diuisionem: tertia Aristotelis asserentis inuestigandam esse per compositionem; & quia quælibet ex his opinionibus magnos habebat defensores, ideo Aristoteles dixit, quod est difficile scire, quis sit modus accipiendi quidditatem; non tamen cum hoc excludit definitionem, sed tantum opiniones, quæ tunc temporis de hac re vigebant, refert. Hæc ex Aegidio, qui addit, quod ex illis opinionibus prima nō est vera; quia, vt patet ex 2. post est impossibile demonstrare ipsum quod quid est; secunda est per accidens; quia diuisio per accidens facit ad constitutionem definitionis; tertia est per se, quia componere propriam differentiam cum proprio genere, per se facit ad constitutionem definitionis rei.

Deinde hoc eodem argumento præmo authorem suum .f. Zabarellam. Ab Aristotele diuisio hoc in loco numeratur inter methodos, & tamen per te diuisio non est methodus, ergo ex eo quod non enumeret definitionem, cur eam vis excludere à methodo? aut quod robur habebit tuum hoc argumentum, dum negas diuisionem esse methodum quam apertè Arist. methodum appellat? si negas quod dixit, quomodo scis id, de quo mentionem non fecit? Ego vero dico Aristotelem mentionem de definitione non fecisse, quia agebat de ea respectu quidditatis respectu cuius non est methodus, sed tantum respectu intellectus, quem dirigit in concipienda quidditate.

Ob.4. ex Arist. 2. prior. c. 23. & p. post. t. 33. & 6. eth. c. 4. omnia autem credimus, aut per syllogismum, aut per inductionem, ergo definitio non est methodus, alioquin male dixisset Aristoteles, quod omnia credimus per ista; cum etiam per definitionem credamus.

Resp. ex Aegid. 2. prior. t. 23. quod ibi Arist. loquitur de modis arguendi perfectè per figuras, & per consequens loquitur de methodo illatiua, non de methodo tantum directiua.

Ad 2. Resp. cum Aegid. p. post. t.33. Arist. ibi loqui de modis sciendi illatiuis; nam ait, quod deficiente sensu deficeret scientia secūdum illum sensum, ideo non possemus tunc per demonstrationem, & inductionem addiscere, quia demonstratio, & inductio supponunt omnes sensus. Videatur ibi Aegidius.

Ad authoritatem desumptam ex 6. eth. dico Arist. ibi loqui de scientia, quæ per demonstrationem acquiritur progrediendo à noto ad ignotū cum illationis necessitate, & hac de causa de definitione mentionem non fecisse: cœterum vbi necesse

cesse fuit, sermonem de ea fecit; nam 2. post.loquendo de quæstionibus, quæ ideo quæruntur, vt sciantur, dicit quod per solam definitionem satisfacimus quæstioni quod sit; cum ad interrogationem factam per quid, non demonstratione, sed sola definitione respondeamus.

Ob. 5. modus sciendi est regula dirigens, non vero est quid dirigibile, sed definitio est dirigibilis, & de facto dirigitur à Logica, quæ tradit præcepta bene definiendi: ergo definitio his præceptis, dirigitur; ergo non potest esse regula dirigens.

Resp. neg. mi. Logica enim non tradit præcepta definitionis respectu definitionis obiectiue conceptæ, quia definitio essentialiter est talis, & ideo dirigi non potest, sed respectu intellectus formaliter concipientis ad hoc vt bene conficiat, & bene vniat conceptus definitionis. Explico exemplo, Mathematicus agens de figuris non tradit pręcepta respectu trianguli v. g. quia triangulus essentialiter includit tres angulos æquales duobus rectis, sed respectu intellectus, adhoc vt debito modo formet conceptum trianguli; cum ergo definitio non reguletur, sed regulet, non habet vnde decidat à ratione methodi.

Ob. 6. simplex appręhensio est vnicus simplex actus: sed vnicus simplex actus non est capax directionis: ergo simplex appręhensio non est capax directionis: ergo definitio non potest dirigere simplicem appræhensionem, & per consequens non potest esse methodus respectu primæ operationis intellectus.

Resp. ea doctrina superius tradita cum Aegidio, dist. mi. non potest dirigi, vt est operatio rationis specificatiue, concedo: vt reduplicatiue est actus rationis, nego: simplex appræhensio specificatiuè concepta, non est capax directioni, sed in hoc conuenit cum actibus aliarum potentiarum, qui naturaliter, & sine arte eliciuntur à suis principijs; at reduplicatiue concepta, quatenus .s. per eam producitur aliquis conceptus, dirigi potest, tùm qnantum ad hoc quod est debitè simplicem conceptum producere; tùm quantum ad hoc, quod est debitè applicare: cùm enim intellectus sit potentia cognoscens, nec statim, ac intelligit genus, intelligat differentias, per quas debite contrahitur errare potest, tùm in formatione conceptus tùm in contractione, & ideo indiget regulari, & regulatur per explicationem eorum, quæ pertinent ad definitionem, .s. generis & differentiæ de quibus in lib. prædicamentorum.

Rogas An descriptio sit modus sciendi?

Resp. cũ Aegid. in prol. post. pag. 2. col. 2. quod sicut cõtingit errare in definitione dupliciter: vel definitionem non debitè formando: vel eam non debitè adaptando; sic etiam contingit errare dupliciter in descriptione, vel eam non debitè formando, vel eam non debitè adaptando: vnde & per ipsam regulatur: in habentibus definitionem, regulatur per definitionem; in non habentibus regulatur per aliquid loco definitionis .s. per descriptionem; & hæc non differt à modo sciẽdi per definitionem formaliter,

sed tantum materialiter: quia est eadem formaliter regulatio in vtraque, & tantum est diuersitas quoad ea, supra quæ cadit.

SECTIO TERTIA.

Vtrùm enunciatio sit methodus, vel modus sciendi?

§. 1.

Aegidij sententia proponitur, & comprobatur.

PRima sententia est asserentium modos sciendi esse tres. I. Definitionem, Diuisionem, & Argumentationem; atquè adeo enunciationem non esse modum sciendi. Hanc sententiam tradunt communiter omnes ferè Doctores, vt Complut. Ouiedo, Arriaga, Ioannes à S. Thoma, & omnes, qui hac de re scripserunt.

Secunda sententia est Aegidij asserentis inter tres modos sciendi, enunciationem locum habere, & esse secundum modum sciendi, quo mediante secunda intellectus operatio dirigitur, & regulatur. Ita docet tùm in prol. post. tum Elench. pag. 2. eamdem sententiam hac in re sequitur Auersa, licet plures alios modos sciendi admittat, vt videre est tom. 1.

Hæc sententia vera est, & amplectenda.

Pro cuius explicatione præmitto ex Aegid. quodl. 4. q. 7. & p. 5. dist. 19. p. 2. q. 1. & lib. 1. perhier. pag. 49. col. 3. quod veritas, & falsitas formaliter, & tanquam in dicente, & cognoscente, est in intellectu speculatiuo: res enim non cognoscuntur per cognitionem, quæ sit in ipsis, nec per aliquid in ipsis existens, sed per aliquid existens in intellectu; cum sint cognitæ, non prout sunt in seipsis, sed prout sunt in cognoscente; & ideo sunt veræ, non per veritatem, quæ sit in ipsis formaliter, sed per id, quod est in cognoscente, ratione cuius, intellectus assimilatur, adæquatur, & conformatur rebus: hinc veritas dicitur formaliter consistere in adæquatione rei ad intellectum, quatenus intellectus habet in se similitudines à rebus causatas, per quas rebus ipsis adæquatur, & ab illis pendet tanquam mensuratum à mensura. Propriè autem veritas, & falsitas est in intellectu componente, & diuidente; vnde vt in hac operatione sit veritas, oportet quod intellectus per illas similitudines à rebus causatas, iudicet conformiter ad res causantes de earumdem rerum identitate, vel diuersitate: nam vt iudicat identitatem componit, & si iudicium rebus conformetur, est verum; secus est falsum; vt verò iudicat diuersitatem, est diuisio, & si conformiter diuidat, iudicium est verum, secus est falsum.

Præmitto secundo ex quodl. cit. quod formæ, per quas intellectus iudicat, sunt in intellectu, ex 3. de anima t. 2. sicut erant membra animalis apud Empedoclem. Posuit enim Empedocles, quod à principio membra animalis erant diuisa, & non solum animalis membra, sed & rami arborum, vt erat caput sine collo, & erat crus sine spatulis, & sic de singulis, & hoc etiam modo rami arborum erant diuisi; superuenit autem amicitia, & hæc diuisa coniunxit, & quædam coniunxit rectè, quædam non rectè: quæ autem

con-

coniuncta fuerunt rectè, fecerunt verum animal, & saluatum est, quæ autem non fuerunt rectè coniuncta, vt quando coniunctum fuit caput bouis, cum collo equi, fecerunt animal, quod saluari non potuit. Hoc etiam modo apud intellectum res habent esse diuisum, sed intellectus componit, & diuidit, & hoc facit rectè, & non rectè; quando tamen sic coniungit faciendo propositionem affirmatiuam, & sic diuidit faciendo propositionem negatiuam, secundum quod sunt in re coniuncta, vel diuisa; dicitur facere propositionem veram, & quando è contrario, falsam.

Præmitto tertio quod intellectus tàm in componendo, quàm in diuidendo huiusmodi species, & similitudines rerum errare potest: tùm quia habet similitudinem specierũ, quas ad inuicem vnire, & diuidere potest: tùm quia non statim, ac intelligit subiectum, intelligit prædicatum ei conueniens; nec statim, ac intelligit prædicatum, intelligit subiectum, cui conueniat: vnde nè ex tanta rerum varietate, & ex ingenita potentialitate erret; indiget quibusdam regulis, & præceptis, quibus in tali vnione, & diuisione dirigatur; hæ autem regulæ traduntur in lib. perhier. vbi assignantur præcepta formandi enunciationem necessariam, contingentem, vniuersalem, particularem, &c. insuper traduntur præcepta enunciationis veræ, vel falsæ, affirmatiuæ, & negatiuæ; & dicitur, quod tunc enunciatio est vera, quando enunciat id, quod est; tunc est falsa, quando enunciat id, quod non est: & quod enunciatio aliquãdo enunciat, quod non est esse, vt quando quod est falsum affirmatur, & aliquando enunciat quod non est, non esse, vt quando quod est falsum, negatur.

His præmissis pro resolutione sit conclusio. Enunciatio est methodus sciendi dirigens secundam operationem intellectus. Probatur ratione Aegidij in prol. post. loc. cit. De ratione essentiali methodi sciendi est manifestare intellectui aliquid ignotum, nè circa ipsum erret; sed enunciatio essentialiter manifestat intellectui aliquid ignotum, nè erret circa ipsum in componendo, & diuidendo; ergo enunciatio est essentialiter methodus sciendi; pr. min. quia enunciatio manifestat intellectui subiectum vniendum esse cum prædicato debito, & prædicatum indebitum remouendum esse, & præscribit regulas formandi veras propositiones; quibus dirigitur potentialitas secundæ operationis, vt in ea possit esse iudicium conforme ad res de identitate, & diuersitate rerum.

Confirmatur, intellectus in secunda operatione est in potentia, quia non statim, ac intelligit subiectum, intelligit prædicatum; nec statim, ac intelligit prædicatum, intelligit subiectum, cui conueniat: ergo nè erret indiget aliquo modo sciendi, quo hæc eius potentialitas dirigatur; sed dirigitur per enunciationem, quæ tradit supradicta præcepta; ergo enunciatio erit modus sciẽdi dirigens secundam operationem intellectus.

Ar-

§. 2.

Argumenta, & solutiones propono.

VErum contra hanc propositam veritatem. Ob. 1. Vt enunciatio sit modus sciendi dirigens secundam operationem intellectus, ne in ea accidat error, debet habere in se rectitudinem veritatis; sed hanc non habet: ergo non potest esse modus sciendi; pr. mi. quia veritas est idem quod rei entitas, nam dispositio cuiuslibet rei in entitate, est sua dispositio in veritate: sed entitas rei est in ipsis rebus, non verò in enunciatione: ergo veritas rei erit in rebus, non autem in enunciatione, & per consequens enunciatio non habebit in se rectitudinem veritatis.

Resp. ex Aegid. quodl. cit. neg. mi. & ad prob. dist. ma. veritas est idem quod entitas secundum eamdem rationem, nego; secundum diuersam, concedo: nam natura rei est quædam entitas secundum se, sed est quædam veritas, vt comparatur ad intellectum: vnde eadem natura rei, quæ est in se entitas formaliter, prout comparatur ad intellectum potest esse veritas causaliter, & eadem natura potest dici entitas, & veritas; vnum formaliter, aliud causaliter; ex hoc tamen non sequitur, quod veritas sit in rebus, nisi sicut in causa. Ita Aegid. Vbi noto quod differre secundum rationem, hic non est differre secundum intellectum, sed secundum formalitatem, & causalitatem.

Dices contra, quæ differunt secundum rationem, vnum potest intelligi sine alio: sed ens non potest intelligi non intellecto vero: ergo verum non differt secundum rationem ab ente, & per consequens sicut entitas est in rebus, ita & veritas.

Resp. ex Aegid. p. 5. pag. 111. col. 4. dist. mi. non potest intelligi ens non intellecto verò specificatiuè, concedo, reduplicatiuè nego: licet enim nunquam intelligatur aliquid, quod non sit ordinabile ad intellectum, quod est intelligere verum specificatiuè, potest tamen aliquis intelligere ens, non considerando aliquid de ratione intelligibilitatis, & sic intelligendo, licet intelligat ens, quod est verum; dicitur tamen intelligere ens sine verò, & hoc sufficit ad hoc vt verum, & ens ratione distinguantur.

Ob. 2. veritas consistit in iudicio, quo intellectus iudicat de identitate, & diuersitate rerum secundum earum exigentiam; ergo non cõsistit in enunciatione, & per consequens hæc non potest esse modus sciendi dirigens intellectum, nè erret.

Resp. dist. ant. consistit in iudicio formaliter concedo, regulatiuè, & directiuè nego; sic enim consistit in enunciatione, quæ dum regulas præscribit debitè enunciandi, dirigit intellectum, vt formaliter iudicet de identitate, & diuersitate rerum iuxta earum exigentiam.

Ob. 3. quando intellectus reflectitur ad contemplandam veritatem non comparat enunciationem cum obiecto, sed comparat obiectum in esse appræhenso ad se ipsum in esse reali, ergo rectitudo veritatis non consistit in enunciatione, sed in conformitate reperta inter esse obiectiuum, & reale: ergo enunciatio non est modus sciendi.

Resp.

Resp. neg. ant. quia equus albus, v. g. vt est obiectum in esse appræhenso potest duobus modis considerari, primo in se, & absolute; secundo per comparationem ad rem, cuius est similitudo; intellectus autem quando enunciat equum esse album, comparat per actum reflexum enunciationem cum illo obiecto appræhenso, non vt est aliquid in se, & absolutè; sed vt est ipsum obiectum reale in esse appræhenso: vndè eo ipso quod comparat actum cum obiecto in esse appræhenso, dicitur comparare directè actum cum obiecto, & consequenter obiectum expressum cum obiecto in re, quia illud in esse intelligibili est idem cum obiecto in re.

Ob.4. cum intellectus appræhendit huiusmodi terminos .s. verum, vel falsum; appræhendit veritatem, vel falsitatem, & tamen non enunciat; ergo enunciatio non est regula dirigens intellectum ad veritatem assequendam, & ad falsitatem euitandam.

Resp. dist. ant. appræhendit veritatem, vel falsitatem complexè nego; incomplexè concedo; hic autem est sermo de veritate complexa, quæ per secundam operationem exprimitur, & ex vi enunciationis regulatur.

Resp. 2. ex Aegid. quodl. cit. dist. ant. appræhendit veritatem, vel falsitatem, vt oppositas ad inuicem nego: quia ad hoc requiritur compositio, vel diuisio: vt important simplices conceptus, concedo; sic enim etiam in prima operatione intellectus reperitur veritas, vel falsitas.

SECTIO QVARTA.

Vtrùm syllogismus sit methodus sciendi.

§. 1.

Proponitur Aegidij sententia, & approbatur.

COmmunis sententia est syllogismum esse methodũ sciendi. Hanc etiam docet Aegidius tùm in prol. post. pag. 2. tùm in prol. Elench. cùm qua pro resolutione.

Sit conclusio. Syllogismus est methodus, seu modus sciendi.

Probatur autem primo, quia methodus est instrumentum intellectuale manifestans aliquod ignotum: sed syllogismus est huiusmodi: ergo est vere, & proprie methodus; pr. mi. quia ex Arist. 1. prior. Syllogismus est oratio, in qua quibusdam positis necesse est aliud quiddam sequi ex eo, quod illa sunt .i. est oratio habens vim manifestandi consequentiam, quæ ex præmissis rite dispositis deducitur; ergo, &c.

Secundo probatur ex Aegidio in prol. post. pag. 2. quia modus sciendi dirigit potentialitatem intellectus in assecutione alicuius ignoti: sed syllogismus proprie dirigit tertiam potentialitatem intellectus, vt sine errore assequatur cognitionem alicuius ignoti: ergo &c. pr. mi. quia intellectus noster non statim, ac intelligit principia intelligit conclusiones, quas tamen intelligit per syllogismum: ergo syllogismus manifestat aliquid ignotum: ergo &c.

Rogas quomodo differat hic modus sciendi à reliquis?

Re-

Respondeo differre in hoc, quod alij modi sciendi simpliciter manifestant intellectui aliquid ignotum, syllogismus verò manifestat ignotum cum illationis necessitate saltim quantum ad formam.

Rogas quotuplex sit methodus syllogistica.

Respondeo quod duplex est: alia demonstratiua: alia dialectica; nam res ignota vel ex vi methodi cognoscitur scientifice, & sic est demonstratiua; vel probabiliter, & sic est dialectica, seu syllogismus dialecticus, qui probabilitatē rei manifestat. Item demonstratiua vel est propter quid, & hęc manifestat inhærentiam passionis cum subiecto, & scientiam rigorose acceptam generat; vel est, quia, seu resolutiua, & hæc est processus à posterioribus ad priora, seu ab effectu aliquo notiori ad causam vnde per hanc intellectus venit in cognitionem causæ antea ignotæ, resolutiua item duplex est; alia est demonstratio ab effectu; & hæc manifestat ea, quæ valde obscura sunt, & abscondita, ducitque intellectum in eorum inuentiones: vnde per eam inuenitur causa ignota: altera est inductio, de qua Aristoteles p. post. t. 134. & vltimo cap. lib. 2. asserit, quod proprium eius officium est, vt per eam principia confirmentur: est enim inductio processus à posterioribus ad priora, & quia vniuersale est natura prius particularibus, & habet rationem causæ; ideo processus à particularibus ad vniuersale, est à posterioribus ad priora, & ad causam. Est autem inter has duas resolutiones latum discrimen; quia per primam, seu per demonstrationem à signo inueniuntur illa principia, quæ secundum naturam sunt ignota, ad quorum inuentionem inutilis est inductio: at per secundam .s. per inductionem non inueniuntur nisi illa principia, quæ sunt nota secundum naturam, & leui egent probatione; vt dicam in lib. post.

Rogas. Enthymema, & exemplū quæ sunt instrumenta logicalia, habent nè rationem methodi?

Respondeo ista secundum se non esse methodos, bene tamen vt reducuntur ad syllogismum, & inductionem: nam enthymema est syllogismus truncus, qui nisi perficiatur, nihil illatiue colligit, nec manifestat: si vero perficiatur, iam est syllogismus, & vim habet illatiuam: Exemplum autem est inductio imperfecta, quæ nihil ex necessitate concludit, vt docet Aristoteles 2. priorum in fine: vnde id quod colligit, ex vi inductionis perfectæ ad quam reducitur, colligit; ideo Arist. c. de inductione ait. Omnia enim credimus aut per syllogismum, aut per inductionem: nisi ergo hæc duo reducantur ad syllogismum, & ad inductionem non habent vim manifestandi illatiue ignotum, quod requiritur ad methodum syllogisticam; hæc enim, vt dicebatur, distinguitur ab alijs methodis; quia manifestat cum illationis necessitate, & proinde à ratione methodi, dum secundum se considerantur, remouentur.

§. 2.

Argumenta soluuntur.

VErum contra ea, quæ dicta sunt Ob. 1. si syllogismus esset methodus sciendi, maximè esset, quia

quia duceret intellectum in cognitionem alicuius veritatis; intellectus enim in tertia operatione ideo indiget dirigi, ne in ea erret: sed ex vi syllogismi intellectus non ducitur in cognitionem veritatis: ergo syllogismus non est modus sciendi: pr. mi. quia ex vi syllogismi duci potest in cognitionem falsitatis: nam si dicatur. Omnis homo est Asinus, Petrus est homo: ergo Petrus est Asinus: intellectus ex vi huius syllogismi ducetur in cognitionem falsitatis.

Resp. neg. mi. & ad prob. dist. potest duci quantum ad formam, nego: quantum ad materiam cui applicatur forma concedo: ex vi enim formæ ducitur in cognitionem inhęrentiæ prędicati cum subiecto, quam prius ignorabat: quod vero hæc inhærentia in re sit falsa, non oritur ex formalitate methodi, sed ex eo quod materia indebitè applicatur; vt autem sit methodus satis est quod ex sua formalitate, & in sua linea habeat manifestare ignotum.

Ob. 2. Syllogismus sophisticus est methodus, & tamen non ducit intellectum in veram cognitionem alicuius ignoti: ergo methodus syllogistica non ducit intellectum, &c. ant. pr. quia habet vim illatiuam, cum ex præmissis inferat conclusionem.

Resp. ex Aegidio 1. Elenc. pag. 4. neg. ant. & ad prob. dist. habet vim illatiuam veram nego: existimatam concedo: sicut enim non est verus syllogismus, sed existimatus, & apparens: ita non habet veram vim illatiuam: sed existimatam, & apparentem, ideo apparenter tantum, & non vere potest dici methodus.

Ob. 3. Aristoteles in lib. Elēch. ex instituto agit de syllogismis sophisticis: ergo erunt de consideratione logicali, sed non possunt considerari à Logica tanquam instrumenta pertinentia ad ordinem, & diuisionem: ergo tanquam pertinentia ad methodum, & per consequens erunt vere methodi sciendi.

Resp. ex Aegid. loc. cit. dist. consequens: erunt de consideratione Logicæ primo, & per se nego: secundario, & per accidens concedo; nam ars primo, & per se considerat id, quod intendit; secundario verò id, quod debet vitare: & sic Logica considerat de sophisticis tanquam .s. de obliquitatibus rectorum, quæ obliquitates sunt ab arte vitandæ: eadem ratione grammatica nō tantum considerat congrua, quæ ab ea intenduntur tanquam amplectenda: sed etiam incongrua, quæ vitare intendit.

SECTIO QVINTA.

Vtrùm diuisio sit methodus, vel modus sciendi?

§. 1.

Sententia Aegidij proponitur, & approbatur.

PRæsens difficultas non procedit de diuisione nominis, aut orationis in multas significationes: nec de diuisione totius integralis in multas partes integrantes, aut de diuisione speciei in partes, vt cum diuiduntur Equi in albos, & nigros; quia hæ, vel aliæ consimiles non sunt vtiles ad propositum, sed procedit tantum de diuisione generis in species, vt cum diuiditur genus per oppositi-

positas differentias; ideo Aegidius 1. priorum pag. 43. ait, si aliqua diuisio vtilis esset ad intentum, maximè esset diuisio generis, quia hæc ponebatur à quibusdam, vt necessaria ad definitionem probandam.

Qua in re communis sententia asserit diuisionem esse modũ sciendi, ità Doctores supracitati.

Opposita sententia docet diuisionem non esse modum sciendi, ità Aegidius in prol. Elenc. pag. 2. col. 2. & colligitur ex 1. post. pag. 106. & ex 1. prior. pag. 43. & Zab. lib. 3. de methodis c. 7. 8. & 9. Quæ sententia est vera, & amplectenda.

Pro resolutione sit conclusio. Diuisio non est methodus, vel modus sciendi.

Probatur 1. ex Aegid. in prol. cit. modus sciendi est instrumentum dirigens aliquam operationem intellectus in ordine ad cognitionem alicuius ignoti: sed diuisio non dirigit intellectum ad cognitionem alicuius ignoti: ergo non est modus sciendi; ma. pt. ex dictis; mi. pr. quia diuisio, & compositio important per se actum intellectus, nempe secundam eius operationem, quæ est in sua potentialitate regulanda: ergo diuisio cum sit actus dirigibilis, non potest esse regula dirigens; pr. ant. ex Aegid. dicente. *Videtur tamen, si per se loqui volumus, quod magis accipienda sit diuisio Dialectica secundum conceptus, & intentiones, quæ formantur ex his actibus, vt dicamus, quod in lib. prædicamentorum determinatur de simplicibus conceptibus, vt de quidditatibus, & conceptibus decem generum: in libro autem perhier. determinatur de enunciatione, quæ formatur ex intellectu componente, & diuidente: componente quantum ad enunciationem affirmatiuam, diuidente quantum ad negatiuam*; ergo compositio, & diuisio important actum intellectus dirigibilem, non verò modum, & regulam directiuam.

Confirmatur, quia ex 3. de anima secunda operatio intellectus est compositio, & diuisio: ergo diuisio est actus dirigibilis, non verò regula dirigens.

Secundo pr. quia vel est modus sciendi in ordine ad inueniendas partes definitionis ignotas, & construendam definitionem: vel in ordine ad cognoscendum numerum specierum, qui antea ignorabatur: sed neutrum dici potest: ergo non erit modus sciẽdi; pr. mi. quoad p. p. ex Arist. 2. post. & Aegid. ibidem pag. 106. primo quia per id quod non syllogizat aliquid propositum, & non obseruat formã syllogisticam ad probandum propositum, non potest probari quod quid est: sed per diuisionem redactam ad syllogismũ non syllogizatur aliquid propositum, nec obseruatur forma syllogistica: ergo per diuisionem non potest probari quod quid est; prob. mi. quia si quis vellet probare per syllogismum diuisiuum, quod homo esset rationalis, argueret sic: omne animal vel est rationale, vel irrationale, homo est animal: ergo homo vel est rationalis, vel irrationalis: ex hoc autem non concluditur propositum; quia propositum erat probare, quod homo esset rationalis: non quod esset rationalis, vel irrationalis: ergo diuisio redacta ad syllogismum non manifestat aliquod propositum.

Secundo probatur ex Aristot. & Aegid.

Aegid. ibid. per syllogismum diuisiuum petitur quod est in principio; ergo per ipsum non potest manifestari quod quid est; pr. ant. quia syllogismus diuisiuus arguit, quod homo vel sit rationalis, vel irrationalis: sed quod homo sit rationalis, non autem irrationalis (quod est principale intentum) non probat, sed sine probatione accipit: ergo petit quod est in principio; prob. conseq. quia quando sine probatione accipitur principale intentum, petitur principium.

Tertio probatur ex eodem, quia diuisio accipit medium terminum communiorem, quam sit maior extremitas, vel sit illud, quod intendit probare: nam non intendit probare hoc totum, .s. quod homo vel sit rationalis, vel irrationalis, sed quod sit rationalis; ad hoc autem probandũ accipit pro medio animal, quod est communius, quam rationale, sed per magis commune, & vniuersale non potest probari id, quod est minus vniuersale, nam per substantiam probari non potest animal de homine; aliàs in prima figura fieret syllogismus cum maiori particulari: ergo nec per syllogismũ diuisiuum poterit probari quod quid est.

Venio ad alteram partem, & probo, quod diuisio non sit vtilis ad notificandum numerum specierum; primo quia numerus specierum per accidens se habet ad scientiam: ergo respectu eius non est necessaria methodus; pr. ant. quia ad scientiam de animali parum refert scire an species animalis sint mille, vel bis mille: sed tantum sat est scire passiones eisdem speciebus inesse: ergo propter huiusmodi numerum non est necessaria methodus.

Secundo quia cognitio numeri sequitur ad cognitionem specierũ, siuè distinctam, siuè confusam: ergo pro manifestatione numeri non est necessaria methodus distincta ab ea, quæ manifestat species esse, & earum essentias; pr. ant. de cognitione confusa, quia stante cognitione quod species sint, bene possumus imperfectè numerum cognoscere, hæc tamen cognitio erit imperfecta, quia dum natura specierum ignoratur, meritò dubitari potest, an duæ aliquæ species, quæ sunt, sint essentialiter distinctæ, an verò sint vna essentialiter, & duæ accidentaliter; vt patet de Asino, & Mulo: ergo cognitio numeri specierum non est seiuncta à cognitione an sint, & quid sint, sed potius est cum eis coniuncta.

Confirmatur, quia Arist. 1. ph. demonstrando quod principia sint, & quid sint, numerum eorum consequenter declarat: ergo nulla datur ostensio numeri seiuncta à quæstione an sint, & quid sint; ergo numerus specierum ignotus nulla methodo declarari potest, nisi illa eadem, qua vel essentia, vel existentia declaratur.

Tertio ex Zab. si diuisio manifestaret numerum specierum, vel talis processus est, & à genere ad differentias; & hoc dici nequit, quia ex genere non possunt colligi differentiæ, aliàs vltimæ differentiæ essent nobis notæ, cum nobis sit notum ipsum genus. Vel esset à genere ad species, & hoc non, quia à genere ad species non valet consequentia, nisi species supponantur alio modo notæ: nam potest dari species in-

termedia nobis ignota, & ratio Aegidij est, quia species non se excedunt punctaliter: ergo genus in nullo processu potest esse nobis notius, vt ex eo possimus procedere ad indagandas species. Vel est processus à differentijs ad species tamquam à noto ad ignotum, & non; quia tunc peteretur principium: nam talis illatio fieri non potest, nisi supposito, quod numerus specierum ignotus inferatur ex numero differentiarum noto; hoc autem est probare idem per idem; quia differentia est ipsa essentia speciei, nec potest esse nota, dum species ignoratur.

§. 2.

Aliorum argumenta soluuntur.

COmmunis ferè omnium recentiorum sententia asserit diuisionem esse modum sciendi, vt ex supradictis constare potest, cum quibus Ob. p. à genere ad differentias valet consequentia; vt dicendo, est animal, ergo vel est rationale, vel irrationale: ergo à genere possunt inferri differentiæ, & manifestari.

Resp. dist. ant. quando differentiæ supponuntur notæ alia via, v.g. per signum, per effectum, vel per aliquem sensum concedo: quando non supponuntur alia via notæ, nego; pro tanto enim valet, pro quanto prius notum est dari aliquam speciem animalis rationis compotem, & aliam rationis expertem, qua stante cognitione valet consequentia, non tamen valeret si differentiæ non supponerentur notæ; cùm enim vt docet Aegid. quodl. 3. q. 5 species vniuersi non se excedãt punctaliter, sed inter eas possit dari species media; si quis sine cognitione specierum, & differentiarum argueret à genere, ad species erraret, quia inter species ad quas descenderet, possent dari multæ aliæ species sibi ignotæ, vt valeat ergo consequentia, oportet quod prius huiusmodi species, & differentiæ alia via supponantur notæ. Imo cum ab animali ad Deum sit distantia infinita, & quæ nunquam possit euacuari, & ob hanc rationem fieri possint semper aliæ, & aliæ species animalium, nunquam potest à genere ad species valere consequentia, nisi hæ supponantur notæ; quia forte erit alia species à Deo condita, & nobis adhuc ignota, ratione cuius ex vi diuisionis non poterit intellectui manifestari differentiarum vel specierum numerus.

Ob. 2. syllogismus, in quo non petitur principium potest aliquid ignotum manifestare: sed syllogismus diuisiuus est talis, vt in eo non petatur principium: ergo poterit aliquid intellectui manifestare, & per consequens erit modus sciendi. pr. mi. syllogismus dialecticus non petit principium: sed diuisio est syllogismus dialecticus: ergo non petit principium; ma. pr. quia talis syllogismus procedit ex notioribus, & probabilioribus.

Resp. ex Aegid. p. priorum pag. 43. quod syllogismus dialecticus factus per diuisionem est syllogismus ex hypothesi, quatenus cõcludit affirmationem vnius diuidentium .s. illius, quod principaliter intenditur, ex negatione alterius tamquam ex hypothesi: vnde debet illa negatio syllogisticè ostendi, tamquam destructio alterius diuidentium, vt vbi

osten-

ostensa, & conclusa fuerit, sit postea processus ad affirmationē eius, quod principaliter ostēditur. Ex quo fit, qnod diuisio nequeat esse syllogismus dialecticus, aut possit concludere intentum sine petitione principij antequam destructio alterius diuidentium ostēdatur, à qua postea fiat transitus ad constructionem alterius, quæ principaliter intenditur. Hæc ex Aegid. Ad arg. ergo in forma neg. mi. & ad prob. dist. mi. diuisio est syllogismus dialecticus antequam destructio alterius diuidentium ostendatur, nego: vbi ostensa fuerit concedo: tunc autem non est amplius diuisio, sed verus syllogismus; & ideo diuisio, vt diuisio nequit esse modus sciendi.

Ob. 3. si dicatur homo est mortalis, vel immortalis: sed non est immortalis: ergo est mortalis. In hoc syllogismo vtraque præmissa est communior, & notior conclusione, ergo syllogismus iste ex diuisione sumptus erit ex prioribus, et notioribus: ergo erit sine petitione principij.

Resp. ex Aegid. ibid. dist. mi. subsumptam; vtraquè est communior conclusione secundum consequentiam concedo: secundum connexionem nego, quia aggregatum ex illis præmissis æquale est conclusioni, & æquè igotum ac conclusio, antequam ostendatur assumpta negatiua, & sic adhuc in eo petitur principium.

Dices illa ratio intendit hominē esse mortalem, & hoc idem syllogizat, & concludit: ergo non petit principium, sed probat, & manifestat.

Resp. ex Aegid. neg. ant. quia diuisio tantum potest inferre alterum diuidentium sub diuisione, non tamen determinatè, & tamen intentum est concludere alterum determinatè; hoc autem quod intenditur, non syllogizatur, sed sumitur sine ostensione.

Ob. 4. definitio est methodus, & tamen non est illatiua: ergo & diuisio poterit esse methodus etiam si non inferat.

Resp. neg. conseq. quia definitio licet non sit illatiua, est tamen manifestatiua, & regulatiua intellectus, diuisio vero neutrum habet, vt constat ex rationibus pręmissis, ideo est penitus à ratione modi sciendi exclusa.

Ob. 5. ex Arist. p. prior. t. 4. & ex Aegid. ibi, & 2. post. t. 19. diuisio est vtilis ad habenda ea, quæ sunt in quodquid est, & est quædam parua particula dictæ methodi: ergo erit manifestatiua, & methodus sciendi.

Resp. ex Aegid. ibid. dist. ant. est vtilis ad habenda ea via collectiua, concedo: via manifestatiua nego: non enim per diuisionem manifestatur an tales differentiæ sint essentiales, vel accidentales diuiso, sed ad hoc cognoscendum regulamur per ea, quæ sunt communia toti prædicamento v. g. substantiæ; nam si dicant essentiam, vel partem essentiæ per se existentis, poterunt esse essentialia his, quæ sunt sub animali, & speciebus eius: si vero non sint talia, non erunt essentialia; cum ergo intellectus quoad hanc cognitionem non reguletur ex vi diuisionis, sed alia via, non poterit diuisio esse manifestatiua, aut modus sciendi; dicitur autem parua particula methodi, quatenus aliquo modo

est vtilis saltim ex parte rei scibilis, vt infra ostendam.

Ob. 6. Aegid. in artem vet. de subiecto Logicæ docet quod modus sciendi est triplex .s. definitiuus, diuisiuus, & collectiuus, & in prohæmio Elen. & alibi docet quod diuisio est modus procedendi, & agendi in scientijs : ergo erit modus sciendi.

Resp. Aegidium loqui largè de modo sciendi, quatenus omne instrumentum Logicale inseruiens intellectui, siue ad disponendas res consideratas siue ad eas manifestandas dicitur modus sciendi.

SECTIO SEXTA.

Vtrùm in scientijs seruandus sit ordo naturæ, vel doctrinæ.

§. 1.

Sententiæ proponuntur, & vera cum Aegidio approbatur.

ORdo est habitus instrumentalis, quo docemur cuiusque disciplinę partes cōuenienter disponere est autem difficultas vnde nam talis dispositio sumenda sit, cù enim non sit temere à nobis talis dispositio facienda, examinandum est vnde sit desumenda. A duobus autem sumi potest; primo à rerum cōsiderandarum natura, secundo à meliori, & faciliori nostra cognitione : à quo ergo principio sit desumenda quæritur in præsenti.

Prima sententia est asserentium sumendam esse à rerum considerandarum natura, vt prius in scientia de hac vel illa re pertractetur, quia ita exigit rerum natura: qui consequenter asserunt, in scientijs seruandum esse ordinem naturæ.

Secunda sentētia docet ordinationem partium considerandarum ex nostra faciliori cognitione sumendam esse; ita vt de ea prius pertractetur, quæ nobis notior est, nō quę natura; nisi simul etiam illa, quæ est notior natura, sit etiā nobis notior. Hanc sententiam sequitur Aegidius loc. mox citandis, Zab.lib.p. de methodis, & alij communiter. Pro resolutione.

Sit conclusio. In scientijs disponendis seruandus est ordo doctrinæ, ita vt prius de ea re pertractetur, quæ nobis est notior. Hæc conclusio est Aegidij, qui cap. de differentia pag. 9. ait rectè Porphyrium prius egisse de specie, quam de differentia : quia licet differentia sit principium speciei, & proinde sit natura prior, non est tamen prior quantum ad cognitionem; ergo ex Aegidio in dispositione rerum considerandarum seruandus est ordo facilioris nostræ cognitionis, non vero naturæ, nisi quando in idem coincidunt.

Secundo probatur ex eodem, cap. de relatione, vbi ait, Ideo Aristotelem egisse de relatione in concreto, non in abstracto, quia concreta sunt nobis notiora : ergo in rerum consideratione inspiciendus est ordo doctrinæ.

Tertio ex Aegidio p. Elenc. pag. 32. col. 4. vbi quærens An Aristoteles recte prius determinauerit de fallacijs in dictione, quam extra dictionem. Respondet, quod aliquid est prius ordine doctrinæ, quod non est prius in esse, fallaciæ enim extra dictionem plus fallunt, & sunt principaliores fallaciæ, quam sint fallaciæ in dictione : tamen quia doctri-

na

na à facilioribus debet incipere, ideo ordine doctrinæ fallaciæ in dictione præcedunt fallacias extra dictionem: ergo ex Aegidio in disponenda scientia seruandus est ordo doctrinæ.

Deinde hoc ipsũ probatur rationibus, quibus vtitur Zab. & primo, quia si huiusmodi dispositio sumenda esset à natura rerum considerandarum, nõ daretur alius ordo, quam compositiuus: nam in omnibus simplicia, & principia sunt priora compositis, & principiatis, & per consequens in omnibus disciplinis semper incipiendum esset à principijs: sed datur etiam ordo resolutiuus, & in aliquibus ab eo est inchoandum: ergo non est sumenda à natura rerum considerandarum: pr. mi. ex Arist. 7. met. t. 23. vbi ait, artes omnes effectrices tradendas esse ordine resolutiuo, qui est à cognitione finis, & compositi ad principia, & simplicia: vt v.g. in arte ædificandi primum est incipiendum à definitione domus ædificandæ, & exinde descendendum est ad fundamenta, parietes, tectum, & ab his ad lapides, lateres ligna, & cementa.

Secundo probatur, quia Aristoteles in Analyticis ordinem resolutiuum seruauit, & tamẽ hic ordo nõ sequitur ordinem naturalem rerum: ergo ratio ordinandi disciplinas non debet sumi ab ordine naturali rerum considerandarum: Hinc in lib. prædicamentorum relationem qualitati anteposuit ob faciliorem doctrinam, & neglexit ordinem naturæ, qui expostulabat, vt prius de qualitate, quam de relatione pertractaret, cùm absolutum sit natura prius respectiuo: quia tamen in capite de quantitate mentionẽ fecerat de relatione, ideo ordinem doctrinæ sequens, prius de ea determinauit.

Confirmatur ex Arist. 5. met. dicente, non semper in disciplinis principium cognitionis esse principium rei: sed id vnde facilius discimus: ergo &c.

Vltimo probatur, quia scientiæ traduntur non vt in rebus statuatur ordo, hic enim iam à natura præfixus est: sed vt nos discamus: ergo eo ordine sunt scientiæ tradendæ, quo melius, & facilius discimus; & ideo dicitur ordo doctrinæ, quia faciliori modo acquiritur doctrina sic tradita, & disposita.

§. 2.

Argumenta soluuntur.

VErum contra propositam veritatem Ob. p. Aristoteles p. ph. cap. 1. inchoauit scientiã à principijs, non quia nobis notiora sint: sed quia sunt principia, & per consequens secundum naturam anteponenda: ergo ex Arist. in scientia seruandus est ordo naturæ.

Resp. Aristotelem non inchoasse philosophiam à principijs, quia sint natura priora principiatis: sed quia nõ possumus aliorum cognitionem assequi, nisi ex cognitione principiorum, & per consequens Aristoteles ex nostra cognitione, non ex rerum natura motiuum ad talem ordinem seruandum accepit.

Ob. 2. Principia rerum naturalium non sunt nobis notiora principiatis, sed multo ignotiora: ergo si seruandus esset ordo facilioris cognitionis, incipiendum esset à principiatis,

& ex

& ex eis ad principia procedendum.

Pro hoc argumento noto cum Zab. quod cognitio duplex est, vna imperfecta, & confusa: altera perfecta, & distincta, & vtraque duplex alia enim est simpliciter perfecta; alia vero tantum in genere .s. pro conditione, & natura illius disciplinæ.

Noto 2. quod duobus modis aliquid est notius altero: aut enim ita est notius illo, vt ad illius cognitionem acquirendam conferat; aut ita est notius, vt tamen non conferat ad aliud cognoscendum; triangulus enim est notior primo motore, eius tamen cognitio nihil confert ad cognitionem primi motoris; & de hoc notiori non est sermo. Notius autem quod confert triplex est: nam vel est notius alio tamquã causa cognitionis illius: quia .s. huius cognitio facit nos assequi cognitionem alterius, siue distinctam, siue confusam; quo pacto generatio est nobis notior prima materia, & est medium ad eam cognoscendam: vel est notius altero, non quidem vt medium, & causa cognitionis alterius; sed vt necessarium pro illius cognitione assequenda, & sic animal est notius equo, quia ad cognitionem saltim distinctam equi est necessaria cognitio animalis, etsi hæc non sit causa per se illius, sed tantum dici possit causa sine qua non: vel est notius altero ex eo tantum quia est vtile ad cognitionem alterius; eo enim cognito facilius alterius cognitio assequitur, & ita se habet cognitio prædicabilium respectu prædicamentorũ, & cognitio sensus visus respectu tactus; licet enim prædicamenta sine præuia cognitione prædicabilium, & sensus tactus sine præuia cognitione visus, possint simpliciter cognosci, non tamen ità facile, sed magna cum difficultate; at eorum cognitione præmissa, facilius cætera cognoscuntur.

His præmissis Resp. ad arg. dist. ant. non sunt nobis notiora cognitione confusa concedo: cognitione distincta nego; sic enim principia sũt simpliciter notiora, & ideo prius cognoscenda, quam principiata; & id oritur ex eo, quia principia magis cognoscibilia sunt: possunt enim distinctè cognosci absque distincta cognitione principiatorum: at principiata non possunt distinctè cognosci, nisi supposita cognitione distincta principiorum; quia cognitio eorum pendet à cognitione causæ; cognitio tamen causæ non pendet à cognitione effectus. Ex quo fit quod si ratio ordinandi sumeretur à nostra cognitione confusa vim haberet argumentum: quia tamen sumitur à sola cognitione distincta, ideo nihil valet.

Ob. 3. Ita debemus disponere res considerandas à scientia, vt prius possimus speculari illa, quæ sunt cõmuniora secundũ naturam ex Arist. 1. ph. t. 53. sed principia sunt communiora secundum naturam: ergo debemus ita disponere res considerandas, sicut exigit earum naturą, non verò nostra facilior cognitio.

Resp. Aristotelem ibi loqui de natura intellectus nostri, cuius hæc est natura, vt propria non cognoscat, nisi prius communiora cognouerit: non verò loqui de natura rei cognoscendæ.

Ob. 4. In partibus philosophiæ procedimus à communioribus, quia natu-

natura sua sunt priora: ergo & in tota philosophia eundem ordinem seruare debemus, & sic ordinem naturæ: pr. ant. quia 2. de anima t.34. ideo speculatio de anima exordium sumit à vegetatiua, quia natura sua hęc est omnium prima; ergo seruandus est ordo naturæ.

Confirmatur, quia ex Aristotele habemus, semper incipiendum esse à primis.

Resp. dist. consequens quando non vrget ratio facilioris nostrę cognitionis concedo: quando autem vrget, nego: tunc enim seruandus est ordo doctrinæ, & quia in anima vegetatiua non vrget ratio facilioris cognitionis; cum eadem sit vtroque modo cæteris notior, ideo in eius tractatione seruatur ordo naturæ.

Ad confirmationem Resp. incipiendum semper esse à primis, quãdo reliqua non possunt sine eis cognosci ita facile, concedo; secus autem nego; & Aristoteles primo modo est intelligendus.

Ob. 5. Si hoc esset verum peruerteretur ordo philosophiæ: sed hoc non est dicendum: ergo nec id, ex quo sequitur; pr. ma. quia prius nobis nota sunt elementa, quã cœlum: ergo prius agendum esset de elementis, quam de cœlo.

Resp. quod ob hanc rationem Aristoteles antequam de cœlo inciperet pertractare, quandam rudem elementorum cognitionem præmisit, vt fecit 5.ph. cum de motu recto, & circulari locutus fuit, & 8.physic. vbi præmissa quadam facili cognitione elementorum, statim postea aggreditur speculationem de cœlo.

Ob. 6. Ordo debet accomodari naturis rerum: ergo talis est seruandus, qualis est ordo ipsarum rerum; ergo seruandus est ordo naturæ.

Resp. dist. ant. debet accomodari naturis rerum, vt præscindentibus à nostra cognitione nego: vt à nobis cognoscendis concedo: tales autem sunt naturæ rerum, vt dicunt habitudinem ad cognoscentes, vt aliæ sint nobis notiores, aliæ ignotiores, aliæ faciliores, aliæ difficiliores; aliquæ ad aliarum rerum cognitionem conferant, non tamen è conuerso; hic autem ordo non semper est ille, quem res habent à natura, vt præscindente à cognitione, sed contingere potest hunc illi esse contrarium.

Ob. 7. Non est proprium ordinis incipere ab vniuersalioribus; nam Euclides in primis quatuor libris egit de elementis, & speciebus magnitudinis, in quinto verò egit de magnitudine, quæ est genus ad omnia elementa: ergo incepit à particularibus ad vniuersalia.

Resp. Euclidem rectè ita fecisse, quia ad cognoscendam essentiam specierum nulla generis cognitio requirebatur, cum illæ definitiones specierum sint per se notæ, & non dependeant à cognitione generis, & ideo nulla in primis quatuor libris ab eo fit demonstratio, quæ à demonstrationibus quinti dependeat, nec è contra: quia ergo nulla in cognoscendo erat dependentia, potuit tùm à primo, tùm à quinto incipere; incæpit tamen à primo, quia quæ ibi dicuntur sunt facillimæ cognitionis; quæ verò in quinto difficillimæ, etsi sine dependentia vnius ab altero, quantum ad cognitionem.

Colligitur ex his differentia inter

ordinem, & methodum syllogisticam: nam methodus ista procedit à notioribus secundum primam acceptionem notioris .s. ex quibus inferuntur illa ignota, quæ quæruntur: ordo autem procedit à notioribus iuxta secundam, & tertiam acceptionem, non tamen iuxta primam, nisi aliquando per accidens, in ordine enim illud semper est obseruandum, vt ab his incipiamus, quæ vel necessario, vel saltim ad bene esse, & vtile est cognoscere, vt alia, quæ cognoscenda remanent, facilius cognoscantur, & ideo in ordine nulla est illatio, sed tantum dispositio rerum tractandarum; vt hæc prius tractetur, illa verò posterius.

Colligitur 2. differentia inter hæc duo instrumenta quantum ad vtilitatem; nam methodus syllogistica vtilis est ad notificandum, quod est ignotum, & facit vt discamus, cum aperiat id, quod erat absconditum: ordo verò non habet vim docendi, & manifestandi ignotum, sed tantum disponendi res, vt facilius doceamur: sic cognitionem sensus visus, & tactus ex methodo ista agnoscimus, vt verò hanc melius, & facilius consequamur ex ordine habemus: melius quidem, quia aliter disponendo, cognitio optima in eo genere haberi non posset: facilius verò, quia licet possit acquiri cognitio perfecta, etiam eo ordine non seruato; hæc tamen acquireretur magno cum labore, & cum ingenti difficultate.

Colligitur 3. definitio ordinis, quæ ex fine, & vtilitate sumi debet, & est. Ordo est habitus instrumentalis, quo ita vniuscuiusque disciplinæ partes ita disponere possumus, vt quantum fieri possit, optime, & facillime ea disciplina à nobis addiscatur. Hæc definitio est optima, cum & naturam definiti declaret, & vniuersalem rationem ordinandi, ex fine, & vtilitate ordinis desumptam, exprimat.

SECTIO SEPTIMA.

Vtrùm tantum duplex sit ordo .s. Compositiuus, & Resolutiuus.

§. 1.

Sententiæ referuntur, & vera eligitur.

FVit sententia Galeni, quam postea Medici secuti fuerunt, tres esse species ordinis, .s. compositiuum, resolutiuum, & diffinitiuum.

Altera sententia est asserentium duas tantum esse species ordinis, nempe compositiuam, & resolutiuam; quæ sententia vera est, & amplectenda: vnde pro resolutione.

Sit conclusio species ordinis sunt tantum duæ .s. ordo compositiuus, & ordo resolutiuus.

Pro hac conclusione noto quod cum finis ordinis sit nostra melior, & facilior cognitio (in hoc enim ordinis essentia consistit) ex nostra cognitione sumendæ erunt species ordinis: omnis autem nostra cognitio vel est propter se ipsam, vel est propter operationem ad extra exercendam; prima est ea, quæ intenditur in scientijs speculatiuis; in his enim vltimus finis est ipsa contemplatio veritatis: secunda verò, licet intendat cognitionem veritatis, non tamen ibi sistit, sed vltra ordinatur ad extra, nempe ad operandum ea, quæ ab hominum volunta-

te

te iuxta exigentiam illius cognitionis fieri possunt: prima est in scientijs speculatiuis: secunda verò in practicis, & in omnibus artibus. Ex hac cognitionis, & disciplinarum diuersitate, oritur necessitas duplicis ordinis: nam si scientia propter se quæritur, incipiendum est à primis principijs, & sic est necessitas ordinis compositiui: si verò facultas vltimatè quæritur propter operationem, incipiendum est à cognitione finis, & ex ea procedendum est ad cognoscenda principia, à quibus postea inchoanda est operatio; & sic est necessitas ordinis resolutiui: compositiuus enim ordo procedit à primis principijs ad principia posteriora, & ad ea, quæ ex principijs fiunt: ordo verò resolutiuus à fine proposito progreditur ad indaganda principia, per quæ finis ille postea ad extra produci possit. Quo præmisso.

Probatur conclusio, quia omnis scientia, vel facultas, aut intenditur vltimatè propter se, aut propter finem ad extra producendum, & nulla datur alia facultas, quæ sub aliquo membro ex his non compræhendatur: ergo omnis facultas aut tradi poterit ordine compositiuo, aut resolutiuo: ergo non est admittendus alius ordo, sicut non admittitur alia facultas; necessitas enim ordinis ex necessitate facultatum sumenda est, & ex ea oritur.

Secundo probatur, quia Aristoteles nō cognouit nisi ordinem compositiuum, quem significat 1. ph. c.1. & lib. 1. meteorolog. & resolutiuum, de quo egit 7. met. t. 23. & lib. 6. de moribus c. 5. qui est ordo artibus, & morali philosophiæ conueniens: ergo non est admittendus alius ordo.

Tertio, quia vbi sunt multa ordinatè cōsideranda, quorum alia sunt aliorum principia, nullus alius conueniens ordo seruari potest, quam vel à principijs ad vltima; vel ab vltimo ad principia: ergo omnis ordo vel erit cōpositiuus, vel resolutiuus, & nullus dabitur ordo definitiuus.

Rogas quomodo hi ordines definiendi sint?

Resp. quod ordo compositiuus sic congruè definiri potest. Est habitus instrumentalis Logicus, quo speculatiuæ scientię partes ita disponuntur, vt à primis principijs ad alia, & tandem ad principiata deueniatur, vt quantum in eo genere fieri potest, rerum tractandarum scientia, facillime acquiratur.

Ordo resolutiuus est habitus instrumentalis Logicus, quo à notione finis ab homine libere producendi, progreditur ad inuenienda principia, à quibus postea inchoanda est operatio, & finis producēdus.

§. 2.

De scientijs, quibus hi ordines inseruiunt.

INsinuatum est ordinem compositiuum inseruire scientijs speculatiuis, resolutiuum verò artibus, & scientijs moralibus, vtrumque modo est probandum.

Quod ergo ordo compositiuus seruandus sit in acquisitione scientiæ speculatiuæ, probatur 1. quia finis scientiæ speculatiuæ est sola cognitio veritatis: sed hæc haberi non potest, nisi ex cognitione principiorum; quia ex Arist. 1. ph. tunc scimus,

quando principia cognoscimus: ergo scientia speculatiua inchoanda est à primis principijs: ergo in ea seruandus est ordo compositiuus, qui est à principijs ad principiata.

Secundo, quia ordo resolutiuus est quando à cognitione finis progredimur ad alia à fine diuersa, & ipso priora; sed hoc non reperitur in acquisitione scientiæ speculatiuæ, quia finis talis scientiæ non est diuersus à cognitione sui obiecti: ergo in eius acquisitione vti non possumus ordine resolutiuo, sed tantum compositiuo.

Quod verò in artibus, & facultatibus moralibus disponendis seruandus sit ordo resolutiuus, probatur, quia in artibus duo sunt .s. finis producendus, & principia ex quibus est producendus: vt in ædificatoria finis producendus est domus: principia, vel media per quæ est producenda sunt lateres, lapides, ligna, &c. & licet quando domus est à parte rei ædificanda, seruetur ordo compositiuus .s. à lateribus, lapidibus, lignis, &c. ad fundamenta, parietes, tectum, & ad totam domum compositam ex his: quando tamen per scientiam eius cognitio est tradenda, seruatur ordo resolutiuus, quia proceditur à cognitione finis propositi ad cognitionem mediorum, per quæ domus est ædificanda: ergo in artibus incipiendum est à fine, & procedendum ad principia: ergo seruandus est ordo resolutiuus.

Rogas. Quisnam ordo ex istis sit nobilior, & perfectior?

Respondeo nobiliorem esse ordinem compositiuum; & ratio est tùm quia hic ordo nobilioribus scientijs inseruit: tum etiam quia numquam ordinatur ad ordinem resolutiuum; ordo tamen resolutiuus ad compositiuum ordinatur; ducit enim ad principiorum cognitionem, à quibus postea incipit operatio, quæ ordine compositiuo procedit. Qui plura de ordine cupit, legat Zabarellam lib. 1. & 2. ac 3. de methodis.

§. 3.
De vtilitate diuisionis.

Constat ex dictis diuisionem methodum non esse, quia vero inter instrumenta logicalia numeratur, dubitari potest ad quod instrumentorum genus pertineat, cum ad methodum non spectet?

Respondeo diuisionem tantummodo vtilem esse in disponendo, & proindeà non ad methodum, cuius est manifestare ignotum: sed ad ordinem esse reducendam: nam ad partes totius disciplinæ rectè disponendas, non parum rerum considerandarum diuisio iuuat, atque adeo diuisio ad scientiam ordinandam conducit. Hinc artifex prius subiectum à se contemplandum statuere debet; postea vti diuisione diuidendo ipsum, & subdiuidendo iuxta eius exigentiam; facta autem diuisione, illico debet ordinem attendere, & membra diuisa ita disponere, sicut nostra facilior cognitio expostulat; & sic diuisio vtilis erit ad præfatam dispositionem. Vtilis etiam est ad definitionem, non quidem quia eius partes, species, aut differentias manifestet, sed quia ad eas, iam cognitas, ordinate, & distinctè enumerandas, conducit. Quod si quis contendat diuisionem non posse

ſe proprie ordinem vocari, parum iam præmiſſis officiet; nam ſaltim non negabit eam eſſe ordinis miniſtram, & vt inſtrumentum minus principale ad inſtrumenta logicalia principaliora, reducendam eſſe. At ſatis de methodis.

CAPVT TERTIVM. De Definitione.

§. I. *Quid, & quotuplex ſit definitio.*

CVm definitio pertineat ad primam operationem intellectus: ſitquè primus modus ſciendi, idcirco ante alia de ea dicendum eſt.

Definitio igitur in ſua ratione generica, ex Ariſt. 2. poſt. c. 2. t. 5. & Aegidio ibi: eſt oratio explicans quid eſt definiti. In hac definitione oratio ponitur loco generis: quia in ratione orationis conuenit definitio cum alijs modis ſciendi: aliæ particulæ ponuntur loco differentiæ, quia per illas differt definitio à reliquis modis ſciendi, & à quibuſcunque alijs.

Quia verò quid eſt, duplex eſt ex Ariſt. & Aegid. 1. poſt. c. 1. nempe vel eſt quid eſt quod dicitur per nomen: vel eſt quid rei; ideo & definitio duplex eſt, alia namquè eſt definitio explicans quid nominis; alia eſt definitio explicans quid rei.

Definitio explicans quid nominis ex Aegidio 1. poſt. c. 1. & c. 4. eſt oratio referens nomen in ſuum ſignificatum: ſeu eſt oratio notificans quid importetur per nomen. Et duplex eſt; alia quæ dicitur interpretatio; alia quæ dicitur Ethymologia. Definitio quæ dicitur interpretatio, eſt oratiò explicans vnũ nomen per alia nomina, ex Aegid. p. perhier. vt ſi quæratur, quid eſt philoſophus? bene reſpondetur per definitionem interpretatiuam, quod eſt amator ſapientiæ: hæc enim eſt interpretatio huius nominis philoſophi. Definitio quæ dicitur Ethymologia ex Aegid. p. ſent. diſt. 24. p. 2. q. 2. eſt oratio ſignificans illud, ad quod ſignificandum nomen eſt impoſitum; quo pacto lapis dicitur à læſione pedis.

Eſt autem not. ex Aegidio ibidem, quod non omne quod includitur in ethymologia nominis, pertinet ad ſignificatum nominis: ſi enim omne tale pertineret, tunc definitiones ſubſtantiarum eſſent per additamenta, quod tamen eſt falſum: nam cum in ethymologia nominis ſignificantis ſubſtantiam ponatur accidens, vt in ethymologia lapidis ponatur læſio pedis: tunc ſi omne incluſum in hac ethymologia ad rationem nominis pertineret, accidens eſſet de ſignificatione nominis ſubſtantialis, & ſic læſio pedis eſſet de ſignificatione lapidis, quod nomen ſubſtantiam ſignificat: & quia ratio quam ſignificat nomen eſt definitio ex 7. met. t. 28. ideo in definitione lapidis poneretur accidens, & per conſequens talis definitio eſſet per additamenta.

Definitio quid rei duplex eſt ex Aegidio p. poſt. loc. cit. alia ſubſtantiæ, alia accidentis: Definitio quid rei ſubſtantiæ eſt oratio reſoluens ſignificatum nominis in principia, quæ ſunt de eſſentia eius; vt homo eſt animal rationale: nam animal, & rationale ſunt principia eſſentialia hominis, quia ſine eis homo

mo nequit esse, nec intelligi.

Definitio quid rei accidentis est oratio resoluens significatum nominis, non tantum in principia quæ sunt de essentia eius; sed etiam in principia, quæ sunt extra essentiam: quia principia accidentis non solum sunt accidentia, sed etiam sunt substantia, qua de causa accidens definitur per additamenta: hoc est per aliquid quod ad eius essentiam non pertinet.

Definitio substantiæ duplex est, alia essentialis, alia accidentalis: de prima iam dictum est: de secunda dico, quod est ratio explicans significatum nominis per accidentia, vt si dicatur homo est animal risibile, bipes &c.

Definitio essentialis duplex est: alia quæ datur per partes essentiales metaphysicas .s. per genus, & differentiam; vt homo est animal rationale; animal est genus, & rationale est differentia: alia quæ datur per partes essentiales physicas .s. per materiam, & formam: vt homo est compositum ex materia, & forma rationali. Hæc definitio dicitur etiam causalis intrinseca, quia datur per causas intrinsecas .s. per materialem, & formalem.

Definitio accidẽtalis duplex est: alia quæ datur per accidentia propria .s. per proprias passiones, vt homo est animal disciplinabile, risibile, &c. Alia est definitio accidentalis, quæ datur per accidentia communia: vt dicendo homo est animal pulchrum bipes, implume, habens caput erectum: quę accidentia licet separatim conueniant alijs à definito, tamen simul iuncta soli homini conueniunt.

Est etiam alia diuisio definitionis essentialis ex Aegid. 2. post. nam alia est definitio essentialis dicens propter quid essentiæ; & hæc est indemonstrabilis: alia dicit quidditatem essentiæ; & hæc est demonstrabilis: alia dicit simul vtrumque, & hæc est tota demonstratio sola positione differens.

§. 2.

Regulas, & modos arguendi assigno.

MVltæ assignantur regulæ, & conditiones bonæ definitionis; præcipuæ tamen sunt istæ. Prima est, quod definitio debet esse clarior, & notior suo definito: ratio autem est, quia definitio debet manifestare naturam definiti; quod si non esset clarior suo definito, non posset ipsum manifestare: hac de causa Aegid quodl. 5. q 9. ait, quod definitio est quasi quoddam speculum, in quo clare cernitur natura rei.

Secunda est quod definitio debet esse propria definiti ex Aegid. 2. post. c. 3. & noto cum eodem, quod alio modo est propria definiti ipsa definitio, alio modo differentia, & alio modo passio. Definitio est propria, quia dicit totum essentiale ipsius definiti, ęt per modũ totius. Differentia est propria, quia prædicatur essentialiter de definito per modum partis. Passio est propria, quia emanat ab essentia definiti.

Tertia est, quod definitio, debet dici ad conuertentiam cum definito ex Aegidio ibidem: hac de causa genus non est definitio, quia licet prędicetur in eo quod quid, non tamen prædicatur ad conuertentiam.

Quar-

Quarta est quod definitio non sit superflua, neque diminuta ex Aegidio ibidem. Et noto cum eodem ibidem, quod tribus modis definitio propria potest esse superflua: primo si contineat aliquod accidentale, vt si dicatur: homo est animal vigilans: secundo si contineat plures differentias substantiales, vt si dicatur homo est substantia animata, sensibilis, gressiua. Tertio si detur per differentias superexcellentes, & transcendentales: nam cum istæ transcendant naturam definiti, non possunt eius quidditatem perfectè explicare. Ratio autem quare non debeat esse superflua est, quia potius confusionem pareret, quam claritatem: non debet esse diminuta, quia non explicaret totam essentiam definiti: est autem diminuta quando deest differentia constitutiua: vel quando definitio in plus se habet, quam definitum; deest enim tunc vltima differentia.

Quinta est quod constet ex genere, & differentia ex Aegid. tum ibi, tùm lib. de causis prop. 17. litt. B. & ratio est, quia cum definitio explicet essentiam definiti, & essentia omnium causatorum referatur ad duo .s. ad genus, & differentiam, qui sunt termini inter quos clauditur essentia causati; ideo definitio explicans essentiam rei debet constare ex his terminis .s. ex genere, & differentia: hinc oratio constans ex proprio genere, & propria differentia dicta est definitio rei, quia est quasi finitio eius; cùm fines, & terminos rei contineat: hac etiam de causa definitio ab Arist. vocatur terminus: quia .s. terminat, & finit essentiam definiti. Intelligitur hæc regula de propria definitione: hæc enim debet constare ex proprio genere, & propria differentia. Quod si loquendum sit de definitione vtcumquè, tunc ad eam satis est quod habeat aliquid loco generis, & aliquid loco differentiæ.

Ex regulis traditis de definitione duo colliguntur modi arguendi per definitionem: primus est. A definitione ad definitum affirmatiuè valet argumentum: nam ex Aegid. 2. post. c. 2. definitio prædicatur de definito vniuersaliter, & affirmatiuè; & ideo prædicatur in prima figura. Argui etiam potest negatiuè, & semper est bona consequentia, vt est animal rationale: ergo est homo: Item, non est animal rationale; ergo non est homo. Secundus est. Quicquid prædicatur de definitione, prædicatur etiam de definito, & è contra. Hoc autem intelligendum est de prædicatis, vt dicunt quid rei, vt docet Aegid. 1. sent. dist. 5. p. p. q. 2. a. p. ideo non valet, animal rationale est oratio: ergo homo est oratio: item animal rationale est definitio: ergo homo est definitio: animal rationale est genus, & species, ergo homo est genus, & species.

Rogas quomodo respondendum sit ad interrogationes factas de definitione?

Resp. quod si quæratur, quæ est ista definitio? respondendum est, essentialis, vel accidentalis; physica, vel metaphysica, &c. si quæratur qualis sit ista definitio? Respondendum est bona, vel mala: bona, quando seruat leges assignatas: mala quando eas transgreditur: nunquam tamen respondendum est vera, vel falsa: cùm definitio spectet ad pri-

mam

mam operationem intellectus, in qua non est veritas, vel falsitas.

Cæterum quia definitio est principale instrumentum Logicæ, & multa continet scitu digna, quæ in philosophia sparsim tradũtur; placet ea ex doctrina Aegidij colligere, & in disputationem redigere.

DISPVTATIO SECVNDA De Definitione.

SECTIO PRIMA. Vtrùm Definitio Definitionis sit rectè tradita.

§. 1.

Vera sententia cum Aegidio proponitur, & approbatur.

DEfinitio definitionis ex Aegidio assignata, in qua dicitur est ratio explicãs quid est definiti, compræhendit tàm definitionem nominis, quam rei, cùm & ipsum quid est duplex sit, vel quid nominis, vel quid rei: & proinde non differt in re à definitione communiter tradita, qua dicitur definitio est oratio explicans naturam rei, vel nominis significationem quæritur autem de ea, An sit rectè tradita.

Qua in re nulla est opinionum diuersitas: solum sunt quidam asserentes definitionẽ debere esse orationem copulam includentem, de qua sententia dicam in propria sede: vnde cum ferè nulla sit hac de re inter Doctores diuersitas, pro resolutione.

Sit prima conclusio. Definitio necessario, & essentialiter debet esse oratio, seu terminus complexus. Hæc conclusio est Aegidij pluribus in locis, præcipue tamen in prol. Elench. & in prol. post. pag. 2. dicẽte. *Primo ergo* intellectus noster est in potẽtia, quia non statim cum intelligit genus intelligit differẽtiam, nec statim cum intelligit differentiam intelligit speciẽ; propter quod errat in intelligendo simplicia, & in formando definitionem: nam licet circa intellectum simplicium non contingat error per se: accidit tamen ibi error per accidens, prout in ipso intellectu simplicium ratione modi intelligendi habet esse ibi quædam compositio, quæ duplex est &c. Ita Aegidius, ex quo probo conclusionem sic.

Omne id, quod essentialiter includit plures terminos simplices, essentialiter est oratio, seu terminus complexus: sed definitio essentialiter includit plures terminos simplices: ergo definitio essentialiter est oratio, vel terminus complexus: primi. quia definitio essentialiter includit genus, & differentiam, qui sunt plures termini incomplexi: ergo definitio essentialiter includit plures terminos simplices.

Secundo argumẽto ex Aegid. lib. de causis prop. 17. litt. D. essentia definiti clauditur, & finitur terminis essentialibus, qui sunt genus, & differentia: ergo definitio claudens hanc essentiam debet intrinsece importare genus, & differentiam; alias si tantum vnum importaret, essentia definiti esset ex vna parte finita, & clausa, ex alia vero non: ergo debet esse oratio, vel terminus complexus complectens vtrumque terminum.

Tertio argumentor. Essentia definiti intrinsece duo habet, .s. conuenire

nire cum alijs in eodem genere, & differre per propriam differentiam specificam ab alijs speciebus sub eodem genere contentis: ergo vt hæc essentia explicetur sicuti est, definitio quæ eam explicat, debet importare genus, in quo cum cæteris definitum conuenit, & differentiam per quam à ceteris stantibus sub eodem genere differt: ergo definitio debet complecti hos duos terminos simplices, & per consequens debet esse terminus cōplexus, seu oratio.

Dices hæc quidem esse vera de definitione explicante naturam rei substratæ intentionibus; res enim ipsæ conueniunt in genere, & differunt in specie; non tamen esse verum de ipsa definitione, vt transit in definitum, aut de definitione definitionis: & ratio est, quia in prædicamentis constituuntur ipsæ res, & primæ intentiones, non verò secundæ, seu instrumenta logicalia, vt est definitio, & proinde importare terminos essentiales conuenit rebus in linea prædicamentali positis; non verò secundis intentionibus.

Contra, quia etiam si definitio vt instrumentum logicale non habeat terminos essentiales reales, sicut habet res definita; tamen in sua linea duo habet; nam & conuenit cū alijs instrumētis logicalibus, & cum alijs conceptibus formatis per rationem, & etiam differt ab illis: ergo vt in sua linea eius natura explicetur, & finiatur, exigit genus, & differentiam, qui sunt termini essentiam rei, seu definiti claudentes: ergo definitio definitionis, quæ essentiam definitionis explicat, debet importare in sua linea genus, & differentiam: ergo necessario debet esse oratio, & terminus complexus.

Sit secunda conclusio. Definitio per se tantum est bona, vel mala; per accidens tamen potest dici vera, vel falsa. Hæc conclusio est Aegidij in prol. Elench. pag. 3. & in prol. post. pag. 2. dicentis. Poterit ergo in talibus esse error, vel quia debitam differentiam non coniungimus debito generi, vt puta si latum adderemus lineæ: vel quia debitam definitionem non addimus debito definito, vt puta si definitionem vnius rei adaptaremus alteri. Hæc Aegid. & idem docet quodl. 4. q. 7. ex quibus.

Probo conclusionem. Vbi est debita conuenientia, ibi est bonitas; hæc enim consistit in conuenientia: sed in definitione per se est debita conuenientia; nam definitio ex sui natura expostulat, vt debita differentia coniungatur cum debito genere: ergo in definitione ex sui natura est bonitas; & si non sit debita adaptatio, erit disconuenientia, & per se erit mala.

Probo secundam partem, quia illud est falsum .i. verum per accidēs, quod est tale non ratione sui, sed ratione alterius: sed definitio est vera, vel falsa ratione alterius, nempe ratione enunciationis formatæ per secundam operationem intellectus, in qua conceptus appræhensi per primam operationem ad inuicem prædicantur: ergo definitio erit vera, vel falsa per accidens; nam si fuerit facta debita vnio generis cum differentia, & horum cum specie, & postea affirmetur definitio de definito, tunc in illo complexo antecedenti resultabit quædam veritas, & è contra si termini simplices fuerint

indebite vniti, resultabit falsitas ex vi falsæ enunciationis.

Dices definitio pertinet ad intellectum, cuius obiectum est verum, & non ad voluntatem, cuius obiectum est bonum: ergo definitio non potest dici bona, vel mala, sed vera, vel falsa.

Resp. ex Aegidio quodl. cit. termini definitionis possunt comparari ad duo, vel ad intellectum cognoscentem: vel ad inuicem in ratione vnionis: si comparentur ad intellectum, sic debent dici veri, & non boni, cum obiectum intellectus sit verum; non tamen erunt veri veritate opposita falsitati, sed veritate simplicis cognitionis: si comparentur ad inuicem in ratione vnionis, sic possunt esse boni, vel mali, secundum quod vnio erit debita, vel indebita; & hoc secundo modo intelligitur conclusio.

§. 2.

Argumenta quædam propono, & soluo.

VErùm contra propositam veritatem Ob. primo de intrinseca ratione definitionis est, quod sit clarior, & notior suo definito: ergo definitio non potest definiri, quia iam esset notior, & ignotior; esset notior ex eo quia esset definitio, esset ignotior ex eo quia definiretur per aliam definitionem respectu cuius esset definitum, & sic esset ignotior; quia definitum est minus notum definitione.

Confirmatur primo quia idem non potest esse simul definitum, & definitio: sed si definitio definiretur esset simul definitio, & definitum: ergo definitio non potest definiri. pr. mi. quia esset definitio, cum hæc sit eius natura, esset definitum, quia explicaretur per aliam definitionem: ergo esset simul definitio, & definitum.

Confirmatur 2. quia definitio definitionis comprehendit tanquam obiecta definita omnes definitiones: ergo comprehendit etiam se ipsam: ergo definitur per se ipsam, & per consequens non per aliquid clarius, sed per æquè notum, aut ignotum: ergo ad euitanda hæc inconuenientia dicendum erit quod definitio non possit definiri.

Ad hoc argumentum respondent Complutenses pag. 7. rationem definitionis in communi definiri per quamdam definitionem in particularis seu definitionem in actu signato definiri per qnamdam definitionem in actu exercito, & proinde idem non esse notius, & ignotius, nec idem definiri per se ipsum: quia definitio in communi, quæ est definitio in actu signato, non est definitio in actu exercito, sed potius definitum, quod explicatur per quamdam definitionem in actu exercito.

Respondet secundo Ouiedo cōtr. 2. p. p. non esse inconueniens quod idem vt obiectum definiatur per se ipsum tanquam per definitionem formalem; esse autem inconueniens quod idem per se ipsum, vt obiectū definitionis formalis definiatur; vnde definitio vt obiectum non potest definiri per definitionem, vt obiectum, sic enim idem definiretur per idem: definitio tamen vt obiectum potest definiri per se ipsam, vt per definitionem formalem.

Neutra responsio placet, vnde vtram-

vtramque ſimul impugno. Ratio formalis ex eo quod intrinſece, & eſſentialiter, ſeu ſeipſa eſt talis, non poteſt habere aliam rationem formalem, qua fiat talis, v. g. albedo quia ſeipſa intrinſecè, & eſſentialiter eſt albedo, ſiue conſideretur vt ſignata, ſiue vt obiecta, numquam tamē poteſt eſſe albabilis per aliam rationem formalem albedinis, nec relatio ex eo quod ſe ipſa eſt relatio, poteſt eſſe referibilis per aliam relationem formalem, ſed ſemper ſe ipſa erit relatio, & numquam referibilis: ſed definitio tam vt ſignata, quam vt obiecta ſe ipſa intrinſecè, & eſſentialiter eſt definitio: ergo eſt incapax alterius rationis, qua formaliter definiatur, & ſi ipſa eſſentialiter eſt definitio, non poteſt eſſe definibilis, etiam ſi concipiatur vt obiectum.

Nec valet dicere hoc verum eſſe ſub eadem conſideratione, non tamen ſub diuerſa: nam

Cōtra eſt, quia albedo ex eo quod eſt albedo formaliter non poteſt ſub vna ratione eſſe albedo, & ſub alia albabilis; nec relatio ſub vna ratione poteſt eſſe relatio, et ſub alia referibilis; quia albedo ſemper eſt albedo, & relatio ſemper eſt relatio, quia ſemper eſt ſua formalitas, qua ſe ipſa eſt eſſentialiter talis: ergo etiam definitio ex eo quod eſt formaliter, & eſſentialiter definitio nō poteſt per diuerſam conſiderationem eſſe definibilis, cum ex vi diuerſæ conſiderationis non deſtruatur, vel varietur ipſa ſua formalitas.

Reſpondeo ergo iuxta ea, quæ dub. 1. de genere ex Aegidio dixi, vnam & eamdem formalitatem, ſeu vnam, & eamdem rem duplicem poſſe habere modum eſſendi; alium quidem in eſſe rei: alium verò in eſſe intentionali; ſic lapis ex 3. de anima duplicem habet modum eſſendi, vnum in eſſe rei, quo pacto eſt extra intellectum: alium in eſſe intentionali, quo pacto eſt in anima, non eſt autem inconueniens quod id, quod in eſſe rei eſt eſſentialiter tale, comparatum poſtea ad ſtatum intētionalem, ſit fundamentaliter tale, v. g. lapis in eſſe rei eſt realiter, & eſſentialiter lapis, eſt tamen fundamentaliter lapis in eſſe intentionali: ſic etiam definitio duplicem ſtatum habet, alium in eſſe rei, & ſic dicit v. g. animal rationale in eſſendo, & ſecundum conceptus reales reſpectu hominis definiti; alium verò in eſſe intentionali, & ſic dicit animal rationale, & alios gradus genericos, & differentiales reſpectu aliorum definitorum, vt conueniunt in hac communi ratione definitionis; ſeu quatenus omnes cōceptus reales, tam generici, quam differentiales, ſtant ſub conceptu communi definitionis, & ſub iſta ſecunda intentione definitionis in communi; licet ergo definitio in eſſe rei non poſſit habere in eodem eſſe aliam definitionem ob inconuenientia adducta; tamen id quod eſt definitio in eſſe rei, & primo intētionaliter, ſi comparetur ad alium ſtatum, & ad ipſum transferatur poteſt deſinere eſſe definitio, & incipere eſſe definibile per ea, quæ ſunt formalia in tali ſtatu, ad quem transfertur, & ſub quo conſideratur; & ideo definitio, quæ eſt formaliter talis primo intentionaliter; poteſt eſſe definibilis, vt habet eſſe ſecundò intentionaliter.

Ad arg. ergo in forma nego conseq. & ad prob. dist. idem non potest esse notius, & ignotius in eodem statu, & secundum eumdem modum essendi, concedo: in diuerso statu nego: & sic definitio hominis in esse rei non potest esse notior, & ignotior, tamen definitio hominis vt conuenit in statu intentionali, seu vt stat sub hac intentione communi sibi, & omnibus definitionibus realibus, .s. sub conceptu definitionis, est ignotior his, quæ sunt in tali statu, & potest definiri per principia formalia talis statûs .s. per esse orationem explicantem naturam rei.

Ad primam conf. dist. ma. idem non potest esse simul definitio, & definitum in eodem modo essendi, concedo: in diuerso nego: & sic id quod est definitio in modo essendi reali, potest esse definibile in modo essendi intentionali.

Ad secundam conf. dist. ant. compræhendit omnes definitiones, quæ sunt tales in esse rei, & primo intentionaliter concedo: quæ sunt tales in esse intentionis nego saltim immediate; sicut nomen vt est terminus secundę intentionis compræhendit materialiter omnia nomina primæ intentionis: non tamen nomina secundæ intentionis; vnde definitio definitionis non potest compræhendere se ipsam saltim immediate, & directe, sed ad summum mediate, & reflexe: & ratio est, quia definitiones compræhensæ sunt tales in esse rei, ipsa verò definitio definitionis non est talis in esse rei, sed est definitio omnium definitionum vt conueniunt in hac communi intentione .s. definitionis, quæ communis intentio est secunda intentio, & ideo non potest immediate, & directe compræhendere se ipsam, sed tantum mediate, & reflexe, quatenus ipsa etiam definitio in illa communi notione conuenit.

Ob. 2. Definitio debet conuerti cum definito; sed definitio definitionis non potest conuerti cum illo; quia definitio in communi, quæ definitur est vniuersalis; ly verò, oratio explicans naturam rei, quæ est definitio definitionis, est singularis; est enim determinata vox, & singularis conceptus: ergo &c.

Resp. applicando distinctionem, qua vtitur Aegid. qu. 4. de cognit. ang. ad arg. vbi docet quod species existens in intellectu Angelico est singularis in essendo, & quoad rem: est tamen vniuersalis in repræsentando: ita etiam dico ad mi. definitio est singularis in essendo concedo: in repræsentando, & significando nego.

Resp. 2. dist. ma. debet conuerti quoad rem significatam concedo; quoad signa significantia, nego.

Ob. 3. Definitio ex Aegid. in prol. Elenc. pag. 2. pertinet ad primam operationem intellectus: ergo non est oratio; quia oratio pertinet ad secundam; cum vera oratio includat copulam.

Resp. ex Aegid. lib. 1. perhier. c. de orat. neg. conseq. & ad probat. dist. oratio, cuius partes separatæ significant vt affirmatio, vel negatio, concedo: oratio cuius partes separatę significant, vt dictio, nego; hæc enim pertinet ad primam operationem in qua esse potest quędam compositio per modum dictionum simplicium; non verò per modum di-

dictionum affirmantium, vel negantium.

Ob. 4. Definitio definitionis conuenit etiam diuisioni: ergo non est bona: pr. ant. quia etiam diuisio resoluit totum in sua principia.

Resp. ex Aegid. 1. post. c. 3. in fine neg. ant. & ad prob. dist. diuisio resoluit totum in sua principia eodem modo, ac definitio, nego: diuerso modo, concedo: nam diuisio resoluit totum in sua principia accipiendo simul vtramque partem: vt dicendo animal, vel est rationale, vel irrationale: definitio verò resoluit totum accipiendo alteram partem tantum, & vniendo eam debito generi, vt dicendo; homo est animal rationale; vnde diuisio resoluit multiplicitatem essentiæ per separationem, & sine manifestatione ignoti: definitio verò resoluit per vnionem, & cum manifestatione ignoti.

Ob. 5. Definitio est oratio: sed definitum non est oratio: ergo non dicitur ad conuertentiam cum definito; alias & definitum esset oratio.

Resp. dist. consequens non dicitur ad conuertentiam quoad rem significatam, seu quoad definitionem obiectiuam, nego: quoad modum significandi, concedo: sic enim non potest esse idem modus significandi, quia definitio habet modum significandi explicitum; definitum verò implicitum, & confusum.

SECTIO SECVNDA.

Vtrùm Definitio dicat rem esse, vel non esse?

§. 1.

Vera sententia ex Aegidio comprobatur.

Est quorumdā sententia, (vt suppressis nominibus refert Ioan. de S. Thoma tom. p. q. 4. a. 2.) definitionē solum inueniri actu in propositione; cum videlicet applicatur suo definito, de quo verificatur, & proinde definitionem esse veram, vel falsam, quia omnis propositio vera, vel falsa est, ex qua sententia sequitur quod definitio dicat rem esse vel non esse.

Communis tamen sententia est asserentiū Definitionem non dicere rem esse, vel non esse: quam sententiam docet Aegidius p. post. t. 25. pag. 42. & hæc vera est, & amplectenda.

Noto primo ex Aegid. l. cit. quod esse duobus modis sumi potest; primo vt competit complexis; secundo vt competit incōplexis: esse vt competit complexis, est esse secundum veritatem, vel falsitatem, aut secundum affirmationem, vel negationē: nam complexa tunc dicuntur esse, cùm sunt vera, tunc non esse, cum sunt falsa; vel tunc dicuntur esse, cùm sunt affirmatiua, tunc non esse cum sunt negatiua, esse vt competit incomplexis triplex esse potest: nam incomplexa, vel sunt in se; vel sunt in suis principijs, vel sunt in appræhensione nostra: vt sunt in se, dicuntur habere esse actuale: vt sunt in suis causis, & principijs, dicuntur

tur habere esse essentiæ, vel esse prædicamentale, aut esse quidditatiuũ: nulla enim rosa existente actu, adhuc remanet rosa in suis causis, alias si in eis non remaneret, tunc destructa rosa secundum esse actuale non plus esset de rosa, quam de chymera; quia tamẽ rosa remanet in suis principijs, quantumcumque rosa non actu existat, ideo dicit certam essentiam, & naturam aptam natam causari ex certis causis; quia vero dicit certam essentiam, ideo etiam dicit rem determinati generis, & determinatæ speciei: & quia dicit rem sic determinatam, dicit ex consequenti rem aptam natam esse obiectum intellectus; vt vero sunt in appræhensione nostra, non habent esse essentiæ, aut prædicamentale, sed tantum sunt entia apud animam, & sunt figmenta eius; & tale esse competit Chymeræ, & hircoceruo; de quibus non est sermo in præsenti. Aduertit autem Aegid. quod illud esse rosæ quod præscindit ab actuali existentia, vt significat determinatam essentiam, & naturam; dicitur esse essentiæ: vt significat rem determinati prædicamenti, dicitur esse prædicamentale, & vt est obiectum, & non significatum intellectus nostri, dicitur esse quidditatiuum. Ita ex Aegidio.

Not. 2. quod ad hoc vt rosa dicat determinatam essentiam, & quidditatem, non oportet quod sit in se, & in actu, sed sufficit quod sit in suis causis, & ideo esse quidditatiuum, vel esse essentiæ competit rosæ nulla rosa existente in actu.

His notatis pro resolutione sit conclusio: Definitio non dicit esse conueniens cõplexis, sed tantũ esse conueniens incomplexis, vt tale esse est esse essẽtiæ, vel prædicamentale, aut quidditatiuum. Hæc conclusio est Aegidij loc. citato, & est communis inter doctores.

Probatur autem prima pars, quia esse cõueniens cõplexis est esse verum vel falsum: affirmatiuum, vel negatiuum: sed definitio non est vera, vel falsa; aut affirmatiua, vel negatiua: ergo non dicit esse conueniens complexis; prob. mi. quia definitio est conceptus conueniens rei incomplexæ, non autem propositioni, & ideo non est conceptus verus, vel falsus.

Secundo probatur ex eodem Aegidio, quia veritas vel falsitas est circa compositionem, & diuisionem: sed definitio non spectat ad compositionem, & diuisionem, sed ad intelligentiam indiuisibilium, in qua ex 3. de anima non est verum, nec falsum: ergo definitio non dicit esse verum vel falsum, & per consequens nec esse conueniens complexis; prob. mi., quia definitio est id, quod significatur nomine incomplexi: nam ex 4. met. ratio, quam significat nomen, est definitio; ergo non spectat ad compositionem, vel diuisionem.

Tertio probatur quia definitio, & definitum differunt tantum pænes esse implicitum, & explicitum: nam id quod implicitè dicit definitum, dicit explicitè definitio: sed definitum non dicit implicitè, est, vel copulam, sed tantum quid incomplexum: ergo definitio non dicet explicitè, est, aut copulam, sed tantum duos conceptus simplices .s. genus, & differentiam.

Secunda pars probatur, quia definitio

nitio prædicatur de definito, & cum & conuertitur: sed non prædicatur: cum copula, sed sine copula; nam cum definio hominem, & dico, est animal rationale: id quod prædicatur de definito, est ly animal rationale, non vero hoc totum est animal rationale, quia sensus esset homo est, est animal rationale: ergo definitio dicit tantum esse conueniens incomplexis,

Tertia pars probatur, quia definitio (si sit definitio dicens quid rei, de qua modo est sermo) exprimit essentiam, & quidditatem definiti: sed quidditas, & essentia abstrahit ab esse actuali, vt patet ex notatis: ergo definitio dicit tantum esse essentiæ, prædicamentale, & quidditatiuum; non vero esse actuale, vel existentiæ.

Addit tamen Aegidius quod si talis definitio diceret tantum quid nominis, tunc non oporteret quod dicta definitio diceret esse essentiæ, vel prædicamentale, aut quidditatiuum: sed sufficeret quod diceret esse apud animam tantum: quia definitio quid nominis potest esse etiam eorum, quæ non sunt propriè obiecta intellectus; sed tantum sunt eius figmenta.

§. 2.

Argumenta soluuntur.

VErum contra proposita conclusionem Obijcies primo ex Arist. p. post. c. 7. Definitio vel est principium demonstrationis .i. præmissa, quæ est integra propositio, vel est ipsa demonstratio .i. conclusio: ergo definitio est integra propositio ergo.

Resp. ex Aegid. in explicat. textus allati Aristotelē ibi non loqui de definitione secundum se, sed quatenus transit in propositionem, quæ sit principium demonstrationis, vel quæ sit conclusio, aut tota demonstratio sola positione differens: nam si propositio contineat definitionē dicentem propter quid tantum, est demonstrationis principium: si cōtineat definitionem dicentem tantum quid passionis: est demonstrationis conclusio: si contineat vtrumquè est tota demonstratio positione differens.

Ob. 2. Definitio est propositio: ergo dicit esse sicut dicunt complexa: prob. ant. si quæratur quid est homo? Respondetur est animal rationale; & sic definitio includit esse: & si queratur quid est pluuia? Respondetur est aqua guttatim cadens: ergo &c.

Confir. quia definitio ex Arist. p. post. c. 4. est positio, sed positio ex eodem ibidem dicit esse, vel non esse: ergo & definitio.

R. ex Aegidio p. post. c. 4. pag. 17. col. 3. ꝙ ly est duobus modis sumi potest: vel cōpositiue, vel expositiue si sumatur primo modo dicit veritatem, vel falsitatem, & sic sumitur in propositionibus: si sumatur secundo modo, sic non verum, vel falsum, nec rem esse, vel non esse: & ita sumitur in definitione si enim quæratur quid est pluuia, & dicatur, est aqua guttatim cadens, non proinde dicitur, & affirmatur pluuiam esse, vel negatur pluuiam non esse; quia esse ibi non stat compositiue, sed expositiue.

Ad conf. Resp. ex eodem ibidem dist. mi. positio dicit esse sumptum com-

cõpositiue; sicut dicit propositio: nego: sũptũ expositiue, sicut sumitur in definitione, concedo: vnde in hoc positio, & definitio non differunt; sed tantum quia definitio, vt explicat natutam rei, est definitio, vt vero non probatur, est positio.

Ob. 3. Definitio, & definitum sunt relatiua: ergo nisi definitio comparetur actu ad definitum, non erit actu definitio: sed quando non prædicatur actu de definito, non respicit illud in actu, sed in potentia: ergo non dicitur actu definitio, sed in potentia.

Corfirmatur quia definitio non est actu essentialis, vel accidentalis, nisi ex comparatione actuali ad suũ definitu: ergo talis respectus actualis requiritur, vt actu sit definitio determinata. Antecedens pr. in hac definitione animal aptum ad ridendum: nam si applicetur risibili, est essentialis; si homini est accidentalis: ergo &c.

Resp. p. dist. mi. non respicit definitum sub ratione definiti, nego: ad hoc enim vt sic respiciat illud, nõ requiritur, nisi quod respiciat illud, vt expressio respicit exprimibile, seu vt manifestatiuum respicit manifestabile; hoc autem habet etiam si actu non prædicetur de definito; sicut omnis potentia respicit suum obiectum, etiam si actu non prædicetur de illo: non respicit definitum sub ratione subiecti concedo: hoc tamen non requiritur ad definitionem, sed ad propositionem.

Ad confir. Resp. neg. ant. & ad prob. dico definitionem esse essentialem, vel accidentalem, non ex actuali applicatione ad definitum; sed ex intrinseca habitudine, & conuenientia, quam importat respectu huius, vel illius definiti: nam si exprimat, principia essentialia definiti, dicitur essentialis: si accidentalia dicitur accidentalis, etiam ante omnem actualem applicationem, & prædicationem.

Resp. 2. definitionem respicere definitum ex vi copulæ, & est; non quidem quatenus sumitur compositiuè, sed quatenus sumitur expositiue.

Ob. 4. Quod est de ratione alicuius non potest ab eo separari; sed esse est de ratione definitionis, quia ex Arist. in top. definitio est oratio indicans quid est esse rei: ergo &c.

Confir. p. quia illud, quod significat quodquid erat esse, dicit esse: sed definitio significat quodquid erat esse ex 7. met. ergo dicit esse.

Confir. 2. quia inter esse, & non esse non datur medium: nam opponuntur contradictoriè: sed definitio significat aliquid, & non significat non esse: ergo significat esse.

Resp. ex Aegid. p. post. pag. 42. dist. mi. esse quod conuenit incomplexis, seu esse essentię est de ratione definitionis, concedo esse quod conuenit complexis, & dicit veritatem propositionis, nego: Aristoteles loquitur de primo esse, non de secundo.

Noto ex Aegid. tum p. post. tum p. sent. dist. 33. p. p. q. 2. pag. 171. ad p. quod esse sumitur tribus modis primo pro esse quidditatiuo, quo pacto dicimus definitio est sermo indicans quid est esse rei: secundo pro actu essentiæ, quo pacto dicimus quod esse est actus entis: tertio prout dicit veritatem compositionis: definitio ergo dicit primum

esse, non secundum, & tertium, ex quo patet ad primam confir.

Ad secundam Resp. dist. ma. ex doctrina adducta, inter esse quod dicit veritatem, & non esse quod dicit falsitatem compositionis; item inter esse quod est actus essentiæ, & non esse, quod negat talem actum, non datur medium nego: nam datur esse essentiæ de quo est definitio, quod esse mediat inter veritatem, & falsitatem; inter existere, & non existere: inter esse essentiæ, & non esse essentiæ nō datur medium, concedo: inde tamen non infertur, quod definitio dicat esse secundo, aut tertio modo, sed tantum primo.

SECTIO TERTIA.
Vtrùm definitio habeat partes?

§. 1.
Aegidij sententia proponitur, & approbatur.

COmmunis est Doctorum sententia definitionem habere partes: cùm intrinsece constet ex genere, & differentia; quæ sunt partes definitionis. Hanc sententiam tradit Aegidius 7. met. q. 5. cum quo pro resolutione.

Sit conclusio. Definitio per se habet partes: hæ tamen non sunt partes rei, sed rationis, directe, & per se loquendo.

Ad huius conclusionis explicationem, noto primo cùm Aegid. 7. met. qu. 5. quod definitio, cùm sit actio intellectus, & mediet inter virtutem intellectiuam ex vi cuius formatur, & obiectum quod exprimit, trahit conditiones ex parte vtriusque extremi; .s. & ex parte intellectus, & ex parte obiecti. Ex parte intellectus trahit, vt tantum esse possit de his, quæ intellectus directè intelligit, & quia intellectus naturaliter non intelligit aliquid sine phantasmate, & sola composita ex materia, & forma habeant phantasmata; ideo hæc sola & directe intelliguntur (intellectione naturali) & directe definiuntur: hac de causa ex Auer. simplicium non est definitio. Ex parte autem obiecti trahit, vt tantum esse possit de illis, in quibus potest esse resolutio cognitionis: cùm enim definitio sit terminus, & terminet, ac quietet intellectum; non poterit esse, nisi de illis obiectis, in quibus sistere potest cognitio intellectus; & quia nec in cognitione accidētium, nec in cognitione generum sistit, & quietatur, sed tantum in cognitione specierum: ideo definitio ex parte obiecti habet, vt non sit de generibus, & accidentibus; sed tantum de speciebus. Probo singula: non est quidem de accidentibus, quia licet nostra cognitio incipiat ab accidentibus, non tamen sistit in illis, quia eorum cognitio, est cognitio entitatis pendentis ab alio, .i. à substantia; quare cum in sua linea terminum non habeant, nec possunt habere definitionem, cuius est naturas, vt terminatas terminis essentialibus exprimere. Nec est de generibus; quia licet à generibus incipiat nostra cognitio; nam ex 1. ph. magis vniuersalia, & magis confusa sunt nobis notiora, & talia sunt genera: non tamen in eis sistere potest, & quietari cognitio, quia genera diuiduntur, & contrahuntur per differentias essentiales, & formales, atque adeo non sunt obiecta importantia essen-

tiam terminatam, sed essentialiter terminabilem, & per consequens definitionem, quę tam obiectum, quam cognitionem sistit, terminat, & limitat: quia verò species athomæ, & formæ indiuisibiles non vlterius diuiduntur per differentias formales, ideo in eis proprie est status, & terminus essentialis, & per consequens definitio.

Noto 2. cum eodem quod genus respectu speciei, & est totum, & est pars, sed sub diuersa ratione: est enim totum potentiale; est verò pars actualis: vt autem est totũ est prius simpliciter in cognitione nostra, quam sit species: quia sub hac ratione genus est quoddam confusum à quo incipit nostra cognitio: vt verò est pars definitiua speciei, sic est posterius cognitione eiusdem speciei, sic tamen importat distinctam cognitionem, vnde genus cognitum vt pars definitiua speciei est cognitum clare, & distinctè. Species autem in rebus sensibilibus est quoddam compositum habens partes: compositum autem non potest distinctè, & clare cognosci, nisi distinctè eius partes cognoscantur; & quia cognitio definitiua, seu habita per definitionem inter cæteras cognitiones est maxime clara, & distincta: ideo non poterit species distinctè cognosci, nisi definitio exprimat distinctè eius partes, & per consequens, nisi definitio habeat partes. His notatis.

Probatur conclusio quoad p. p. Obiectum habens essentiam compositam ex partibus, non potest clare, & distinctè cognosci, nisi cognoscantur partes essentiales, ex quibus essentia talis obiecti componitur: sed species athoma (quæ ex not. tis est tantum proprie definibilis) est obiectum habens essentiam compositam ex partibus essentialibus: ergo non potest clare, & distinctè cognosci, nisi per cognitionem tales partes exprimentem: at talis est cognitio habita per definitionem: ergo definitio habet exprimere has partes, & per consequens habet partes.

Probatur quoad 2. p. species non habet definitionem, nisi in quantum circa eam versatur, & negotiatur intellectus: cum definitio proprie sit actio intellectus, vel per eam habeat esse: ergo definitio per se, & directè non potest importare partes rei, sed rationis, vt sunt genus, & differentia: indirectè tamẽ, & per quamdam correspondentiam habet partes rei, .s. materiam, & formam; in quantum genus sumitur à materia, & differentia à forma: seu in quantum si partibus rationis nihil correspondere à parte rei, partes rationis essent pænitus figmenta, quod esse non potest, cum definitio sit rerum incorruptibilium, & immobilium; atq; adeo eorum, quæ à parte rei habent realitatem.

§. 2.

Quædam argumenta resolut.

VErum contra propositam veritatem Ob. 1. De ratione definitionis est quod formetur per intelligentiam simplicium: ergo de ratione eius est quod non habeat partes: ant. patet, quia definitio formatur per primam operationem intellectus, quæ ex 3. de anima dicitur intelligentia simplicium, & indiuisibilium: conseq. probatur, quia

in

in tali intelligentia non sunt partes.

Resp. ex Aegid. dist. ant. per intelligentiam purè simplicium nego: nam simplices conceptus, qui per primam operationẽ intellectus formantur: non sunt ita simplices, vt excludant vnionem ad inuicem, quinimmò eam exigunt simplicium cum hac habitudine, & exigentia, concedo: ex his autem ad inuicem vnibilibus resultare possunt partes definitionis.

Ob. 2. Definitio exprimit quidditatem apud intellectum: sed quidditas apud intellectum non habet partes; cum non sit ibi compositio, nec verum, nec falsum: ergo definitio nequit habere partes.

Resp. ex Aegid. dist. mi. non habet partes concurrentes ad constituendum esse verum, vel falsum, seu ad formandam veritatem propositionis, concedo: concurrentes ad terminandam, aut constituendam essentiam nego.

Ob. 3. Si genus esset pars definitionis, in definitione essent partes infinitæ cum genus contineat partes infinitas: sed hoc est impossibile, quia intellectus tunc non posset formare definitionem, cum nõ procedat in infinitum: ergo &c.

Resp. ex Aegid. genus non esse partem definitionis secundum omnia prædicata, quæ continet in sua potentia; sed tantum secundum prædicata essentialia attinentia ex parte sua ad constitutionem definiti: hæc autem prædicata sunt finita ex 1. post. ideo non est processus in infinitum.

SECTIO QVARTA.

Vtrùm definitio sit Particularium, vel Vniuersalium?

§. 1.

Aperitur veritas ex sententia Aegidij.

NOn est in præsenti sermo de definitione dicente quid nominis, quo pacto omne id, quod significat nomen, dicitur definitio: nam sic tota historia Troiana definitionem habere potest, si aliquod nomen ei imponatur. Nec est sermo de definitione particularium in suo vniuersali: quia sic certum est, quod sicut in suo vniuersali cognoscuntur: ita etiam definiuntur; sed sermo est de definitione vera, & propria rei naturam per partes essentiales explicante.

Est autem communis philosophorum sentẽtia definitionem non esse particularium, sed vniuersalium. Hanc sententiam docet Aegidius 7. met. q. 7. & 1. post. pag. 36. col. 4. & pag. 42. col. 4. cum quo pro resolutione.

Sit prima conclusio. Vera, & rigorosa definitio non est particularium.

Probatur autem p. quia tota ratio definitionis per se sumitur à forma, & ideo quæ differunt forma, differunt definitione: sed particularia non habent propriam formam: ergo neque habent propriam definitionem: ma. patet, quia hac de causa ex 2. de anima t. 8. anima egrediente è corpore, corpus marcescit, & corrumpitur, quia iam est ibi diuersa forma, & quidditas, & corpus il-

lud iam dicitur corpus æquiuoce. mi. pr. quia ex 8. met. formæ sunt sicut numeri, ita vt qualibet vnitate addita, vel detracta, varietur species numeri: ergo particularia non habent propriam formam; alias differrent specie.

Secũdo probatur, quia quæ habẽt propriã formã, ratione cuius possint habere propriam definitionem, directè cognoscuntur ab intellectu: sed particularia non cognoscuntur directè ab intellectu; cum forma per quam intellectus intelligit sit abstracta ab hic, & nunc, & ab omni esse signato; particularia verò sint contracta per hic, & nunc; & differant per esse signatum: ergo non possunt directè cognosci, & per consequens nec definiri.

Tertio probatur, quia particularium non est scientia; hæc enim est de his, quæ sunt per se, & non possũnt aliter se habere; quod non habent particularia: ergo nec eorum erit definitio: pr. conseq. quia definitio vel est principium demonstrationis, vel conclusio, vel tota demonstratio sola positione differens.

Vltimo probatur ex Aegid. 1. post. pag. 36. quamdiu est descensus per formam tamdiu procedit definitio, quando verò non est descensus per formam, sed per conditiones materiæ vlterius definitio nõ procedit: nam ex 7. met. partes definitionis dicuntur esse formæ, vel habere analogiam ad formam, & per consequens quamdiu est processus per formam, tamdiu est processus definitiuus: sed à specie ad indiuidua non est descensus per formam, vel per differentias formales; sed tantum per conditiones materiæ: ergo particularium non potest esse definitio.

Sit secunda conclusio. Definitio pro tanto dicitur esse vniuersalium, pro quanto est principaliter ipsius naturæ, & essentiæ abstractæ à suppositis, in quibus talis natura reperitur. Ita Aegid. 1. post. pag. 42. col. 4. Ratio autem est, quia definitio est id, quod significatur per nomen; sed nomen ex 8. met. principaliter significat formam, & per posterius suppositum, .i. aggregatum: ergo definitio per se, & primo erit expressiua illius essentiæ, & naturæ; etsi exprimit aggregata, & supposita, hoc erit ex consequenti, in quantum in eis reseruatur talis essentia, & natura.

§. 2.
Argumenta soluuntur.

Verum contra primam conclusionem Ob. 1. particularia habent formam propriam: ergo possunt per eam propriè definiri; pr. ant. particularia differunt ad inuicem; nam alia est anima Sortis, alia Platonis, & non differunt per materiam, quia à natura potentiæ nulla potest esse distinctio: ergo differunt per formam: ergo habent formam propriam.

Resp. ex Aegid. neg. ant. & ad probat. dist. differunt per formam per se nego: per accidẽs, & in quantum illa forma est signata per materiam, concedo: sic autem sicut forma non per se distinguitur, ita nec per se definitur.

Ob. 2. Eadem res est per quam Sortes est homo, & vnus homo ex 7. met.

7. met. sed vt homo definitur: ergo & vt vnus homo: ergo vt particularis.

Resp. ex Aegid. dist. ma. est eadem res, & cum eodem modo essendi nego: cùm diuerso concedo: nam vt homo non habet esse signatum, nec diuisum, ideo vt sic definitur: vt vnus homo habet esse signatum, ideo vt sic non definitur. Insuper particularia non determinantur per formam, sed potius formæ accidit determinari, & diuidi in indiuiduo: species autem determinantur per formam, ideo per eas per se definiri possunt.

Ob. 3. Si particularia non possent definiri, maxime quia sunt corruptibilia: sed particularia mathematica, & corpora cœlestia sunt incorruptibilia: ergo saltim ista poterunt definiri.

Resp. ex Aegidio ad definitionem duo requiri .s. & quod sint incorruptibilia, & quod sint directe cognita ab intellectu: nam quod quid est, est obiectum per se intellectus: particularia ergo mathematica deficiunt à definitione, non quia sint corruptibilia: sed quia cum sint particularia, non possunt esse obiectum per se intellectus nostri.

Ob. 4. Indiuiduum definitur: ergo ex eo quod indiuidua sint non deficiunt à definitione.

Resp. definitur indiuiduum primo intentionaliter acceptum nego: acceptum secundo intentionaliter concedo.

Ob. 5. Substantiæ abstractæ sunt particulares, & tamen possunt definiri; ergo ob particularizationem non tollitur definitio; prob. ant. quia Michael v. g. Angelus habet genus, & differentiam, et sic aliæ substantiæ abstractæ. ergo vere definiri poterunt per suum genus, suamque differentiam.

Resp. ex Aegidio 7. met. 9. et 2. 5. d. 2. p. p. 2. 3. quod triplex est substantia .s. substantia prima, et hæc nullo modo est definibilis; quia cum definitio constet ex genere, et differentia, ita vt genus sumatur à toto, vel à potentia: differentia à parte, et in Deo non sit ratio totius, et partis, cum habeat naturam, et esse infinitum ac omnino simplex; non poterit Deus definiri: Alia est substantia sensibilis composita ex materia, et forma; et hæc cum habeat esse receptum in natura, et naturam receptam in materia, habet proprie vnde sumatur genus, et differentia, et ideo est proprie definibilis: alia est substantia abstracta, quę est media inter vtranq; et huiusmodi sunt intelligentiæ; et hæ non habent definitionem simpliciter, sicut habēt substantię sensibiles .i. talem definitionem, in qua genus sumatur à toto, et differentia à parte, et in qua ex vnione generis cum differentia non fiat nugatio; quia in eorum natura nō est ratio totius, et partis; quia tamen in eis natura importat gradum essendi magis, et minus vniuersalem, ideo de eis potest esse aliqua definitio, ex quo patet ad argumentum.

SE-

SECTIO QVINTA.

Vtrùm genus in definitione sumatur à materia, & differentia à forma.

§. I.

Proponuntur variæ sententiæ, & Aegidij sententia seligitur.

CIrca præsentem difficultatem triplex esse potest sententia: prima est eorum, qui dicunt materiam, & formam proprie sumptas esse necessaria principia generis, & differentiæ: ita qui negant res immateriales componi ex genere, & differentia, vt Durand. 2. .l. d. 3. q. p. qui proinde negat conuenientiam genericam inter illa, quæ non habent materiam communem.

Secunda sententia est Vasquez p. p. disp. 179. c. p. qui contra communem omnium consensum negat genus sumi à materia, & differentiam à forma.

Tertia sententia est asserentium genus sumi à materia differentiam vero à forma ita Aegid. 7. met. q. 9. & 2. sent. d. 3. p. p. q. p. a. 3. & p. 5. dist. 25. p. p. q. 3. & alibi quam sententiam probant D. Th. p. p. q. 50. a. 2. Caiet. Fer. Sanchez. Ruuius Complut. & alij recentiores, licet non omnes eam explicent eodem modo. Pro resolutione.

Sit prima conclusio. Genus in definitione non est formaliter, & propriè ipsa materia. Ita Aegid. 7. met. & p. sent. loc. cit.

Probatur primo ex Aegid. genus formaliter, & propriè prædicatur de definito, materia vero non prædicatur; cum genus sit totum quoddam medium inter potentiam, & actum: materia vero sit simpliciter potentia, & pars; & ideo illud prædicatur, non vero ista; totum enim prędicatur de toto, non vero pars: ergò genus non est formaliter, & propriè ipsa materia.

Secundo, quia genus est pars in potentia, quod est esse partem secundum rationem: materia vero est pars secundum esse actuale, & ideo est pars realis; sed pars secundum rationem in re est totum; pars vero secundum rem, semper est pars: ergo genus non erit formaliter, & propriè materia.

Secunda conclusio genus in substantijs spiritualibus sumitur à totà natura, vt habet modum magis potentialem, & vniuersalem; differentia vero sumitur à tota natura, vt habet modum magis actualem; atque adeo radix generis in eis est tota natura secundum gradum potentialem, indeterminatum, & perfectibilem: radix vero differentiæ est eadem natura secundum gradũ actualem, determinatum, & perfectum. Probatur quia genus, & differentia in eis sumi non possunt à materia, & forma: cum ex his non componantur: nec ab esse, & essentia, quia esse est præter rationem quidditatis: ergo genus sumetur à tota natura secundum gradum potentialem, differentia ab eadem tota natura secundum gradum actualem: cùm enim Angeli habeãt actum admixtum potentiæ, habent vnde sumi possit genus, & differentia.

Confirmatur quia in Angelis tota eorum essẽtia est principium vnitatis genericę, & specificę; sed diuerso modo, quia ipsa natura est princi-

cipium generis, vt eſt vlterius perfectibilis, & determinabilis, & vt habet ſimilitudinẽ cum alijs in aliquo gradu amplius determinabili; & vt eadem natura dicit vltimam actualitatem, ſeu Endelechiam, eſt principium differentiæ, per quam differt ab alijs conuenientibus in gradu ſuperiori: ergo in Angelis eſt radix vtriuſque .ſ. & generis, & differentiæ.

Eſt tamen notandum quod ipſa natura ſecundum hos gradus non eſt formaliter genus, vel differentia; ſed eſt radix vnde intellectus ſumit vtrunque: quia ex Aegidio tum 7. met. loc. cit. tum p. ſent. d. 25. cit. genus, & differentia, componunt aliquid compoſitione ſecũdum rationem, vt compoſitum ſpectat ad intellectum definientem, non vero vt eſt à parte rei: ergo genus, & differentia etiam in Angelis non ſunt formaliter ipſi gradus reales à parte rei habentes eſſe: ſed tantum radicaliter ab ipſis gradibus realibus ſumuntur ex vi intellectus definientis.

Sit tertia concluſio Genus, & differentia in ſubſtantijs ſenſibilibus ſumuntur ſecundum quandam proportionem à materia, & à forma; ita tamen vt genus ſumatur à materia non partis, ſed totius; differentia vero à forma, non totius, ſed partis. Prima pars ex Aegidij 7. met. loc. cit. & 2. 5. dicta diſt. 3. ſecunda vero eſt eiuſdem p. 5. diſt. 25. cit.

Senſus p. p. eſt quod in ſubſtantijs ſenſibilibus materia, & forma non ſunt principia, à quibus ſecundum proprietatem phyſicam ſumantur genus, & differentia, ſed tantum ſecundum quamdam proportionem, & analogiam: nam vt patet ex p. & 2. ratione primæ concluſionis, genus ſecundum proprietatem phyſicam, ſeu vere, & propriè dicit totum; materia vero dicit partem: & genus vere, & propriè non eſt pars realis, ſed tantum ſecundum rationem: materia vero eſt pars realis: item materia proprie dicit puram potentiam; genus autem formam mediam inter potentiam, & actum: ergo ſecundum proprietatem phyſicam materia: non poteſt eſſe principium generis.

Inſuper ex Aegid. 7. met. q. 5. partes rationis, vt ſunt genus, & differentia oriuntur quodamodo (ait ipſe) à partibus rei, .i. per quamdam correſpondentiam: ergo non ſumuntur à materia, & forma ſecundum phyſicam proprietatem: ſed tantum ſecundum proportionem, & analogiam.

Conſiſtit autem hæc proportio, & analogia in hoc (ex Aegid.) quia ſicut materia de ſe eſt indifferens ad omnes formas; & forma ſubſtantialis eſt actus primus determinans, & conſtituens materiam; ita genus eſt quid potentiale, & indifferens ad omnes differentias, & per differentiam determinatur ad certum gradum, & ſpeciem naturę; & hoc pacto genus dicitur ſumi à materia, & differentia à forma, & ita intelligitur Ariſtoteles, cum hoc aſſerit.

Pro ſecunda parte notat Aegidius quod *ſicut diſtinguitur inter formã partis*, & formam totius: ita poteſt diſtingui inter materiam partis, et totius: genus ergo dicit totum per modum materiæ; non materiæ quæ ſit pars: ſed materiæ quæ ſit totum:

dif-

differentia vero dicit totum per modum formæ, non formæ totius, sed formæ partis: vnde non dicit totum, quia ratio significationis eius sumatur à toto; sumitur enim à parte: sed dicit totum, quia implicat totum, ideo prædicatur denominatiue, et cadit à latere, & non in recta linea prædicamentali, hæc Aegidius ibi.

Probatur autem, quia genus prædicatur de specie: ergo ità dicit totum per modum materiæ, vt hæc materia sit materia totius, non verò partis, nam materia partis non potest de tota specie prædicari.

Ratio alterius partes est, quia differentia prædicatur denonominatiue, & cadit à latere in recta linea: ergo non sumitur à forma totius, sed à forma partis; aliter prædicaretur de specie essentialiter, & caderet in recta linea prædicamentali.

§. 2.

Argumenta tolluntur.

VErum contra ea, quæ dicta sunt, Ob. p. in Angelis reperitur proprie ratio generis, & differentiæ, & tamen non inuenitur materia, vel forma: ergo rationes istę non possunt aliquo modo sumi à materia, & forma.

Resp. neg. conseq. quia adhoc vt in eis sint genera, & species; non oportet quod in illis sit materia, & forma vniuoce; sed satis est (ex Aegid. 2. f. disp. 3. cit. ad 4.) quod in eis sit materia large, & æquiuoce, quatenus materia dicit potentialitatem quamdam; vnde genus in eis sumetur ex potentialitate, & differentia ex actualitate; secundum ergo quod habent potentialitatem per quam conueniunt in aliquo gradu abstrahibili per intellectum, & determinabili; sic habent rationem generis: secundum autem quod habent vltimam actualitatem, dicuntur habere vnde sumatur ab intellectu ratio differentiæ.

Dices ergo nulla erit differentia inter substantias materiales, & immateriales: nam videtur quod in vtrisque genus eodem modo sumatur à tota natura, quatenus nempe dicit gradum potentialem, & determinabilem.

Respondeo Fer. quod si sermo sit de principio proximo nulla est differentia; quia illud in omnibus sumitur à tota natura: si sermo sit de radicali, est aliqualis differentia; quia in substantijs materialibus licet tota natura sit principium proximum; materia tamen censetur radicale generis, quia est radix totius potentialitatis.

Alij dicunt materiam proprie nõ esse radicem alicuius gradus generici, donec ipsa intelligatur actuata per formam, à qua essentialiter pẽdet omnis gradus substantialis; vnde cum dicitur genus secũdum analogiam sumi à materia, non intelligitur hoc de materia prima; sed de materia quatenus per formam recipit quoddam esse imperfectum respectu esse specifici; vt v.g. quatenus recipit esse animalis, quod respectu hominis est imperfectum.

Respondeo ex Aegididio 2. 5. d. 3. cit. §. Aduertendum tamen, quod licet in vtrisque genus, & differentia faciant primo, & per se compositionem secundum rationẽ, & quod ratio est, quæ resoluit definitum in sua definitia: & licet in vtrisque genus

genus dicat gradum potentialem; differunt tamen, quia in angelis illa compositio secundum rationem non infert eorum naturam esse realiter compositam; quia ibi tam genus, quam differentia realiter dicunt totum; in istis tamen illa compositio de necessitate infert compositionem secundum rem: quia in istis genus secundum rem dicit totum, et differentia secundum rem dicit partem; et licet pars secundum rem non componat cum toto, cum hæc includatur in toto: hoc tamen esse non potest sine reali compositione naturæ; nam si differentia in istis secundum rem dicit partem naturæ secundum rem: oportet naturam sẽsibilem realiter esse compositam.

Addo quod in istis genus dicit totum per modum materiæ totius, quod est dicere totum sub esse vniuersaliori, et perfectibili: differentia verò dicit partem, seu formam partis: at in illis genus non dicit totum per modum materiæ totius cum in gradu generico angelorum non includatur verus conceptus materiæ; sed tantum æquiuocus; ideo in eis dicit totum tantum per modum potentialis, potentialitate denegante vniuocum conceptum materiæ.

Ob. 2. Si genus sumeretur à materia, tunc quæ non haberent materiam communem, nec genus habere possent; sed hoc est falsum, quia substantiæ materiales cum immaterialibus in aliquo genere cõueniunt; & cœlestia cum terrestribus: quamuis non conueniant in materia.

Resp. neg. sequelam, quia corpora cœlestia conueniunt in vniuoce cum terrestribus in materia sumpta per indifferentiam, vt suo loco dicam cum Aegidio: & substantiæ immateriales conueniunt cum sensibilibus in ratione per se essendi, & subsistendi in natura substantiali; item in habere naturam finitam, & limitatam limitibus essentialibus.

Nec obstat illud. Corruptibile, & incorruptibile differunt genere, quia hoc non intelligitur de genere logico, vel metaphysico, quod importat conuenientiam in aliqua vnitate formali: sed de physico, quod est materia.

SECTIO SEXTA.

Vtrùm definitio substantiæ sensibilis includat quidditatiuè materiam?

§. 1.

Referuntur sententiæ, & vera cum Aegidio approbatur.

SVpponendum est cum Aristotele 7. met. c. 4. substantiam compositam, & sensibilem habere propriè quod quid est, seu quidditatem per veram, & rigorosam definitionem explicabilem.

Huius rei congrua redditur ratio ex Aegidio 1. sent. dist. est p. 2. q. 3. quia huiusmodi substantiæ habent naturam compositam, finitam, & limitatam limitibus pertinentibus ad lineam essentialem; ideoque cadunt in recta linea prædicamentali; ergo vere, & proprie possunt definiri; nam definitio explicat terminos essentiales, ipsam rem finientes, & limitantes. Item ex Arist. loc. cit. huiusmodi substantiæ sunt vnum quid per se; ergo possunt veram, & rigorosam definitionem habere; hæc .n. tantum est eorum, quæ per se sunt

vnum quid. Cœterum cum huiusmodi substantiæ sint compositæ ex materia, & forma, merito dubitatur, an ad earum definitionem, & quidditatem pertineat tam materia, quam forma, vel ipsa tantum forma?

Prima sententia est asserentium solam formam esse substantię compositæ totam quidditatem; materiam verò nullo modo ad eam pertinere, nisi tanquam vehiculum formæ, & per consequens ad earum definitionem quidditatiuam materiam essentialiter, & per se non pertinere. Ita docuerunt Auer. 7. met. t. 21. Iand. q. 14. Aphrodis. 2. met. t. 12. & Themistius 3. de anima t. 9. & 38.

Secunda sentētia est asserentium materiam ad quidditatem, & definitionem substantiæ compositę pertinere, non tamen per se, & principaliter, sed tantum ratione formæ à qua habet determinationem, & actualitatem. Quam sententiam pluribus in locis tradit Aegidius præcipue tamen theoremat. 8. de esse, & essentia.

Sit conclusio. Definitio substantiæ sensibilis includit materiam tanquam partem essentiæ, & quidditatis; primo tamen, & principaliter includit formam.

Probatur autem ex Aegidio loc. cit. primo quia ex materia & forma fit vnum per se, & simpliciter: sed forma pertinet ad rationem quidditatis; ergo & materia, quæ facit vnam naturam cum forma; eo enim ipso quod ex materia, & forma resultat vna natura, vna essentia, & vna quidditas; oportet quod materia sit pars quidditatis, et essentiæ; ma. pr. quia ex potentia, et actu fit vnum, et si potentia est simpliciter, fit vnum simpliciter; si secundum quid fit vnum secundum quid; sed materia simpliciter est potentia respectu formæ substantialis; ergo ex ea, et forma substantiali fit vnum simpliciter.

Secundo probatur quia id pertinet ad essentiam, et definitionem substantiæ materialis, sine quo non potest intelligi; sed substantia materialis non potest intelligi sine materia; ergo materia pertinet ad essentiam, et definitionem substantiæ sensibilis, et materialis; ma. pr. quia cum substantia non habeat definitionem per additamentum; oportet quod totum, quod in definitione eius ponitur pertineat ad eius essentiam; mi. prob. quia licet aliquid non sit de intellectu alicuius sumpti vno modo; est tamen de intellectu eius vt sumitur alio modo; nam cuprum non est de intellectu circuli sumpti simpliciter, est tamen de intellectu circuli cuprei; quia si definiretur circulus cupreus, cuprum ingrederetur definitionem eius; ergo licet materia non sit de intellectu entis sumpti in eo quod ens, et simpliciter; est tamen de intellectu entis habentis esse in materia, seu de intellectu rei materialis; si enim res materiales secundum quod huiusmodi sunt, definiantur, oportet quod materia ingrediatur definitionem earum.

Tertio probatur ex eodem quia res materiales non solum sunt per formam, sed etiam per materiam; eo enim ipso quod formæ materiales non habent esse per se, sed habent esse in materia; non possunt causare esse per se, sed sunt causa ipsius esse, vt sunt in materia: ergo

et

et ipsa materia est causa esse: sed esse causatur ab essentia: ergo totum illud ad essentiam pertinet, à quo esse causatur, & fluit: ergo cum esse rerum materialium non solum sit à forma, sed etiam à materia, tam forma, quam materia spectabit ad rei materialis essentiã, & quidditatem.

Vltimo probatur quia si materia non esset pars quidditatis, sed sola forma totam quidditatem, & essentiam diceret; tunc humanitas in homine non esset aliud, quam anima; nam humanitas dicit totam essentiam, & quidditatem hominis, sed hoc est falsum: ergo &c. pr.mi. quia in rebus materialibus datur duplex forma .s. partis, & totius, vt in homine forma partis est anima, quia homo est compositus ex anima, & corpore; & sicut corpus est pars hominis, ita et anima: forma totius est humanitas, quæ non dicit formam tantum, sed naturam compositam ex corpore, et anima: ergo humanitas, quæ est essentia hominis non dicit solam animam, sed compositum ex anima, et corpore. Ita ex Aegidio loc. cit.

Probatur altera pars ex eodem, quia materia in tantum pertinet ad essentiam, et quidditatem, in quantum suscipit formam, et facit vnum cum ipsa: ergo forma primo, et principaliter spectat ad quidditatem, materia verò ex consequenti, et ratione formæ; ideo forma ab Aristotele vocatur quod quid erat esse.

Confirmatur ex eodem, quia forma principaliter est causa ipsius esse, materia verò ex consequenti, in quãtum suscipit formam: ergo quidditas, & essentia à qua fluit esse principaliter erit à forma, & ex consequenti à materia. Conf. 2. ex Arist. 7. met. dicente hominem non esse sine carnibus, indicans sic materiam esse partem essentiæ, ergo &c.

§. 2.

Argumenta soluuntur.

VErum contra propositam veritatem Ob. 1. Id solum pertinet ad quod quid est, quod est actus, non quod est potentia; sed actus pertinet ad formam ex Arist. 2. ph. t. 11. dicente potestate caro, aut os non habet adhuc sui ipsius naturam, antequam recipiat formam: ergo &c.

Confirmatur ex 2. ph. t. 20. vbi Aristoteles formã apellat *quod quid erat esse*, seu quidditatem rei: ergo sola forma pertinet ad quidditatem, & definitionem.

Resp. dist. ma. pertinet primo, & principaliter concedo, id vero quod est potentia non pertinet principaliter, sed ex consequenti; & ad Arist. dico quod intelligitur de potentia seiuncta ab actu, & à forma; non de ea, quæ per formam est contracta ad talem speciem, & naturam; hæc enim habet vnitatem in natura, & forma totius, etsi dependenter à forma; ex quo etiam patet ad confirmationem.

Ob. 2. Forma substantialis definitur per id, quod dat esse rei: ergo sola illa est quidditas, & essentia compositi; alias si materia esset de essentia compositi, non distingueretur à forma, cuius proprium est esse rationem compositi.

Conf. sicut se habet forma artefacti ad suam materiam, ita forma substantialis ad materiam primam:

ſed forma artefacti eſt tota eſſentia illius: ergo &c.

Reſp. ex Aegid. formam definiri per dare eſſe, quia ipſa eſt, quæ dat ſpecificationem poſitiuam; materia verò tantum recipit eſſe, & ſpecificationem, & ideo forma eſt principaliter natura, materia autem ex conſequenti.

Ad confir. R. ex 1. ratione Aegidij diuerſam eſſe rationem, quia ex forma artefacti, & ſubiecto non reſultat vnitas naturæ ſimpliciter, ſed tantum ſecundum quid; cum forma, & ſubiectum in his dicāt quid completum: at ex forma ſubſtantiali, & materia reſultat quid vnum ſimpliciter, cùm materia ſit ſimpliciter in potentia ad formam ſubſtantialem; vnde cùm vtraque ſit quid incompletum, materia vt potentia, forma vt actus, non poteſt quælibet ſeorſim accepta eſſe totam eſſentiam compoſiti; cum quælibet ſeorſim non ſit vnum ſimpliciter, ſicut eſt quidditas compoſiti.

Ob.3. Id eſt totam quod quid rei, per quod diſtinguitur à cæteris, quę id non ſunt: ſed diſtinctio ſolum eſt per actum, & formam: ergò &c.

Reſp. diſt. ma. per quod diſtinguitur à cæteris tam principaliter, quam ex conſequenti, concedo; tantum principaliter, nego: licet autem diſtinctio principaliter ſit à forma; ex conſequenti tamen eſt etiam à materia, non ſecundum ſe accepta, ſed vt actuata, & determinata per formam; ſic enim ita concurrit ad conſtituendam hanc vnitatem, & eſſentiam, vt non concurrat eo modo ad aliam.

Ob. 4. Id eſt vniuerſa eſſentia rei, quo præſente res tota eſt, & abſente tota abeſt: ſed id competit formæ partis, vnde Ariſtoteles 1. de ortu, & interitu t.24. dixit, eſſe mutationes totius in totum, cum tamen ſola mutetur forma, non materia: ergo &c.

Conf. ex Ariſt. materia non eſt quid, vel quale, vel quantum: ergo non eſt pars eſſentiæ, quæ eſt quid, vel quale.

Conf. 2. ex 2. ph. in calce, vbi Ariſt. ait, materiam ingredi definitiones tanquam materiam definitionis .i. vt vehiculum ipſius quid. Et 7. met. ait carnem, & oſſa partem eſſe totius, vt materiam; non autem eſſe partes formæ, & rationis. Et 3. de anima t.9. ait in complicatis cum materia, carnem & eſſe carni differre: eſſe autem carni dicitur totum id, quod eſt caro, & eſt ſola forma; caro verò includit materiam: ergo &c.

Confir. 3. ex Ariſt. 2. ph. t. 11. dicente formam eſſe vniuerſam naturam compoſiti; & 8. met. t.7. animam eſſe id, quod eſt homo: ergo &c.

Reſp. ex Aegid. in explicat. illius textus, diſt. mi. competit formæ principaliter concedo, at ex conſequenti competit etiam materię, quia licet hæc non definat ſecundũ ſuam eſſentiam, definit tamen vt eſt huius compoſiti, ex eo quod definat forma, per quam erat huius.

Ad 1. conf. Reſp. materiam ſecundum eſſe indeterminatum, non eſse partem quidditatis, at bene eſse ſecundum eſse determinatum à forma, & Ariſtoteles loquitur primo modo.

Ad alias Reſp. Ariſtotelem loqui de eo, quod eſt quidditas primario, &

& principaliter nam ex Arist. nomina primo denotant formam, secundo compositum, vnde 8.met.t.7. aiebat animal primo denotare animam, secundo compositum; ideo hæc nomina sunt ab vno; sic etiam definitio, & quidditas est ab vno, sicut & nomen; & primo, ac principaliter denotat formam; deinde materiam, seu id, quod est tractum ad vnitatem essentiæ per formam; quia ergo quidditas primo dicitur de forma, ideo ab Arist. vocatur vniuersa natura, &c. quia verò de materia dicitur ex consequenti, & per ordinem ad formam, ideo de ea illo modo loquitur.

Ob. 5. Essentia rei est fixa, & permanens, at materia Sortis non est talis, quia actione caloris continue dilabitur: ergo &c.

Resp. ex Aegid. tract. de res. q.3. dist. mi. materia sortis secundum formam, dilabitur nego: secundum modum materiæ concedo. Caro secundum materiam continue deperditur, non tamen caro secundum formam; hæc autem est quæ pertinet ad quidditatẽ, & definitionem.

SECTIO SEPTIMA.

Vtrùm definitio per additamentum possit esse de concretis accidentalibus, v.g. de albo?

§. 1.

Aristoteles, & Aegidij sententia approbatur.

SVpponendum est cum Arist. 7. met. c.4. nullum compositum, vel concretum accidentale habere veram, & perfectam definitionem, aut quidditatem: nam ex Arist. ibidem duo sunt genera entium per accidens; vnum est eorum, quæ dicuntur per accidens, quatenus per se non habent esse, sed ex additione ad aliquid extrinsecum à suo formali significato: quo pacto album est ens per accidens, quia licet album significet quodammodo totũ compositum ex subiecto, & qualitate, tamen formale significatum non existit nisi per subiectum, quod innuit, & quod sibi est extrinsecum; ex quo fit, vt in eius definitione necesse sit ponere subiectum, v. g. album est corpus affectum tali colore. Alterum genus entium est eorum, quæ non ob id dicuntur talia, quia ex additione ad aliquod extrinsecum esse habeant, quod innuant, & concernant tanquam subiectum, sed vere habent esse per se ipsa, vt homo albus, quod vno nomine dicatur indumentum: nam homo albus non existit per aliquod subiectum, quod non significetur formaliter: sed neutrum genus entium ex his habet veram quidditatem, & definitionem; ergo concreta, vel composita accidentalia non habent veram definitionem, et quidditatem: prob. mi. ex Arist. quia primum genus non est ens per se, sed per accidens, cum per se non dicatur de subiecto perseitate in primo modo dicendi per se. Insuper ens per accidens primo modo est ens ex additione, quia est affectio entis, vt patet ex definitione albi, in qua necessario ponitur subiectum albedinis: ergo non potest habere quidditatem, & definitionem per se, & perfectam, vt est illa, in qua non ponitur aliquid extraneum à definito. Tandem quia album non est for-

formaliter totum id, quod ponitur in eius definitione, vt patet: ergo non habet quidditatem, & definitionem per se, & perfectam. Nec secundum, quia quidditas est id, quod est vnum quodquè, & ex consequenti hoc aliquid, & non quale quid: sed compositum ex subiecto, & accidenti etiam secundi generis non est hoc aliquid, sed potius quale quid; cùm hoc aliquid solis substantijs conueniat: ergo non habet quidditatem, & definitionem.

Confirmat hoc Arist. ex natura definitionis assignando discrimen inter ea, quæ ipsam, vel falsam habent definitionem; & dicit quod non omnis oratio dicenda est definitio; sed solum illa, quæ versatur in explicando aliquo primo, quod .s. de alio priori non dicatur, cui insit; nam quidditas primum aliquid esse debet: sed definitio assignabilis de concretis accidentalibus non explicaret aliquod primum, quod de alio priori nõ diceretur, cui inesset; cum supponeret subiectum: ergo non habent veram, & perfectam definitionem, & quidditatem.

Hoc igitur ex Arist. supposito datur locus inuestigãdi quomodo hęc concreta definiantur, An .s. per additamentum? Est autem definitio per additamentum illa, in qua ponitur aliquid, quod est extra lineam prædicamentalem definiti; sicut definitio per se, & perfecta est illa, in qua nihil ponitur, quod sit extra lineam prædicamentalem definiti, sed tam genus, quam differentia sunt in eadem linea, & definito intrinseca; vnde, & dicitur definitio quidditatiua.

Qua in re communis Philosophorum sententia est accidentia in concreto definiri per additamẽtum, & quod in eorum definitione ponatur subiectum. Ita docent cum Aristotele omnes interpretes loc. cit. Aegidius autem ex professo 7. met. quæst. 2. vnde pro resolutione.

Sit conclusio. Concreta accidentalia, siue explicitè, siue implicitè, definiuntur per additamenta, seu per eorum subiecta.

Noto ex Aegidio loc. cit. duobus modis posse poni subiectum in definitione accidentis: .s. explicitè, vel implicitè: tũc ponitur subiectum explicitè, quando accidentia determinant sibi subiectum ratione sui: tunc implicitè quando accidentia determinant sibi subiectum non ratione sui, sed ratione sui generis, vt cùm definiuntur in abstracto: vt v.g. si definiatur albedo, dicendum erit: est color disgregatiuus visus. In hac definitione ponitur subiectũ implicitè, .s. corpus terminatum, imo cùm semper loco nominis possimus accipere definitionem, ideò sicut dicitur albedo est color: ita loco coloris possumus ponere definitionem coloris, & dicere, albedo est extremitas perspicui in corpore terminato disgregatiua visus; & sic vel implicitè, vel explicitè semper ponitur subiectum.

Quo notato probatur conclusio ab Aegidio primo sic. Inter definitionem, & definitum debet esse proportio: quia ex 7. met. t. 33. oportet esse proportionem totius sermonis ad totam rem .i. definitionis ad definitum: sed definitum, nempe accidens in concreto non potest intelligi sine subiecto; ergo nec potest definiri sine subiecto: mi. prob. ex

4. met.

4. met. ita se habet accidens respectu subiecti, sicut omnia sana respectu vnius sani, cui attribuuntur: sicut enim omnia sana attribuuntur vni sano, ita omnia accidentia vni enti: sed alia sana non possunt intelligi vt sana, nisi per attributionem ad primum sanum, respectu cuius dicuntur sana: ergo nec potest intelligi accidens in concreto in ratione entis, nisi per attributionem ad illud ens respectu cuius dicuntur entia: ergo oportet quod in eius definitione ponatur illud subiectum respectu cuius habet rationem entis: non enim definitur, nisi in ratione entis.

Secundo ex eodem quia definitio est terminus intellectionis, & cognitionis definiti ex 5. met. t 22. sed accidens sine subiecto non potest terminare intellectionem; quia cũ secundum se sit dependens à subiecto, non potest præciso subiecto intelligi vt terminatum, aut terminare intellectionem: ergo non potest definiri sine subiecto, & per consequens, vt definiatur, debet definiri per subiectum.

Confirmatur sicut res se habet ad esse, ita ad cognosci: sed accidentia nec secundum esse actuale, nec secundum esse essentiæ separantur à subiecto; cum sint posteriora subiecto, & posterius non possit separari à priori: ergo non possunt nec cognosci, nec definiri sine subiecto; id enim quod concipit intellectus intelligendo simplicia, est definitio: cũ ergo in conceptu non separentur à subiecto, nec separabuntur in definitione, quę est ipse conceptus rei.

Tertio definitio quæ non est per additamenta constat ex genere, & differentia tamquam ex partibus: & ita vt illud quod se habet, vt potentiale sit genus; illud verò quod se habet vt actuale sit differentia: sed definitio accidentis in concreto non potest habere genus, & differentiã; ergo talis definitio erit per additamentum prob. mi. quia si ea, quæ ponuntur in tali definitione essent genus, & differentia, tunc committeretur nugatio, & idem bis, & infinities repeteretur: hoc autem est inconueniẽs; ergo & id ex quo sequitur. Sequela ma. pr. in hac definitione; si v.g. definiamus simum, dicemus simus est nasus concauus. In hac definitione nasus erit genus, & cauitas differentiã; quia nasus est quid potentiale, & est materia in qua fundatur cauitas, et ideo esset genus: cauitas autem esset differentia, quia esset quid actuale: tunc autem his repeteretur nasus tã ex parte generis, quam ex parte differentiæ; et probatur ex parte differentiæ, quia si cauũ esset differentia, conuerteretur cum simo, et tũc loco caui accipi poterit simum, et loco simi definitio simi, .s. nasus cauus, quia semper loco nominis accipi potest definitio eius ex 6. top. 15. tunc autem bis diceretur nasus; nam esset sensus nasus cauus est nasus cauus.

Probatur etiam ex parte generis; nam si nasus esset genus dicendo nasus simus bis diceretur nasus, quia loco simi accipi poterit definitio simi, .s. nasus cauus, et ita dicendo simus est nasus cauus, dicemus nasus cauus est nasus cauus; nam si nasus est genus simi, et cauus est eius differentia; tunc loco simi semel accipiam definitionem simi; et iterum accipiam loco differentię definitionem simi, & tunc esset sensus:

na-

nasus cauus, nasus cauus, est nasus cauus, nasus cauus: ergo idem bis, & infinities repeteretur: ergo definitio simi non constat ex genere, & differentia, sed est per additamentum.

Vltimo probatur absolute quod cauum non possit esse differentia simi: nam differentia constitutiua debet conuerti cum definito per eam constituto, & sic rationale quod est differentia hominis, conuertitur cum homine; sed cauum non potest cõuerti cum simo: ergo non est differentia simi: prob. mi. quia licet simum non possit intelligi sine naso; cauum tamen potest intelligi sine simo: nam potest esse in aliquo subiecto in quo non est simum: ergo non potest esse differentia simi.

§. 2.

Soluuntur tres difficultates.

VErum contra has rationes, & doctrinam in eis contentam tres insurgunt difficultates; & prima est, quia ad hoc vt sit nugatio non requiritur quod nasus sit genus simi: ergo non ideo est nugatio, quia nasus est genus: pr.ant. quia pro simo possum accipere definitionem simi .s. nasum cauum, & ita dicendo nasum cauum absque alia hypostasi implicabitur nugatio, & erit idem ac dicere nasus cauus.

Respondet Aegidius quod duobus modis vnum potest esse de intellectu alterius: nam vel est de intellectu primo: vel de intellectu secundo. De primo intellectu sunt essentialia, vt genus, & differentia: de intellectu secundo sunt ea, quę sunt extra essentiam; tamen propter dependentiam quam habent ab essentia, intelliguntur per illa: inter ista autem reperitur diuersitas: nam ea quæ sunt de intellectu primo quantumcumque apponantur, semper intelliguntur: vnde quantumcumque apponatur animal dicendo animal homo, semper in homine intelligitur animal, quia animal est de essentia hominis, & ideo cum dicitur animal homo, adhuc in homine iterum intelligitur animal. Ea quæ sunt de intellectu secundo, si non apponantur intelliguntur, sed si apponantur, non vlterius intelliguntur & ideo dicendo duplum, in eo intelligitur dimidium, sed dicendo duplum dimidij, non vlterius intelligitur dimidium. Sic etiam dicendo simum, intelligitur nasus: sed dicendo nasum simum, non vlterius intelligitur nasus. Ratio autem est, quia vnum relatiuorum non est de essentia alterius, sed solum habet dependentiam per se ad illud, & ex vi talis dependentiæ dat intelligere ipsum. Sic etiam subiectum non est de essentia passionis, passio tamen habet dependentiam à subiecto, & ratione huius dependentiæ etiam si ponatur sine subiecto, adhuc tamen dat intelligere subiectum, quia eius cognitio sine subiecto non est terminata: quando tamen vni relatiuorum additur reliquum, & passioni additur subiectum, tunc quia dependentia est terminata, cùm ibi sit explicite positum subiectum, non vlterius dat intelligere aliud, quia ratio quare vnum intelligebatur in alio erat dependentia, at hæc est amota per explicitã appositionem subiecti, vel alterius relatiui: ideo non dat vlterius

rius

rius aliud intelligere: & quia simum est passio nasi, ideo si sumatur sine subiecto, dat intelligere nasum: si vero sumatur cum subiecto, non dat vlterius intelligere nasum, & ideo tunc nulla nugatio committitur. Quod si nasus esset genus simi, esset de primo intellectu simi; & ideo quantumcumque poneretur, semper intelligeretur; vnde dicendo nasum simum, non est nugatio simpliciter loquendo, sed tantum ex suppositione, quod nasus sit genus. Et ex his patet solutio ad difficultatem.

Secunda difficultas est, quia si cauum esset differentia, & conuerteretur cùm simo non possemus pro cauo accipere simum: ergo falsum est, quod in ea ratione dicebatur: prob. ant. quia si rationale esset differentia hominis, & conuerteretur cum ipso, non possemus tunc accipere vnum loco alterius: quia tunc sequeretur quod sicut homo est animal; ita rationale esset animal rationale, & tunc genus prædicaretur de differentia, contra Arist. 3. met. t.10. dicente, si genus prædicaretur de differentia, tunc vnum animal esset multa animalia: ergo &c.

Pro responsione notat Aegidius quod genus, & differentia in definitione accidentium non sumuntur sicut in definitione substantiarum: nam in definitione substantiarum id quod est potentiale, est genus: id vero quod est actuale est differentia, vt animal est genus, rationale est differentia; & ideo in his definitum, & genus pertinent ad rectam lineam; non tamen definitum, & differentia: at in definitione accidentium illud quod est actuale est genus; quod vero est potentiale est differentia, & in casu nostro cauum est genus proprie loquendo: quia cauum secundum se est vniuersale, & ad plura se extendit, & cum ei additur nasus, contrahitur, & specificatur, quod indicat ipsum esse genus. Sicut ergo in definitione substantiarum definitum, & potentiale seu genus pertinebant ad rectam lineam: ita in definitione accidentium, definitum, & potentiale, seu genus pertinent ad rectam lineam, vt simus, & cauus: qua de causa in definitione substantiarum non valebat; rationale conuertitur cum homine: ergo vnum poterat accipi pro alio: quia rationale, & homo nõ cadunt in recta linea: si tamen animal esset idem quod homo, & cum ipso conuerteretur, tunc vnum posset accipi loco vlterius, quia tunc homo, & animal non differrent, nisi sicut vestis, & indumentum; & iam essent in eadem linea Quo notato.

Ad difficultatem Respond. neg. ant. quia in definitione accidentium simum, & cauum v.g. cadunt in eadem linea, rationale tamen & homo non cadunt in eadem recta linea, & ideo in illa vnum potest accipi pro alio, non tamen in ista, seu in definitione substantiarum.

Tertia difficultas est, quia sequeretur quod dicendo homo animal, infinities diceretur animal, sicut dicendo nasus cauus infinities dicitur nasus: sed hoc non est verum, quia non semper pro rationali possumus accipere hominem, licet pro homine possimus accipere definitionem hominis: ergo nec id ex quo &c.

Respondet Aegidius neg. paritatem: quia dicendo homo animal non infinities dicitur animal, sicut

dicendo nasus simus infinities dicitur nasus: & ratio est, quia si pro simo acciperetur definitio simi, .s. nasus cauus, tunc dicendo nasus simus, bis diceretur nasus, et quia semper pro cauo potest accipi simus, & pro simo definitio simi, ideo in infinitum poneretur nasus: sed dicendo homo animal; pro homine quidem potest accipi animal rationale, & tunc bis haberetur animal: quia tamen pro rationali non potest accipi homo, sicut pro cauo poterat accipi simus: ideo non esset processus in infinitum in appositione animalis, sicut in appositione simi non erat hic processus. Idē docet Aegid. 1. Elench. pag. 41.

§. 3.

Argumenta soluuntur.

VErum contra propositam conclusionem Ob. 1. Quod habet propriam essētiam, habet propriam definitionem; sed accidentia habent propriam essentiam, cum sint distincta prædicamenta: ergo etiam habent propriam definitionem.

Resp. ex Aegidio loc. cit. dist. ma. quod habet propriam essentiam implicite, & explicite independentem à subiecto, habet propriam definitionem concedo: quod habet essentiam implicite, vel explicite dependentem à subiecto, habet propriam definitionem, nego: accidentia autem habent essentiam dependentem à subiecto, ideo non possunt nec intelligi, nec definiri sine subiecto. Sic etiam licet habeant proprium genus, & propriam differentiam, quia tamen ista nō possunt esse sine subiecto, ideo nec possunt sine ipso definiri; cum vnumquodque sicut se habet ad esse, ita ad cognosci.

Ob. 2. Si accidens definiretur per subiectum, hoc esset quia dependet ab ipso; sed multæ substantiæ dependent ab accidentibus, sine quibus non possunt esse, nec produci, vt ignis sine calore, & tamen non definiuntur per accidentia: ergo nec accidentia debent per subiectum definiri, etiam si pendeant à subiecto.

Resp. ex Aegid. neg. paritatem, quia maior est dependentia accidentis à subiecto, quam substantiæ ab accidentibus: substantia enim tantum pendet ab accidentibus quoad sui productionem: accidentia verò & quoad productionem, & quoad sui conseruationem.

Ob. 3. Genus, & differentia conueniunt accidentibus in primo modo dicendi per se: ergo non conueniunt ei dependenter à substantia; quod enim sic conuenit alicui, non conuenit ei per aliud.

Resp. neg. conseq. & ad prob. dist. non conuenit ei per aliud, de quo per prius prædicetur, concedo: à quo per prius sumatur, non tamen de eo prædicetur, nego: differentiæ ergo accidentium licet prædicentur de speciebus, quas constituunt, tamen sumuntur à subiectis, à quibus implicite dependent.

Ob. 4. Accidens abstractiue sumptum concipitur sine substantia: ergo vt sic conceptum potest definiri sine substantia; vnumquodque enim sicut concipitur, & significatur, ita potest definiri.

Resp. dist. ant. concipitur sine substantia explicite concedo, implicite nego: & licet tunc non appræhendatur vt actu existēs in substantia;

tia; appræhenditur tamen eius quidditas, vt implicite dependens à substantia.

§. 4.

Quædam alia circa ista definio.

AD exactam intelligentiam harum definitionum tam in cõcreto, quam in abstracto, nonnulla placet adijcere ex Aegidio.

Dubitatur primo. *Quomodo differant accidens in concreto, & in abstracto?*

Resp. ex Aegidio p.5. dist 9. p.1. q.3. pag.58. & cap. de subst. dub.1. quod nõ differunt quantum ad rem significatam: sed tantum quantum ad modum significandi: vtraque enim significant eandem rem; differunt tamen quia accidens in abstracto significat formam, & ipsam rem in se: vnde significat ipsam formam puram, & alijs impermixtam: accidens autem in concreto significat formam non vt in se, sed vt in habente; & maxime si sumatur adiectiue.

Dubitatur 2. *An accidentis definitio, tam in concreto, quam in abstracto includat subiectum?*

Resp. ex prænotatis cum Aegid. 7. met. qu. 2. affirmatiue, & tantum est differentia, quod accidens in concreto definitum, includit subiectum explicite: vel in recto: definitum verò in abstracto includit ipsum implicite; vel in obliquo. Quod dicitur de implicite, & explicite, colligitur ex Aegidio loc.cit. Quod dicitur de recto, & obliquo traditur expresse ab Aegid. 2.Elenc. pag.62. vbi ait. His suppositis videtur esse dicendum quod si definiatur passio in concreto; ponetur ibi subiectum in casu recto dicendo. Simus est nasus cauus: sed si definiatur passio in abstracto ponetur ibi subiectum in obliquo, quia si definiretur simitas, non bene diceretur, quod sit nasus cauus; sed quod sit nasi cauitas.

Dubitatur 3. *An subiectum ponatur in recto ratione significationis, vel ratione implicationis?*

Resp. cum Aegid. 2. Elench. pag. 62. & affero verba Aegidij. Dicendum quod simus licet implicet nasum in recto, quia bene dicitur nasus est simus; non tamen significat ipsum in recto: quia significare in recto est significare principaliter, & formaliter: simus enim principaliter, & formaliter significat simitatem, & vniuersaliter omnis passio formaliter, & per se significat accidens: materialiter autem, & quasi ex consequenti significat proprium subiectum tanquam propriam materiam, circa quã habet fieri. Quando ergo dicitur simus est nasus cauus; si hæc definitio denotet modũ, quo nasus implicatur in simo, sic est recta, & congrua: sed si denotet modum, quo nasus significatur in simo; sic nec est recta, nec est congrua: dictum est enim quod simus implicat nasum in recto, significat tamen ipsum in obliquo; & quia Philosophus hic loquitur de modo significandi, non de modo implicandi; ideo quod quæritur non habet dubium. Ita Aegidius. Ex quo patet quod subiectum ponitur in recto ratione implicationis, non ratione significationis.

Dubitatur 4. *Quomodo differat implicatio subiecti à significatione subiecti?*

 Resp.

Resp. cum Aegidio loc. cit. & affero eius verba. Dicendum quod nisi passio implicaret subiectum, numquam prædicaretur de eo: si .n. in simo non implicaretur nasus, non bene diceretur nasus simus: sicut ergo passio prædicatur de subiecto, sic implicat ipsum, & quia simus prædicatur de naso in recto, ideo in recto implicat ipsum, non tamen significat ipsum in recto, quia significare in recto est plusquam implicare, vel denominare in recto: illud enim in recto significatur, quod importatur per nomen principaliter, & per se: & quia passio principaliter, & formaliter dicit accidens, & non subiectum: ideo nomine passionis dicitur significari subiectum non in recto, sed in obliquo. Hæc si bene considerentur apparere potest quomodo differt implicatio à significatione: quia sic implicatur aliquid per aliud, vt denominetur per illud; si ergo denominetur in recto, implicatur in recto: sed si debet significari in recto, non sufficit quod denominetur in recto; sed requiritur quod principaliter importetur per ipsum. Ita Aegidius. Ex quo patet ad difficultatem.

Dubitatur 5. *Quodnam sit genus, & quæ differentia in his definitionibus?*

Resp. cum Aegidio 7. met. q. 2. quod tam in definitione in concreto, quam in abstracto; illud est genus quod habet rationem actualis, quod verò habet rationem potentialis est differentia; vt in hac definitione. Simus est nasus cauus. Cauus est genus, quia in plus se habet, & ad plura se extendit; nasus verò est differentia, quia contrahit cauitatem ad tale subiectum. Sic etiam in definitione data in abstracto. Simitas est cauitas nasi. Cauitas est genus, ly verò nasi est differentia ob rationem dictam: & in hoc differt definitio accidentis à definitione substantiæ, vt dicebat Aegid.

Hac in re hallucinatos video Cóplut. disp. 5. q. 2. asserentes in definitione in abstracto cauitatem esse genus, nasum verò esse differētiam; cæterum in definitione in concreto, nasum esse genus, cauitatem autem, vel cauum esse differentiam.

Contra quos argumentor. In omni definitione id quod in plus se habet, quam definitum, & quod est contrahibile per differentias, est genus: sed quando accidens definitur in concreto, cauum v. g. in plus se habet, estquè contrahibile per diuersas differentias; nam contrahi potest ad nasum, lignum, lapidem, æs, &c. ergo etiam in concreto cauum erit genus, & nasus erit differentia. Nec facit quod cauitas in eadem coordinatione sit superior, cæterum in diuersa, nempe respectu aliarum coordinationum spectantium ad diuersa prædicamenta, sit inferior naso, & sic nasus in concreto sit vniuersalior cauitate.

Nam contra est, quia in definitione in abstracto nasus per eos est differentia, & cauum est genus, & tamen nasus est indifferens ad diuersas lineas; ergo ex eo quod in concreto sit indifferens, non proinde erit genus; sicut enim est indifferens respectu diuersarum linearum, sic etiam quando est differentia: ergo erit eadem ratio in vtraque linea.

Noto tamen quod quando Aegidius

dius ait in definitione accidentium quod est actuale est genus, & quod est potentiale est differentia: non loquitur de potentiali, & actuali vt dicunt contrahibile, & contrahens; sic enim quod est contrahibile est potentiale in ordine ad id, quod contrahit; & quod contrahit est actuale; & sic subiectum est actuale, cauum est potentiale, quia cauum contrahitur per subiectum: sed loquitur de potentiali subiectiue, & actuali informatiue; qua ratione subiectum est potentiale, cauitas est actualis; & sic licet subiectum, seu nasus in habitudine ad cauitatem, quia afficitur, & informatur, sit potentiale, & cauitas sit actualis: tamen in habitudine contrahentis, & contrahibilis subiectum est actuale, cauum est potentiale.

SECTIO OCTAVA.

Alia quædam dubia de Definitione cum Aegidio expedio.

§. VNICVS.

Ad exactam definitionis cognitionem nonnulla alia dubia cum Aegidio in lib. post. definio.

DVbitatur primo. Quomodo definitio dicens quid nominis differat à definitione quid rei?

Resp. cum Aegid. 1. post. c. 1. quod differunt primo, quia definitio quid nominis est nota etiá pueris, & indoctis: nam si eis præcipias, vt afferant puluinar, non afferunt aquam: definitio vero quid rei est tantum nota illis, qui sunt in scientia versati: quia scire resoluere rem in sua principia definitiua, non est idiotarum, sed scientium. Differunt 2. quia definitio quid rei simpliciter loquendo est substátiarum; accidentium veiò est tantum per additamenta: definitio verò quid nominis est tam substantiæ, quam accidentium: nam pueri qui instruuntur in quid nominis, licet sciant quid significetur nomine albi, & quid nomine hominis, nesciunt tamen album esse accidens, & dependere à substantia. Differunt 3. quia quid nominis potest etiam esse non entium, vt si dicam (Hircocervus) possum scire quid significetur nomine Hirci, & nomine Cerui; nempe quod significatur animal compositum ex Hirco, & Ceruo: horum tamen nõ potest esse quid rei. Differunt 4. quia quid nominis potest esse complexorum: nam ex 2. post. tota historia Troiana habet quid nominis .s. Ilias: non tamen habet quid rei, quia ex 7. met. definitio quid rei non potest esse complexorum.

Dubitatur 2. *An definitio in eo quod definitio possit probari?*

Resp. ex Aegid. 2. post. pag. 108. Definitionem vt definitionem probari non posse sine petitione principij. Ratio est, quia vel probaretur secundum rationem generalem, vt v. g. definitio in eo quod definitio, vel secundum rationem specialem, vt v. g. probetur definitio materialis, vel formalis: sed neutro modo probari potest sine petitione principij: ergo &c. pr. mi. quia vt definitio in eo quod definitio concludatur de aliquo secundum rationem generalem; oportet quod in præmissis de illo eodem accipiatur definitio secundum quod definitio, secun-

cundum rationem generalem; & si debeat probari secundum quod definitio talis, oportet quod in præmissis de illo eodem accipiatur secundum eandem rationem specialem: ergo in vtraque probatione non erit notum vnum magis quam aliud: ergo probabitur idem per idē: ant. pr. quia tanta est vis in reduplicatione, & reduplicatio ita restringit modum considerandi, vt non possit aliter concludi reduplicatum in conclusione, quam eo modo quo reduplicatum est acceptum in præmissis: vt si arguatur, triangulus in eo quod triangulus habet tres: ysocheles est triangulus: non poterit cōcludi quod ysocheles in eo quod ysocheles habeat tres: sed in eo quod triangulus: nec aliter poterit inferri reduplicatio in conclusione, nisi vt accepta est in præmissis: si ergo definitio vt definitio debet concludi de aliquo definito, oportet quod reduplicatio eodem modo sumatur in præmissis, sicut in conclusione; quod sine petitione principij fieri non potest. Ex quo fit quod definitio formalis in eo quod formalis non possit inferre definitionem materialem in eo quod materialis; sed si inferat eam ex vi syllogistica, inferet vt formalis est: & licet definitio formalis secundum illationem simplicem possit inferre materialem; sicut triangulus secundum illationem simplicem potest inferre habere tres de ysochele; non tamen hoc potest facere secundum illationem reduplicatiuam.

Dubitatur 3. *An definitio possit probari per inductionem?*

Resp. cum Aegidio 2. post. pag. 110. col. 3. per inductionem non posse probari quid res sit, sed tantum quia sit. Ratio est, quia inductio procedit ex manifestis ad sensum: sed sensus non iudicat de ipso quodquid est nude accepto: sed tantum per se iudicat de accidentibus, de substantia vero iudicat per accidens, & in relatione ad accidens: ergo per inductionem non poterit probari quod quid est, vel definitio. Quia tamen sensus videt aliqua accidentia in isto, quæ in eo esse non possent, nisi esset homo: ideo per hæc accidentia sibi nota iudicat, quia est homo, non quid est homo: substantia enim in relatione ad accidens non dicit quid, sed quia est.

Dubitatur 4. *An definitio ostendat rem esse?*

Resp. cum Aegid. 2. post. pag. 112. neg. quia vel id faceret definitio quid nominis; & non, cum talis definitio possit esse non entis: vel definitio quid rei; & non, quia definitio quid rei supponit de re, quia est; & ostendit quid est de ea: nisi enim priùs sciamus quod definitum est res prædicamenti, non possumus de eo habere quid rei.

Dubitatur 5. *Quomodo differant in passionibus definitio quid, & propter quid?* Resp. ex Aegid. 2. post. pag. 114. quod in istis definitio dicens quid, dicit ipsam essentiā, vt quid est eclypsis essentialiter? est quædam priuatio luminis: & sic definitio quid est ipsa essentia eclypsis: definitio propter quid dicit causam talis essentiæ, vt eclypsis est propter interpositionem terræ; hæc enim est definitio dicens propter quid; & hæc definitio non est essentialiter idem, quod eclypsis: quia inter-

interpositio terrę non est essentialiter eclypsis, licet ab ea causetur.

Dubitatur 6. *An definitio dicens propter quid sit tota demonstratio?*

Resp. cum Aegidio 2. post. pag. 120. quod definitio dicens propter quid, est tota demonstratio virtualiter; quia in causa virtualiter habet esse effectus: definitio dicens quid, & propter quid, est tota demostratio materialiter: quia definitio dicens quid continet duo .s. essentiam passionis, & subiectum: vt cum dicitur eclypsis est priuatio luminis in luna: definitio propter quid, dicit causam: ista autem tria .s. essentia passionis, subiectum, & causa sunt tota demonstratio: differt tamen à demonstratione positione, & ordine, quia non est ordinata, & situata secundum modum, & figuram syllogisticam.

Dubitatur 7. *An definitio subiecti sit medium in potissima demonstratione?*

Resp. Quod de hac difficultate commodius dicam de demonstratione, vbi pariter quædam alia ad definitionem attinentia, magis tamen connexa cum demonstratione, excurram.

CAPVT QVARTVM.
De Terminis.

§. 1.
Definitiones, & Diuisiones terminorum statuo cum Aegidio,

TErminus vt pertinet ad primã operationem intellectus, sic definiri debet (vt colligitur ex Aegidio lib. p. perhier. pag. 51.) est signum constituens intellectum pro se, vel pro aliqua simplici quidditate cognoscenda. In qua definitione signum est genus, cæteræ particulæ tenent locum differentiæ. Dicitur signum, quia aliquid intellectui manifestat. Dicitur constituens intellectum, quia per illud signum intellectus constituitur potens cognoscere aliquam rem, vel aliquod simplex significatum. Dicitur pro se, quia sunt aliqui termini, qui intellectui nihil aliud manifestant, nisi seipsos: vt buf. baf. bilitri; nam si dicatur Bilitri; intellectus appræhendit ipsum Bilitri. Dicitur vel pro aliqua simplici quidditate cognoscenda, quia termini vt plurimum vltra seipsos, etiam aliquam quidditatem, vel naturam intellectui manifestant; & quia hic definitur terminus, vt pertinet ad primam operationem intellectus, & hæc est simplicium quidditatum appræhensio: ideo dicitur pro aliqua simplici quidditate, &c.

Pro hac definitione noto est Aegidio p. Elench. pag. 11. col. p. quod quilibet terminus prolatus dupliciter significat: nam vno modo repræsentat conceptionem sui ipsius: alio modo repræsentat conceptiones, & rationes rerum: primo modo terminus repræsentare potest quod est in imaginatione, vt terminus extra prolatus, signum est termini imaginati: secũdo modo .s. prout per terminos significantur rationes rerum, sic termini sunt signa intellectuum. Ex hac doctrina infero quod ex Aegidio terminus definiẽdus est per signum. Infero secundo quod recte dicitur vel pro se, quia ly Bilitri vt voce profertur, licet non significet aliquam rationem, vel quid-

quidditatem rei; significat tamen se ipsum quatenus est in imaginatione conceptus. Infero tertio quod bene ex Aegidio dicitur vel pro aliqua quidditate cognoscenda, quia termini vt plurimum sunt signa rationum, seu quidditatum rerum.

Multæ sunt diuisiones terminorum, præcipuæ tamen sunt istæ.

Prima diuisio. Terminorum quidam est per se significatiuus, quidam vero non. Terminus per se significatiuus est signum, quod per se sumptum constituit intellectum pro aliqua quidditate cognoscenda; vt homo. Terminus non per se significatiuus est signum, quod per se sumptum non constituit intellectũ pro aliqua quidditate cognoscenda; sed tantum pro seipso, vt est imaginatus, vt omnis, & nullus, & similes. Diuisum in hac diuisione est terminus vt sic; membra diuidentia sunt ly per se significatiuus, & ly non per se &c. & quodlibet membrum ex his significat aliqua, & non omnia, quæ significantur per terminum vt sic.

Dices omnis terminus est signũ: ergo omnis terminus est per se significatiuus: quia signum per se significat.

Resp. ex doctrina cum Aegidio præmissa dist. ant. est signum vt abstrahit à significare rationem, & quidditatem rei, & seipsum vt in imaginatione conceptum, concedo: vt determinate dicit significare quidditatem, vel rationem rei, nego: terminus per se significatiuus dicit significare secundo modo, & ideo non omnis terminus est per se significatiuus.

Secunda diuisio est ista. Terminorum quidam significat naturaliter, quidam ad placitum. Terminus naturaliter significans est signum constituens intellectum apud omnes pro eadem quidditate, vel natura cognoscenda: vt ly homo in mente. Terminus ad placitum significans ex Aegid. p. Elench. pag. 11. col. p. est signum ex hominum institutione, & placito constituens intellectum pro ea quidditate cognoscenda, ad quá est institutum: vt ly homo in voce, vel in scripto, qui apud nos significat hominem; non tamen apud alias rationes, v.g. græcos, vel hæbreos.

Pro hac diuisione noto quod terminus naturaliter significatiuus est ipse conceptus rei in mente existẽs, qui conceptus immediate significat rem, cuius est conceptus, & quia conceptus hominis v.g. est idem apud omnes nationes, similiter & natura humana per conceptum significata; nam conceptus rerum sunt impermutabiles, sicut & rerum naturæ: ideo talis conceptus est terminus naturaliter significatiuus: vnde sicut imago Cæsaris repræsentat Cæsarem vbicumque reperiatur: ita conceptus rei in omni natione rem ipsam repræsentat.

Dices. Ex hominum institutione poterat institui ly homo in voce ad significandam naturam humanam apud omnes nationes: sed tunc talis terminus idem significaret apud omnes, & tamen non esset conceptus rei: ergo ad significandum idem apud omnes nationes non requiritur quod signum sit conceptus rei.

Resp. dist. mi. significaret idem apud omnes ex vi suæ naturæ, nego:

nos

non enim est conceptus rei, cuius est rem ipsam ex vi suæ naturæ exprimere: significaret idem ex vi institutionis, & per accidens, quatenus in tali impositione conuenire poterant omnes nationes, concedo: terminus tamen naturaliter significatiuus habet exprimere rem ipsam ex vi suæ naturæ, & per se; non vero per accidens.

Tertia diuisio. Terminorum quidam est cathegorematicus, & quidam syncathegorematicus. Terminus cathegorematicus est signum constituens intellectum pro aliqua re cognoscenda habens significare per modum per se stantis, vt homo, lapis. Terminus syncathegorematicus est signum, quod per se sumptũ non constituit intellectum pro aliqua re, sed tantum constituit pro officio distribuendi, vel vniuersaliter, vt sunt signa vniuersalia, omnis, nullus: vel particulariter, vt hic, ille, iste, &c.

Pro hac diuisione noto quod hæc est differentia inter terminum per se significatiuum, & terminum cathegorematicum; quod per se significatiuus est superior ad cathegorematicum, & non è contra; nam bonus, albus, & alia adiectiua sunt termini per se significatiui, quia per se sumpti significant bonitatem, vel albedine: non tamen sunt cathegorematici, quia non significant rem per se, sed in alio; significant enim formam adiacentem, vel existentem in subiecto: vnde terminus per se significatiuus habet tantum perseitatem ex parte sui, quia per se, & non ex vi coniunctionis cùm alio habet significare, atque adeo etiam si solitarie sumatur significat: non tamen habet perseitatem ex parte rei significatæ, sed potius res significata est in alio: at terminus cathegorematicus habet perseitatem tàm ex parte sui, quia si per se, & solitarie sumatur, significat; quàm ex parte rei significatæ, quia res significata siuè sumatur solitariè, siuè vt vnita cum alijs terminis semper habet modum per se essendi, & semper retinet suum significatum. Ex quo colligo sola nomina substantiua esse propriè terminos cathegorematicos.

Quarta diuisio. Terminorum alius est primæ intentionis, alius secundæ intentionis. Terminus primæ intentionis ex Aegidio quodl. 2. q. 6. est signum constituens intellectum pro re directe cognita ab intellectu, vt ly natura, quæ ex Aegidio 1. sent. d. 25. p. p. q. 1. est terminus primæ intentionis, & dicit ipsam essentiam cognitam ab intellectum per primam eius lationem, seu per actionem directam eiusdem intellectus. Terminus secundæ intentionis est signum constituens intellectũ pro eo, quod resultat ex vi secundæ lationis, seu operationis reflexæ eiusdem intellectus: vt species, & indiuiduum; prædicatum, & subiectum: ex eo enim quod intellectus naturam humanam comparat cum indiuiduis, resultat in ea ratio speciei, vnde ly species est terminus secundæ intentionis.

Pro hac diuisione noto quod intentio non est aliud ex Aegidio loc. cit. quam tensio in aliud; & duplex est: alia formalis, alia obiectiua. Intentio formalis est ipsa cognitio; intentio obiectiua est res cognita. Vtraque duplex: alia est intẽtio for-

malis directa; & est cognitio, qua obiectum directè cognoscitur: alia reflexa, & est cognitio reflexa, qua obiectum secundo cognoscitur. Intentio prima obiectiua est res directè cognita: secunda verò est ipsum obiectum, vt reflexe cognitum.

Quinta diuisio. Terminorum alius est abstractus, alius concretus. Terminus abstractus ex Aegidio 1. sent. dist. 9. p.p. q. 3. est signum constituens intellectum pro ipsa re in se: vt deitas, bonitas, magnitudo. Terminus concretus duplex est ex eodem ibidem; alius substantiuus, alius adiectiuus. Terminus concretus substantiuus est signum constituens intellectum pro re per se existente; vt leo, lapis. Terminus adiectiuus est signum constituens intellectum pro re, vt est in habente, vt sapiens.

Sexta diuisio. Terminorum alius est absolutus, alius connotatiuus. Terminus absolutus est signum constituens intellectum pro re, vt per se stante, & ab altero non dependente, vt sunt omnia nomina substantiua. Terminus connotatiuus est signum constituens intellectum pro re, vt alteri adiacente; vt sunt omnia nomina adiectiua; vt albus, cœcus, &c. Vnde terminus connotatiuus duas significationes includit. nam principaliter, & in recto significat ipsam formam, in obliquo verò significat subiectum cui adiacet, vt supra dictum est cum Aegidio de Simo.

Pro his diuisionibus noto primo ex doctrina superius data cũ Aegidio de Simo; quod connotare aliquid duobus modis esse potest: nam vel connotat ipsum implicando ipsum (quod potest dici connotatio secundum rem) vel connotat sine implicatione (& potest dici connotatio secundum modum) vt terminus sit connotatiuus nõ sufficit quod connotet secundum modum: nam scientia, sapientia, cognitio, visio, connotant sua obiecta, et tamen non sunt termini connotatiui, sed absoluti, quia non implicant obiectum, vt intrinsecè sint in obiecto, sed dicunt rem absolutam habentem tamen quemdam modum relatiuum ad sua obiecta; sed requiritur vt implicent connotatum secundum rem, ita vt forma in connotato reperiatur, sicut est ly albus, calidus, &c.

Ex hac doctrina colligo, quod isti termini pater, magister, dominus; & ex opposito filius, discipulus, seruus; licet metaphysicè loquendo sint termini relatiui, & non possint cognosci sine correlatiuis; cum relatiua sint simul cognitione, & definitione: atque adeo sub ista consideratione possint dici connotatiui: tamen Logicè loquendo sunt termini absoluti, non connotatiui; quia terminus absolutus hic non sumitur, vt opponitur relatiuo, sed connotatiuo, terminus autem absolutus (Logicè loquendo) significat per modum per se stantis; ita quod habeat suum significatum absque eo, quod in altero sit: terminus verò connotatiuus (Logicè loquendo) non habet suum significatum, nisi vt alteri inhærens, & vt implicans alterum: nam principaliter significat formam, & ex consequenti subiectum cui inhæret: & etiam implicat subiectum, ita vt de eo in recto prædicetur, atque adeo non significat nisi vt inhærens, & vt implicans subie-

ctum:

ctum: & quia pater non significat formam, vt inhærentem filio, nec implicat filium in recto, vt dici possit pater est filius; ideo Logicè non erit connotatiuus: quia verò significat per modum per se stantis, & habet suum significatum absque inhæsione in filio: ideo Logicè erit terminus absolutus.

Noto 2. quod termini abstracti, & absoluti non conuertuntur; nam licet omnes termini abstracti sint absoluti, non tamen omnes absoluti sunt abstracti: nam homo, lapis, leo, &c. sunt termini absoluti; non tamen sunt abstracti: sic etiam termini concreti, & connotatiui non conuertuntur; nam homo est concretus, non tamen connotatiuus. Similiter adiectiui sunt connotatiui, non tamen è contra: ita communiter docent summulistæ.

Septima diuisio. Terminorum quidam est communis, quidam singularis. Communis constituit intellectum pro pluribus, de quibus potest prædicari, vt homo, qui potest prædicari de Sorte, & Platone. Singularis constituit intellectum pro vna re determinata, vt Sortes.

Octaua diuisio. Terminorum quidam est copulatiuus, & constituit intellectum pro pluribus copulatim acceptis, vt populus, Ciuitas: quidam diuisiuus, & constituit intellectum pro pluribus diuisim acceptis, ita vt de singulis possit prædicari; vt homo, & omnis terminus communis.

Nona diuisio. Terminorum quidam est mentalis, quidam vocalis, & quidam scriptus. Mentalis constituit intellectum pro re in mente concepta. Vocalis constituit intellectum pro re in voce prolata. Scriptus constituit intellectum pro re in papyro scripta.

Decima diuisio. Terminorum alij sunt transcendentales, vt qui cõstituunt intellectum pro re, vel conceptu per omnia rerum genera vagante, vt ens, verum, bonum, res, aliquid: alij prædicamentales, vt qui constituunt intellectum pro conceptu in vno tantum prædicamẽto contento; vt substantia, viuens, quantitas, qualitas, &c.

Vndecima diuisio. Terminorum alij sunt Vniuoci, alij Aequiuoci, alij denominatiui, alij analogi; de quibus infra.

Duodecima diuisio. Terminorum alij sunt complexi, vt homo albus: alij incomplexi, vt homo; quibus applicanda est communis definitio.

Decimatertia. Terminorum alij sunt impertinentes, seu disparati; vt qui nec repugnant, nec se mutuo inferunt, vt doctus, & iustus. Alij sunt pertinentes, vt qui se inferunt, vt homo, & risibile. Alij repugnantes, vt qui ad inuicem repugnant, vt homo, & equus. Alias diuisiones tradunt Summulistæ, hæ tamen sunt præcipuæ, & magis scientiæ acquirendæ inseruientes.

§. 2.

Definitio, & diuisio signi proponitur.

QVia terminus definitus est per signum, oportet de eo aliqua statuere. Signum ergo in communi est illud, quod potentiæ cognoscitiuæ aliquid aliud repræsentat: vnde à D. P. Aug. lib. 2. de Doctrina Christ. c. 1. definitur sic. Est illud, quod

quod præter speciem, quam ingerit sensibus aliquid aliud facit in cognitionem venire, vt viso fumo cognoscitur ignis.

Signum duplex est, .s. formale, & instrumentale. Signum formale est id, quod se ipso aliquid repræsentat; vt cognitio. Signum instrumentale est illud, quod ex præsupposita cognitione sui aliquid aliud à se repræsentat, vt imago Cæsaris. Signum instrumentale duplex est; aliud naturale, aliud ad placitum. Naturale est illud, quod ex intrinseca connexione cum altero, alterum repræsentat, vt gemitus est signum doloris, & risus est signum lætitiæ. Ad placitum est illud, quod ex hominum institutione aliud repræsentat, vt sonitus Campanæ est signum sacrificij.

CAPVT QVINTVM.
De Passionibus Terminorum.

§. 1.
De Suppositione.

SIcut terminus habet essentiam, sic etiam habet passiones talem essentiam consequentes. Hæ autem sunt. Suppositio, Status, Ampliatio, Restrictio, Diminutio, Alienatio, & Appellatio.

De his autem passionibus nulla hucusque reperij in Aegidio; idcirco cùm communiori sententia rem expediam.

Suppositio, ex Paulo Veneto, est acceptio termini pro aliquo, vel pro aliquibus, vt Sortes currit; Callias, & Plato mouentur.

Pro hac definitione noto quod tria competunt termino per ordinem: significatio, subiectio, & suppositio; primo enim accipitur terminus ab intellectu ad determinate significandum conceptum, & sic ei conuenit significatio: secundo stante significatione accipitur ab intellectu, vt extremum propositionis: & sic ei competit subiectio: tertio stante subiectione accipitur ab intellectu in propositione pro aliquo, vel aliquibus, de quibus verificetur: vt dicendo homo est albus: ly homo supponit pro re illa, cui conuenit illud nomen: ita vt res cui nomen conuenit, verè inueniatur; & respectu huius dicitur suppositio, quia terminus ponitur, & substituitur loco rei. Qua in re notandus est modus loquendi; non enim debemus dicere terminum supponere pro re: sed in passiuo .s. supponi pro re; terminus enim non supponit actiuè, sed passiuè supponitur pro re, & vice eius. Dicitur in propositione, quia terminus extra propositionem non supponit in ordine ad veritatem. Dicitur pro aliquo, vel pro aliquibus, quia terminus potest poni, vel pro vna re, vel pro pluribus.

Quæres. An terminus extra propositionem supponat, & quomodo?

Resp. præmittendo ex Aegidio 1. perhier. col. 3. & 1. Elench. pag. 11. terminos, seu nomina primario, & immediatè significare conceptum; secundario verò, & mediatè significare rem ad extra. Quo posito.

Dico terminum extra propositionem significare conceptum rei; nam audito nomine hominis, constituitur intellectus ad intelligendum illum simplicem conceptum, ad quem significandum est impositum hoc nomen homo. Insuper etiam suppone-

ponere pro natura humana, quam mediatè significat, & loco cuius ponitur in ordine ad constituendum intellectum simplicem: non tamen extra propositionem verificari, aut supponere, quatenus supponere dicit ponere suum significatum sub prædicato. Ratio autem est, quia ex Aegidio veritas tantum est in intellectu componente, & diuidente: seu affirmante, vel negante: ergo verificari, & ponere suum significatum sub prædicato tantum potest esse in propositione: ergo extra propositionem terminus non verificatur, nec in hoc sensu supponit.

Rogas. Quid sit argumentari à subiecto non supponente?

Resp. Propositiones necessarias non posse esse falsas à subiecto non supponente, quia in his tantum denotatur necessaria connexio prædicati cum subiecto, quæ connexio non requirit existentiam subiecti. Alias verò dici sic falsas, quia subiectum non habet talem existentiam, qualis exprimitur tempore importato per copulam, v.g. Spiritus Sanctus à solo patre procedens super Apostolos descendit: hæc propositio est falsa: non quia Spiritus Sanctus super Apostolos in die Pentecostes non descenderit; sed quia ly procedens copulat prædicatum cum tali subiecto, seu Spiritu Sancto, qui non datur; non enim datur Spiritus Sanctus, qui à solo patre procedat.

Suppositio duplex est, materialis .s. & formalis. Suppositio materialis, seu verbalis est acceptio termini, vel vocis pro se ipsa, vt dicendo homo est nomen; homo est vox, terminus quippe significatiuus duo habet, vnum materiale, & est ipse sonus ex ore animalis prolatus; vel est ipsa vox literis composita; alterum formale, & est ipsa significatio conceptus: in suppositione ergo materiali accipitur terminus, vt est compositus ex literis, non vt est significatiuus, & expræssiuus conceptus. Suppositio formalis est acceptio termini pro suo significato; & dicitur formalis, quia significatio est formale ipsius termini; vt cum dicitur, homo est animal rationale.

Suppositio formalis duplex est, alia propria, & est acceptio termini pro re, quam propriè significat, vt leo rugit, canis latrat. Alia metaphorica, & est acceptio termini pro re, quam per metaphoram significat, vt cum Christus dixit. Ego sum vitis vera; & pater meus agricola est.

Suppositio propria alia est simplex, alia personalis. Suppositio simplex est acceptio termini pro suo immediato significato tantum: vt est quando subiectum est terminus primæ intentionis: prædicatum verò secundæ, vt homo est species. Vel est acceptio termini ad significandam rem, vt tantum subest secundis intentionibus: ly homo non supponit pro Sorte, & Platone, sed tantum pro natura humana in communi, quæ est immediatum significatum illius vocis. Suppositio personalis est acceptio termini pro suo mediato significato, seu pro inferioribus denominatis, vt cum dicitur. Homo est animal; ly homo supponit pro Petro, Paulo, & cæteris indiuiduis naturæ humanæ, quæ sunt significata inferiora ipso homine.

Suppositio personalis quatruplex est .s. vniuersalis, seu distributiua:

co-

copulatiua seu collectiua: determinata, seu disiunctiua: & confusa, seu disiuncta, suppositio vniuersalis, & distributiua est acceptio termini pro omnibus suis inferioribus copulatiuè enumeratis, vt cum dicitur, homo est animal, ly homo supponit pro forte, Platone, & pro cœteris semper acceptis per notam copulatiuam. Dicitur distributiua, quia distribui est prædicari de omnibus,& vniuersale de omnibus suis inferioribus prædicatur, suppositio vniuersalis copulata est acceptio termini pro omnibus suis inferioribus non seorsim, sed simul, & copulatim sumptis, vt cum dicitur, omnes Apostoli sunt duodecim; ly Apostoli non supponit pro his, vel illis; sed pro omnibus copulatiuè, & collectiuè sumptis.

Suppositio vniuersalis determinata, seu disiunctiua est acceptio termini pro suis inferioribus disiunctiue sumptis .i. per notam disiunctiuã sumptis, vt aliquis homo est albus sensus est, vel Petrus est albus, vel Sortes est albus,& sic de cœteris.

Suppositio vniuersalis confusa est acceptio termini pro omnibus inferioribus simul, & disiunctim .i. quando terminus ita accipitur sub disiunctione, vt non determinatè supponat pro aliquo, sed confusè pro omnibus simul, sub disiunctione tamen sumptis, vt cum dicitur oculus est necessarius ad videndum, ly oculus non supponit confusè pro omnibus simul, sub disiunctione tamen acceptis, vt cum infertur: ergo vel hic, vel ille oculus est necessarius.

Suppositio vniuersalis, vel est absoluta, vel accommoda. Suppositio vniuersalis absoluta est acceptio termini sine vlla determinatione, vel exceptiua, vel exclusiua, vel restrictiua, vt cum dicitur omnis homo est animal; suppositio vniuersalis accommoda est acceptio termini cum aliqua determinatione, vel implicita, vel explicita, vt cum dicitur, Cœlum tegit omnia intelligitur præter se; & hæc triplex est, exclusiua, exceptiua, & reduplicatiua. Exclusiua est acceptio termini determinati per particulam exclusiuam, quales sunt, solus, vnus, tantum: vt solus pater generat. Hæc autem vel est exclusiua subiecti, vt quando particula exclusiua subiecto præposita, alia subiecta ab eiusdem prædicati participatione excludit, vt solus sapiens est diues. Vel est exclusiua prædicati, & est quando particula exclusiua prædicato præposita, alia prædicata ab eiusdem subiecti participatione excludit, vt prædicamenta sunt tantum decem.

Suppositio exceptiua est acceptio termini determinati per particulam exceptiuam, vt sunt; præter, extra, nisi: vt omnes homines præter Noe, & eius domestici aquis diluuij perierunt.

Suppositio reduplicatiua est acceptio termini per particulam restrictiuam, & limitatiuam determinati, vt sunt particulæ: Qua, quatenus, vt, in quantum &c. v.g. animal quatenus animal sentit, homo vt homo intelligit.

Suppositio vniuersalis diuiditur etiam, quia vel est incompleta, seu pro generibus singulorum: vel cõpleta, seu pro singulis generum. Suppositio vniuersalis incompleta est acceptio termini pro omnibus gene-

generibus, vel speciebus, non autem pro omnibus indiuiduis, vt omne animal fuit in arca Noe, sensus est omne genus seu species animalium fuit in arca Noe, non tamen omnia animalium indiuidua; vbi ly omne distribuit incompletè .s. pro iudiuiduis.

Suppositio vniuersalis completa, est acceptio termini pro omnibus suis indiuiduis, vt omnis homo est animal, vbi ly omnis distribuit completè, & ex toto omnia indiuidua speciei humanæ complectitur.

§. 2.

De alijs passionibus terminorum.

STatus est acceptio termini pro tempore importato per copulã: vt si verbum importat tempus præsens, terminus stat pro tempore præsenti, sic de cæteris, vt cum dicitur. Sortes est albus: sensus est quod albedo de præsenti inest sorti. Ampliatio opponitur statui; & est extensio termini à minori ad maiorem suppositionem, vt sortes currit: ly sortes se extendit etiam ad tempus futurum, & est sensus Petrus qui est, vel erit curret. Tribus modis ampliari potest terminus, primo secundum tempus, vt homo est mortuus, ly homo ampliatur ad tempus præteritum, & est sensus, ille qui fuit homo. Secundo secundum supposita, vt quando se extendit nõ solum ad plura tempora, sed etiam ad plura subiecta, vel supposita, vt cum dicitur iustus saluabitur; ly iustus ampliatur ad singulos iustos. Tertio secundam formam importatam in concreto in ipso subiecto propositionis, vt album est nigrum; ampliatur forma albedinis inuariato eiusdem subiecto ad tempus præteritum, & est sensus, illud quod habuit albedinem.

Restrictio est coarctatio temporis à maiori ad minorem significationem, vt homo diues disputat, ly homo restringitur ad eum qui habet diuitias.

Diminutio est detractio partis suppositionis, vt Aethyops est albus secundum dentes, ly albus limitatur à particula secundum dentes, vt non significet totum subiectum album.

Alienatio est translatio termini à propria ad impropriam significationem, vt ego sum vitis vera; vbi vitis transfertur à propria significatione ad significandum Christum.

Appellatio est applicatio significati formalis vnius termini ad formale significatum alterius; vt Plato est magnus philosophus; ly magnus qui est terminus appellans, applicat suum significatum formale magnitudinis, ad formale significatum prædicati, .s. ad philosophiam: sed si diceretur, Plato magnus est philosophus; ly magnus caderet supra quantitatem Platonis. Terminus autem appellans, generatim cadit supra terminum, cui immediatè adiungitur. Plures regulas pro his passionibus tradunt summulistæ, pro quibus videri potest noster Venetus, Veracrux, Petrus Hispanus, Soto, Bannes, & alij.

CA.

DISPVTATIO TERTIA.
De Terminis.

SECTIO PRIMA.
Vtrum Definitio termini sit recte assignata.

§. 1.

Proponuntur variæ sententiæ, & vera cum Aegidio eligitur.

EX Aegidio lib. p.prior. pag.3.§. sed quæritur. Noto primò quod terminus sumi potest duobus modis, primo proprie .s. pro punctis terminantibus lineam, & hoc modo tantum habet esse in continuo, in quo tantum sunt puncta lineam terminantia: secundo metaphoricè, quo pacto sumitur pro omni eo, quod terminat, vel est extremum aliciuius rei, vt columna, quæ est in extremitate agri Sortis, dicitur terminus agri: hic non est sermo de termino primo modo accepto, sed secundo, .s. quatenus vel intellectum, vel enunciationem, vel propositionem terminat.

Noto secundo, quod terminus metaphorice acceptus tribus modis cōsiderari potest ex Aegid. li.p.perhier. c.p. §. circa principiũ huius libri ad tertium: primo vt significat simplices quidditates, & sic pertinet ad librum prædicamentorũ, & ad primã operationem intellectus: secundo vt est pars enunciationis, & pertinet ad lib.perhier. & ad secundam operationẽ intellectus: tertio vt est pars syllogismi, quo pacto pertinet ad lib.priorum, & ad tertiam operationem intellectus. Idem iterum docet Aegidius p.prior. c.p. pag. 2.col. 3. dum ait. Terminus duobus modis considerari potest.s.vel secundũ se, vel in ordine ad aliud: si primo modo, sic pertinet ad lib. prædicamentorum: si in ordine ad aliud, hoc potest esse dupliciter: nam vel ordinatur cum alio termino ad enũciationem generandam, & sic determinatur de eo in lib. perhier. vel in ordine ad propositionem resoluendam, & sic determinatur de eo in lib. priorum. ita Aegidius. Cum ergo tribus modis considerari possit, & sub his diuersis considerationibus ad diuersos lib. Logicæ, diuersamque intellectus operationem pertineat, videndum est quomodo sub his diuersis considerationibus definiri debeat.

Qua in re tres inuenio sentẽtias. Prima est eorum, qui definiunt terminum tantum in ordine ad enunciationem componendam, vnde asserunt terminum esse signum ponibile in propositione, vt Sotus, & Villalpandus lib. p. summul. c. p. & 2. Vel esse signum orationis constitutiuum, vt partẽ propinquam eiusdem, vt noster Venetus, & eius commentatores lib.p. c.p.

Secunda sententia est asserentiũ terminum in communi esse extremum propositionis: & proinde tantum definiunt terminum in ordine ad syllogismum. Hanc sent. docent. Tolet. lib. p. summul. c.10. Fonseca lib. 6. c. 9. Hurtadus disp. p. sect.2. Casilius lib. p. c. p. Ouiedo lib. p. controuer.p. p.p. & alij.

Tertia sententia est asserentium terminum secundum quod ad tres operationes intellectus, & tres partes Logicæ spectat, tribus definitionibus

nibus esse definiendum. Hanc sententiam colligo ex Aegid. loc. cit. eamque tamquam verá amplector; vnde pro resolutione.

Sit prima conclusio. Terminus vt pertinet ad primam operationem intellectus recte definitur quod sit signum constituens intellectum vel pro se, vel pro aliqua simplici quidditate cognoscenda. Quod debeat esse signum cõstituens intellectum, colligo ex Aegidio lib. p. perhier. pag. 2. col. p. dicente. Sed vlterius contra hoc arguitur: nam vna dictio sicut canis potest constituere intellectum pro diuersis passionibus: ergo non est eadem passio apud omnes. Et ad hoc dicit Expositor quod philosophus non intelligit ponere identitatem similitudinis ex parte vocis, sed ex parte ipsius rei. Vnde non intelligit, quin ex vna voce possint diuersa concipi: sed quod sicut est eadem res apud omnes: sic similitudo ipsius rei est eadem apud omnes: nam sicut asinus est idem apud omnes: ita et similitudo asini est eadem apud omnes. Hæc Aegidius: et idem docet in lib. prædicam. ex quo colligo Aegidium asserere terminum constituere intellectum. Quod vero debeat constituere pro aliqua simplici quidditate cognoscenda, colligo ex prol. Elenc. & post. pag. p. Ratio autem est, quia prima operatio intellectus versatur tantum circa simplices quidditates: ergo id quod has quidditates intellectui repræsentat, siue repræsentet principaliter, siue instrumentaliter, erit signum constituens intellectum pro simplici quidditate cognoscenda: ergo terminus vt pertinet ad primam operationem intellectus, recte definitur, quod sit signum constituens intellectum &c.

Confirmatur, quia prima operatio intellectus .i. simplicium quidditatum appræhensio, terminatur per signa huiusmodi simplices quidditates repræsentantia: ergo signa sic terminantia erunt termini: & hac ratione Arist. tum 7. met. tùm in lib. post. definitionem spectantem ad primã operationem intellectus vocat terminum, tùm quia simplices quidditates limitat, & terminat, tùm etiam quia simplicium cognitio per definitionem terminatur, vt constat ex dictis de definitione: ergo signum terminans primam operationem intellectus erit terminus.

Sit secunda conclusio. Terminus vt spectat ad secundam operationẽ intellectus bene definitur per hoc quod sit. Pars propinqua constitutiua enunciationis. Est Aegidij p. prior. c. p. pag. 3. iam cit. D. Th. p. perhier. lect. 8. & thomistarum omnium.

Ratio autem est, quia enunciatio essentialiter componitur ex terminis tamquam ex partibus eam propinquè constituentibus: ergo terminus essentialiter erit pars constitutiua enunciationis.

Confirmatur, quia in lib. perhier. considerantur simplices dictiones, seu termini quod idem est, sub ratione partium constitutiuarum orationis: ergo sub ista ratione debent definiri: pr. conseq. quia definitio debet explicare rationem formalem rei definitæ: ergo cum termini vt spectant ad lib. perhier essentialiter componant enunciationem, sub ista formalitate debent definiri.

Sit tertia conclusio. Terminus vt

ſpectat ad tertiam operationem intellectus, rectè definitur ſic. Terminus eſt in quem reſoluitur propoſitio. Hæc definitio ſumitur ex Ariſtotele 1. prior. c. 1. dicente. Terminum autem voco in quem reſoluitur propoſitio vt prædicatum, & de quo prædicatur, aut appoſito, aut ſeparato eſſe, vel non eſſe. Vbi notat Aegidius, quod in his verbis ponit definitionem, & diuiſionem: definitio continetur in illis, in quem reſoluitur propoſitio: diuiſio verò in illis, vt prædicatum, & de quo prædicatur; quibus diuidit terminum in prædicatum, & ſubiectum.

Pro hac definitione noto ex Aegidio loc. cit. quod ſyllogiſmus eſt quoddam totum, totum autem cum deſtruitur, reſoluitur in partes ex quibus compoſitum fuerat, vt domus reſoluitur in calcem, lateres, & ligna, quia ex his eſt compoſita: vnde id erit terminus propoſitionis, ex quo propoſitio eſt compoſita; & quia illa ex quibus componitur, ſunt ipſius partes: ideo partes propoſitionis erunt tum illius, tum etiam ſyllogiſmorum termini: nam ſyllogiſmus ex Aegidio pag. 3. col. 4. incomplete reſoluitur in propoſitiones, complete autem in terminos.

Noto 2. ex Aegid. ibidem, quod Ariſtoteles dicit voco, & non eſt; quia terminus in propoſitione non reperitur, niſi metaphoricè; in continuis autem reperitur proprie, quaſi dicat. Cum in continuis proprie ſit terminus: ego tamen voco hic terminum in quem reſoluitur propoſitio. Addit, aut appoſito eſſe, vel non eſſe, per quod nihil aliud intendit ex Aegidio; niſi quod prædicatum affirmetur, vel negetur de ſubiecto.

§. 2.

Argumenta ſoluuntur.

VErum contra primam definitionem. Ob. 1. genus definitionis debet eſſe communius definito: ſed ſignum poſitum in definitione termini non eſt communius definito: quia ſignum eſt terminus primæ intentionis, & terminus definitus eſt terminus, vt abſtrahit ab omnibus terminis: ergo non bene definitur per ly ſignum.

Reſp. neg. mi. & ad prob. diſt. ſignum acceptum materialiter, eſt minus commune concedo: ſic enim tantum ſumitur pro ſe ipſo: ſignum acceptum formaliter, ſeu pro eo quod denominat, non pro eo quod ſignificat, eſt minus commune, nego: immo ſic eſt magis commune: quia non tantum denominat terminos ſecundæ intentionis, ſed etiam primæ; & ſic ſumitur in definitione termini.

Ob. 2. Iſta vox Bilitri eſt terminus, & tamen nihil ſignificat: ergo terminus non bene definitur per ſignum: pr. ant. quia in hac propoſitione Bilitri eſt vox, ly Bilitri eſt ſubiectum, & conſtituit intellectum pro ſubiecto, & per conſequens eſt terminus, & tamen nihil ſignificat: ergo, &c.

Reſp. 1. ex not. c. præcedenti cum Aegidio diſt. ant. nihil ſignificat, .i. nullam quidditatem concedo: nihil vt excludit ſignificationē ſui ipſius, vt imaginatæ nego: non enim eſſet vox niſi prius eſſet imaginata, atque adeo vox illa vt ſcripta, vel prolata ſignificat ſeipſam, vt imaginatam.

Reſp. 2. & fere in idem redit neg. ant.

ant. quia vox illa duobus modis ſumi poteſt .ſ. formaliter ſeu ſecũ lum ſe, & hoc pacto non eſt terminus; & materialiter, quatenus .ſ. eſt ſonus quidam prolatus ab animali; & ſic eſt terminus, & ſignificat, quia importat illum ſonum; Immo tranſit in vocem ſignificatiuam, quatenus in hac propoſitione: bilitri eſt nomen: ſubintelligitur vox .i. vox bilitri eſt nomen, quo tranſitu facto ſtatim intelligitur etiã formaliter ſignificare.

Dices Ariſtoteles ſæpè vtitur ſolis literis dicendo, A eſt B, & C eſt A, & tamen hæ non poſſunt ſignificare, quia ſunt ſimplices literæ: ergo propoſitio componi poteſt, & reſolui in terminos non ſignificantes; ergo iſti poſſunt conſtituere intellectum etiam ſi non ſint ſigna.

Reſp. quod illæ literæ poſſunt cõſiderari, vel materialiter, quatenus ſeipſas repræſentant, vel vt includunt vocem A, vel B; ſi conſiderentur primo modo repræſentant ſe, vt imaginatas: ſi ſecundo modo repræſentant formaliter non ſe præciſè, ſed ſe vt dicunt vocem.

Ob. 3. Imago Cæſaris repræſentat Cæſarem, & tamen non eſt terminus; ergo non eſt de ratione termini repræſentare, vel ſignificare: pr. ant. non eſt terminus naturaliter, quia non habet eſſe à natura, ſed ab arte: non ex hominum inſtitutione, quia nulla eſt talis inſtitutio: ergo &c.

Reſp. Imaginem Cæſaris poſſe dupliciter conſiderari, vel in fieri, vel in facto eſſe: ſi conſideretur in fieri, ſic eſt ab arte; ſi vero conſideretur in facto eſſe; ſic habet ex natura ſua Cæſarẽ repræſentare, & primo modo eſt ſignum, & terminus ad placitum: at ſecundo modo eſt terminus naturaliter &c. Neque idem dici poteſt de vocibus, quia vbi impoſitæ ſunt, poſſunt adhuc ſine ſui mutatione imponi ad repræſentandum alia, & proinde non poſſunt habere etiam poſt impoſitionem ſignificationem naturalem.

Deinde Ob. 1. contra tertiam definitionem, id quod eſt prius non debet definiri per id, quod eſt poſterius: ſed terminus eſt prior propoſitione, & hæc eſt poſterior: ergo non debet definiri per propoſitionẽ.

Confirmatur quia definitio debet eſſe clarior ſuo definito: ergo definitio termini non poteſt tradi per propoſitionem: pr. conſeq. quia propoſitio eſt nobis ignotior cum nulla ſupponatur eius cognitio, quãdo definitur terminus.

Reſp. cum Aegid. 1. prior. pag. 3. diſt. ma. ſi definitum nõ ſit primum in ſuo genere concedo, quod tunc debeat definiri per id, quod eſt prius: ſi ſit primum in ſuo genere nego: terminus autem cum ſit primum principium in ſuo genere, non poteſt definiri per prius ſimpliciter, cum prius non habeat, ideo rectè definitur per id, quod eſt poſterius. Notat autem Aegidius quod aliter definienda ſunt prima principia in aliquo genere: aliter verò conſequentia ad ipſa: nam conſequentia ad ipſa poſſunt definiri per priora: principia autem per priora ſimpliciter definiri non poſſunt, ſed per poſteriora, quæ quoad nos priora ſunt: vel poſſunt definiri per priuationem, quo pacto definitur punctus, qui eſt principium in magnitudine, dum dicitur. Punctus eſt cuius pars non eſt.

Ad confir. Resp. neg. conseq. & ad probationem dist. ex Aegid. propositio est nobis ignotior loquendo simpliciter, & secundum naturam concedo: loquendo quoad nos, nego: sic enim est nobis notior saltim cognitione imperfecta, & si non scientifica.

Ob. 2. Hæc vox, homo, solitarie accepta est terminus, & tamen non est in propositione: ergo male dicitur terminus est in quem resoluitur propositio.

Omissa responsione Casilij Resp. dist. ant. est terminus, vt pertinet ad primam operationem intellectus, concedo: vt pertinet ad tertiam nego: quia sic non subijcitur, vel prædicatur, quod ex Arist. requiritur ad rationem termini.

Ob. 3. Definitio termini conuenit propositioni: ergo non est bona: cum alijs à definito conueniat. Probatur ant. nam si resoluatur hæc propositio. Petrus est albus est propositio: resoluetur in totam hanc propositionem, Petrus est albus, ergo illi conueniet definitio termini.

Respondet Ouiedo resolutionem illius propositionis fieri in hoc complexum, Petrus est albus, non quatenus est formaliter propositio: sed quatenus est extremum componens propositionem illam, quæ in illud resoluitur: atque adeo definitionem termini posse conuenire propositioni, non formaliter, quatenus est propositio: sed quatenus illi accidit esse extremum componẽs aliam propositionem à se distinctam.

Resp. 2. cum Aegidio neg. ant. & ad prob. dist. potest resolui immediatè, & proximè in propositionem, concedo; vltimate, & complete nego; nam vltima, & completa resolutio est ad terminum, non verò ad propositionem; stat enim resolutio ad terminum, non ad propositionem. Ita Aegid. 1. prior. pag. 3. col. 4.

Ob. 4. Copula, est, non est terminus, & tamen in ipsam resoluitur propositio: ergo definitio termini non erit bona: prob. ant. quia si resoluatur hæc propositio, Petrus est albus; Petrus non manet subiectum, nec albus prædicatum: ita etiam ly est non manet copula, cũ non vniat; & sicut Petrus remanet subiectum in potentia, & albus remanet prædicatum in potentia; ita, est, manet copula in potentia: ergo eodem modo resoluitur propositio in subiectum, & prędicatum, ac in copulam, & tamen non est terminus: ergo &c.

Ad hoc argumentum Respondet Ouiedo disparitatem esse de Petro & albo ex vna parte; & de copula ex alia: vbi enim propositio illa est resoluta, remanet adhuc tam conceptus Petri, quam albi: cum rectè concipiatur Petrus extra propositionem: at conceptus copulæ actu non remanet, nec etiam secundum se; quia talis conceptus numquam potest reperiri: nisi cum actuali copulæ exercitio, & actu connectente extrema propositionis: sicut resoluto homine remanent actu materia, & forma, quantum ad suas entitates: licet actu non maneant partes compositi: vnio verò omnino desinit esse, & ita rectè dicitur hominem resolui in materiã, & formam; non tamen in vnionem: ita dicendum est in casu. Putat autem Ouiedo copulam non esse partem propositionis; sed nexum partium: sicut vnio materiæ, & formæ non est

pars

pars compositi naturalis; sed partium nexus.

Hæc responsio displicet primo, quia, id ex Aristotele est terminus propositionis, ex quo componitur propositio, & quia illa ex quibus componitur sunt partes propositionis; ideo id est terminus, quod est pars propositionis: sed resoluta propositione ly Petrus non est pars propositionis: ergo non est terminus; maior est Ouiedi nu. 3. pr. mi. quia ratio partis dicit habitudinem ad compartem, & ad totum ex eis resultans: sed Petrus vt separatus non dicit hanc habitudinem, sed tantum dicit suam actualem entitatem ex eodem nu. 12. ergo vt separatus non est pars: ergo nec terminus.

Confirmatur, facta resolutione compositi naturalis, ideò materia, & forma possunt concipi vt partes, quia intrinsecè sunt entia incompleta ad inuicem vnibilia: sed Petrus facta resolutione propositionis, non est ens intrinsecè incompletum respectu albi, nec est ex sua natura ordinatum ad album: ergo non est amplius pars.

Displicet 2. quia ideo ex Arist. subiectum, & prædicatum sunt termini, quia eis apponitur esse, vel non esse: sed facta resolutione, & destructa copula, quæ per resolutionem propositionis perit (ex responsione Ouiedi) Petro non apponitur esse, vel non esse: ergo non est pars: ergo nec terminus.

Displicet 3. quia putat ly, est, non esse terminum, quod tamẽ ex Arist. est falsum, cum sit prædicatum, vt mox ostendam.

Bonherba tract. 1. pag. 11. definiens terminum ait, quod est extremum signũ in quod resoluitur propositio tanquam in subiectum, & prædicatum: & addit quod dicitur tanquam in subiectum, & prædicatum, tum ad differentiam copulæ, quæ proprie terminus non est: tum &c. vnde ad argumentum diceret illam propositionem non resolui in est tanquam in subiectum, & prædicatum, & ideo ly est non habere rationem termini. Ita asserit loco citato in sua Aegidiana concordia (corrigo calamum) discordia.

Displicet primo quia in definiendo terminum confundit definitionem cum diuisione, & ea, quæ sunt membra diuidentia terminum, ponit pro differẽtia definiti. Verba Aegidij posui in conclusione 3.

Displicet 2. quia in Epist. ad Lectorem ait. Nec vnquam recedemus à schola fundatissimi Doctoris Aegidij: & tamen in re tam clara oppositum asserit, tùm definitionem cum diuisione confundendo: tùm etiam negando ly, *est*, non esse terminum, cum ex Aegidio (vt mox dicam) sit terminus, & sit prædicatum. Sed sileo, quia forte tunc somniabat.

R. ergo ad arg. ex Aegid. 1. prior. pag. 3. col. 4. neg. primam partem antecedentis, quia ly *est*, est prædicatum illius propositionis, quo probato ruit argumentum.

Probatur autem p. ab Aegidio ex lib. perhier. vbi Aristoteles ait, *quod est prædicatur secundum adiacens: ergo hoc verbum est, prædicatum est; & non solum ligamentum prædicati cum subiecto.*

Probatur 2. ab Aegidio ibidem, quia esse quod prædicatur, forma est

est eius de quo prædicatur: sed inter materiam, & formam non cadit medium; sed se ipsis iunguntur ad inuicem: ergo inter subiectum, & prædicatum non cadit medium, sed se ipsis vniuntur: ergo hoc verbum est, non erit medium inter subiectum, & prædicatum, sed erit ipsum prædicatum. Ita Aegidius ad verbum.

Insuper Aegid. ibidem respondens ad 2. ait. Ad secundum dicendum, quod prædicatum dupliciter potest dici, .s. vel totum id quod dicitur de altero, & sic numquam excluditur esse à prædicato: vel potest dici id, quod ipsum esse specificat tantum, & sic accipitur cum dicitur, quod in syllogismis primæ figuræ idem subijcitur in prima, quod prædicatur in secunda: *& talis modus loquẽdi de prædicato per prauos processit in vsum*. Hæc Aegidius. Vbi aduertat Aegidianus, quam notam incurrat ex Aegidij sententia, qui verbum, *est*, subtrahit à prædicato. Sed adhuc Bonherbæ parcere libet.

SECTIO SECVNDA.

Vtrùm Terminus per se significatiuus significet immediate conceptum, vel ipsam rem?

§. 1.

Sententiæ proponuntur, & vera cum Aegidio eligitur.

Extra controuersiam est terminos impositos ad significandũ mentis conceptus, & voluntatis actus, illos immediatè significare; nam cognitio, intentio, volitio, nolitio, consensus, & similes actus interni cum intellectus, tùm voluntatis sunt res, pro quibus termini supponunt, nec aliud esse habent, quam in anima reperiri. Difficultas est de terminis significantibus aliquid ad extra, vt de homine, lapide, leone, &c. & quæritur an significent immediate hominem, lapidẽ, leonem, an verò conceptum hominis, &c.

In hac difficultate. Prima sententia asserit huiusmodi terminos proximè, primario, & immediatè significare res ipsas. Ita docent Ocham, Gab. Fonseca, Conimb. Perier. Vasquez p.p. d. 57. & disp. 75. c. 3. Suarez p.p. tract 1. lib. 2. c. 31. Auersa q. 6. sec. 4. Arriaga disp. 13. sec. 2. & Ouiedo.

Secunda sententia asserit huiusmodi terminos primario, & immediatè significare conceptus mentis; mediatè verò significare res ad extra. Ita Aegid. 1. perhier. pag. 1. & 1. Elench. pag. 11. D. Th. p.p. q. 13. a. 1. Scot. 1. perhier. q. 2. Bona. p. 5. d. 22. Dur. qu. 1. Vallius 1. perhier. q. 1. & alij, quæ sententia vera est, & amplectenda: & pro resolutione.

Sit prima conclusio. Terminus per se significatiuus immediatè significat conceptum mentis.

Hæc conclusio est Aegid. loc. citnam 1. Elenc. pag. 11. ait. Respondeo dicendum, quod voces sunt signa eorum conceptuum, qui sunt in anima: nam ratio, quam significat nomen est definitio: semper enim intelligendo simplicia formamus nobis aliquem conceptum, qui communi nomine appellari potest definitio, & huiusmodi conceptus est id, quod significatur per nomen: nomen ergo est signum rei mediante conceptu: ita Aegid. et idẽ docet ibidem dub. 3. et 1. perhier. pag. 2. col. 1.

Ratio autem est primo ex Aristotele

tele lib. 1. perhier. c. 1. dicente. Ea quæ sunt in voce sunt notæ, seu signa passionum, quæ sunt in anima: ergo &c. Vbi notat Aegidius quod ista quatuor se habent per ordinem, literæ, voces, similitudines, & res: literæ sunt notæ vocum, & voces sunt significatæ à literis, & sunt signa passionum; passiones sunt significatæ à vocibus, & sunt signa rerũ; & res sunt ita signatæ, quod non sunt signa; ideo ex Aegidio voces, seu termini per se significatiui immediatè significant mentis passiones, & conceptus.

Secundo pr. ex Aegidio, quia hic terminus *definitio* immediatè significat conceptum mentis; ergo etiam alij termini, seu alia nomina immediatè significabunt mentis conceptum; pr. ant. quia definitio est nomen impositum ad significandum expressum conceptum rei; intelligẽdo enim simplicia formamus nobis aliquem conceptum, qui communi nomine dicitur definitio ex Arist. vt constat ex dictis de definitione; ergo non significat immediatè rem definitam; nam res definita dicit implicitè suam essentiam; definitio verò dicit eam explicitè; sed conceptus explicitè dicit ipsam rem; ergo definitio immediatè significat conceptum explicitum rei, & mediatè rem conceptam, in qua implicitè est rei conceptus; conseq. prob. quia etiam alia nomina significant conceptum formatum de re.

Tertio pr. ex Aegid. 1. Elench. pag 11. d. 2. Id primo, & immediate significat vox, vel terminus voce prolatus, quod est ei essentiale; sed est ei essentiale significare aliquem conceptum internum, ita quod sine tali significatione non esset vox: ergo &c. pr. mi. quia essentiale est voci significare seipsam vt conceptam per imaginationem; nam ex 2. de anima cap. de voce, de ratione vocis est, quod prius concipiatur in imaginatione, quam proferatur: si enim ex ore alicuius animalis absque imaginatione præcedente, per tussim, vel per alium modum sonus emitteretur, sonus ille vox non esset; ergo est essentiale voci significare aliquem conceptum imaginatum; ergo &c.

Quarto ex D. Th. p. perh. c. p. voces imponuntur ad significandas naturas vniuersales: sed non sunt vniuersales quatenus sunt extra, sed vt ab intellectu cõcipiuntur à singularibus abstractæ; ergo non significantur per voces, nisi medijs conceptibus de eisdem formatis: ergo conceptus immediate significantur per voces.

Quinto quia non est contra rationem verbi manifestare immediate conceptum rei: nam Angeli qui intellectualiter loquuntur, per verba intellectualia sibi manifestant suos conceptus ex Aegidio 2. s. d. 10. q. 3. a. p. & de cognit. angel. q. 12. ergo nulla est implicantia, quod conceptus immediate significetur per verba, & verba immediate significent conceptum: ergo idem dicendum est de verbo vocali, seu termino per se significatiuo, vt per vocem prolato; nam & hoc habet veram rationem verbi.

Vltimo pr. ex Aegid. quodl. 5. q. 6. quia ad hoc vt aliquis sensum loquentis percipiat, necesse est, vt audito nomine statim referat nomen in conceptum, & formet sibi

con-

conceptum illius nominis: ergo nomen immediate significat conceptum: pr. ant. quia si aliquis esset nimis studio intentus, & loquentes audiret, nō ob id tamen intelligeret, quia per intentionem non referret nomen in suum conceptum, & tamen nomina aliquo modo audiret: ergo ad percipiendum sensum loquentis necesse est quod intellectus referat nomen in conceptum: ergo nomen immediate significat conceptum.

Sit secunda conclusio. Termini, vel nomina significant res ad extra mediante conceptu interno. Hæc conclusio est Aegidij loc. cit. & colligitur ex prima.

Probatur autem primo, quia ad hoc vt intellectus audientis percipiat rem, de qua est locutio, necesse est quod sit determinatus, & constitutus in actu potenti percipere rem: sed non est determinatus nisi per conceptum: nam in anima non est res: sed conceptus rei: ergo audito nomine immediatè excitatur in anima conceptus rei, & per consequens nomen immediate significat conceptū, mediate vero rem ipsam.

Confirmatur, quia nomen eo modo significat, quo modo intellectus percipit: sed intellectus audito nomine leonis percipit leonem mediante conceptu excitato per nomen, quia conceptu leonis, non ipso leone informatur: ergo &c.

Secundo quia ex Aegidio d. 3. termini de se sunt indifferentes ad significandam hanc, vel illam rem; nam eam significant mediante impositione, quia .s. hic terminus est impositus ad significandam talem rem, & non illam: ergo antequam intellectus rem intelligat, oportet quod prius appræhendat conceptū ad quem significandum terminus est impositus, & exinde applicet ad rem significatam: ergo terminus significat rem mediate, non immediate. Ita ex Aegidio loc. cit. & hę rationes vim maximam mihi videntur habere pro prima conclusione.

§. 2.
Opposita sententia argumenta soluuntur.

VErum contra primam conclusionem. Ob. p. cum authoribus oppositæ sententiæ .s. Arriaga, & Ouiedo voces sunt inuentæ ad significandum id; quod loquens intendit præcipuè significare; sed loquens intendit præcipuè significare res ipsas: ergo voces præcipuè significant ipsas res: pr. mi. quia loquens, & dicens homo est animal: Deus est vnus, & Trinus non intendit significare conceptum repræsentantem hominem esse animal; vel conceptum quem firmo de Trinitate, sed tantum res ipsas significatas: ergo &c.

Confirmatur ex Ouiedo, quia voces substituuntur loco conceptuum, vt id præstent audienti, quod proferenti præstant ipsi conceptus: sed conceptus immediatè significant ipsa obiecta: ergo & voces eadem obiecta immediate significant.

Resp. præmittendo prius quamdā Ouiedi distinctionem. Is cont. p. p. 2. n. 6. ait. His signis ad placitum duplex conceptus correspondet; quiddam vltimatus, alius non vltimatus. Conceptus non vltimatus est cognitio ipsius signi secundum se nude

nude sumpti. Conceptus vltimatus est conceptus rei significatæ per tale signum, v.g. audio Petrum proferentem hãc vocem homo, concipio vocem secundum se, hæc conceptio conceptus non vltimatus dicitur: concipio insuper animal rationale ad quod significandum hæc vox est imposita, hic conceptus vltimatus dicitur. Quo præmisso.

Dist. ma. ad significandum vltimatè id, quod conceptu vltimato intendit manifestare, concedo: ad significandum non vltimate, sed tamen immediate nego: sic enim sunt inuentæ ad significandum conceptum mentis; loquens autem licet vltimate intendat manifestare res; tamen non vltimate intendit manifestare conceptum, & nota quod non vltimate respectu vltimate, idẽ est quod immediatè respectu eius, quod se habet mediate, id enim quod non est vltimum immediatè antecedit vltimum, & subsequitur immediatè ad id, quod tam non vltimate, quam vltimate est manifestabile.

Si quæratur vnde proueniat, quod intellectus audita voce loquentis non statim intelligat rem, sed mediante conceptu?

Respondeo prouenire saltim ex parte modi intelligendi, quia intellectus non potest intelligere rem ad extra, nisi prius conceptu, & similitudine rei informetur, qua stante informatione, & conceptione applicat postea conceptum ad rem ad extra.

Resp. 2. aliud esse principaliter, aliud immediate significare; loquẽs ergo licet principaliter intendat manifestare res ipsas, quas vult: immediate tamen intendit manifestare conceptum mentis: audiens enim non potest facere per voluntatem, quod voluntas loquentis principaliter intendit; nisi prius hoc intentum à se v.g. exequendum, per conceptum mentis voluntati audientis præsentetur, ideo loquens immediate intendit vt apprehendat id, quod principaliter vult.

Resp. 3. dist. ma. quod intendit præcipuè significare tamquam rem significatam concedo: tamquam principale significatiuum rei nego: conceptus est principale significatiuum rei; non est instrumentum conceptus loco cuius substituitur, vt audiens apprehendat principale significatiuum rei: loquens ergo intendit præcipuè significare rem tamquam id quod significatur; conceptum vero tamquam principale significatiuum, sine quo res significata ab audiente non apprehenderetur.

Ad confirmat ex Ouiedo. Resp. dist. ma. quantum ad rem significandam concedo: quantum ad ordinem significandi, nego: nam cũ voces sint significatiuæ instrumentaliter, prius debent referri in principale significatiuum, & postea rebus significatis applicari.

Ob. 2. voces non possunt immediate significare conceptum, & mediate rem: ergo &c. pr. ant. quia conceptus non est res significata reflexe, sic enim significatur per hoc nomen conceptus: neque est ratio formalis significandi, quia hæc est impositio, neque est conditio requisita ad significandum ex parte rei significatæ, quia hac non significantur res vt conceptæ, sed vt

formaliter existentes in se.

Resp. dist. ant. tamquam rem significatam concedo: tamquam principale significatiuum, nego: voces enim subrogantur, vt suppleant id, ad quod non potest pertingere conceptus .s. vt tam sibi, quam alijs manifestent exterius, & ideo se habent tamquam substitutum, quod repræsentat tam suum principale, cui deseruit, quam id ad quod ordinatur, quod est res significata.

Ob. 3. voces ex Aristot. p. Elenc. cap. p. supponunt pro rebus, cum illas non possimus afferre in medium: ergo immediate significant ipsas res, non vero conceptus.

Resp. ex dictis Aristotelem loqui de suppositione, vel quantum ad rem significatam, non vero quantum ad principale significatiuum: vel quantum ad rem, non quantum ad ordinem: vel vltimate, & principaliter; non vero non vltimate, & immediate.

SECTIO TERTIA.

Vtrùm Terminus primæ intentionis obiectiuæ dicat quid reale, vel rationis?

§. 1.

Variæ sententiæ referuntur, & vera cum Aegidio eligitur.

INtentio generaliter loquendo nõ est aliud, quam actus potentiæ in aliud tendentis: nam intendens dicitur quasi in aliud tendens, & ipsa intentio est quasi in aliud tensio, & per consequens est actus, quem potentia habet dum in aliud tendit. Licet autem intentio vt respicit finem sit actus voluntatis, vt docet Aegid. 2. s. d. 38. q. 2. a. p. & sic intendere potissime conueniat voluntati, quando ex vno volito tendit in aliud volitum, vt quando ex his, quæ sunt ad finem, tendit in ipsum finem: tamen vt dicit actũ, per quem potentia tendit in suum obiectum, etiam intellectui competere potest. Et dimissa intentione, vt pertinet ad voluntatem; hic est sermo de intentione vt pertinet ad intellectum. Hæc autem vel est formalis, vel obiectiua, & vtraquè duplex; vt dictum est supra: tamen hic tantum est sermo de prima intentione obiectiua, de qua quæritur vt supra.

In hac difficultate prima sententia est asserentium primam intentionem obiectiuam esse ipsam rem secundum illud esse reale, quod habet in se ipsa, secundum quod esse potest mouere intellectum, siue hoc esse actu reperiatur, siue tantum sit esse possibile. Hanc sententiam communiter tradunt Doctores.

Secunda sententia est asserentiũ primam intentionem obiectiuam esse essentiam non secundum esse reale, quod habet, vel habere potest in re; sed secundum esse rationis quod habet ex vi intellectionis directæ. Hanc sententiam docet Aegidius quodl. 2. q. 6. & tribuitur Scoto, & vt vera est amplectenda: vnde pro resolutione.

Sit Conclusio. Prima intentio obiectiua est res directe congnita ab intellectu, quatenus in intellectu habet quoddam esse rationis. Hæc conclusio est Aegidij loc. cit. vbi agens contra quosdam asserentes, res habere triplex esse .s. esse naturæ

seu

seu existentiæ : esse essentiæ, & esse rationis ; & secundum esse essentiæ esse indifferentes ad esse, & non esse : immo hoc esse essentiæ esse diuersum ab esse naturæ, & rationis; ait. Sed hoc non videtur benè dictum : res enim considerata secundum esse essentiæ habet esse rationis: intellectus enim est ille, qui fertur in ipsam essentiam secundum se; ipsa enim essentia creata secundum se non habet esse, sed solum habet considerationem apud intellectum. Esse ergo essentiæ prout est aliud ab esse naturæ, est esse rationis: hæc ille. Et infra. Ideo cognitio essentię est intentio prima : dico prima, quia est obiectum intellectus secundum lationem primam ; cognitio autem vniuersalitatis est intentio secunda; dico secunda, quia est obiectum intellectus, non secundum lationem primam, sed prout reflectit se supra illud quod cognouit, & videt ipsum esse commune multis. Et infra. Secunda autem distinctio non est simpliciter concedenda : distinguebatur enim esse essentiæ ab esse rationis, ac si res accepta secundum esse essentiæ, & secundum suam quidditatem non haberet esse rationis. Res enim secundum esse essentiæ, siue secundum suam quidditatem, & vt est subiecta intentioni vniuersalitatis habet esse rationis, quia intellectus est ille, qui facit vtrumque: nam ipse considerat rem secundum esse essentiæ, & ipse conuertit se supra id, quod considerauit, & vocat ipsum vniuersale. Ita Aegidius.

Probatur autem conclusio primò, quia ex Aegidio prima intentio obiectiua est illa, quæ attingitur ab intellectu per primam lationem, seu per actionem directam eiusdem intellectus ; sed hæc est essentia, non quidem vt reduplicatiuè habet esse existentiæ, seu esse hic, & nunc; sed tãtum quatenus habet esse apud intellectum; ergo essentia vt est in intellectu, & vt in eo per considerationem existit, est prima intentio obiectiua ; mi. pr. ex Aegid. quia intellectus fertur in suum obiectum, seu in quidditatem, & essentiam secundum exigentiam speciei, qua informatur; sed species ista est abstracta ab hic, & nunc ; seu ab esse existentiæ in re ; ergo essentia per eam speciem directè cognita erit abstracta ab hic, & nunc, erit sine esse existentiæ in re, & tantum cum esse quod habet in mente.

Secundò pr. ex Aegidio ibidem, §. *Viso igitur*. res habet duplex esse reale, & habet tertium esse secundum considerationem ; nam habet esse in suis causis, & sic est in potentia; habet esse in se ipsa, & sic est in actu ; & habet esse vt consideratur directè ab intellectu, quo pacto dicitur essentia, & quidditas ; sed vt terminat primam intentionem formalem non habet esse actu, nec in suis causis, quia abstrahitur ab hoc esse, & proponitur intellectui tantum secũdum gradus quidditatiuos : ergo essentia vt sic proposita non habet nisi esse rationis : ergo prima intentio obiectiua est essentia secundum quod habet esse in intellectu.

Tertio pr. quia primæ intentiones habent formaliter esse abstractum à conditionibus materialibus : nam primæ intentiones sunt obiecta, seu obiectiui cõceptus terminãtes actus cognoscitiuos, & scientificos, qui

non habent pro termino obiectali, nisi res sub esse abstracto: sed res non habent esse abstractum secundum illud esse, quod habent formaliter in se ipsis, sed secundum esse quod directè habent in prospectu mentis, & sic secundum esse quod habent in ratione: ergo res non sunt primæ intentiones, nisi vt habent esse in intellectu, & sic nisi vt habent esse rationis.

Confirmatur ex Aegidio in prol. Elench. pag. 3. prima intentio est supra quam immediatè fundatur secunda: sed secundæ intentiones non fundantur immediatè supra res, vt habent esse extra animam, sed vt habent esse in anima, & in prospectu intelligentiæ: ergo res vt habent hoc esse erunt primæ intentiones: probatur mi. quia si secundæ intentiones s. vniuersalitas, prædicabilitas, genereitas, &c. fundarentur in rebus secundum esse quod habent in se ipsis, tunc tales secundæ intentiones essent formaliter extra animam cōtra Aristotelē, & omnes Doctores.

Rogas. An hæc prima intentio sit dicenda ens rationis, vel reale?

Resp. dist. ex Aegidio quodl. cit. nam aliud est loqui de essentia, quæ terminat actū directum intellectus, seu primam intentionem formalem; aliud de esse quod habet, vt exercet hunc actum terminandi: si loquamur primo modo, sic prima intentio obiectiua est ens reale, vt ens reale dicit veram, & realem quidditatem, & figuras prædicamentorum: & ratio est, quia prima intētio est obiectum directum intellectus, & ideo est realis: si verò loquamur secundo modo, sic dico quod illud esse quod habet vt terminat, est esse rationis: quia non terminat formaliter, & actualiter, nisi vt habet esse in prospectu mentis, & intellectus, & sic nisi, vt habet esse rationis.

Explico rem. Finis non potest mouere voluntatem, nisi sit cognitus, seu nisi secūdum esse cognitum, quod tantum habet vt est in intellectu; nihilominus hoc esse cognitum non est ratio formalis mouens, v. g. ægrum ad acquirendam sanitatem, quia æger non intendit acquirere esse cognitum, sed tantum est conditio, vt bonitas sanitatis possit mouere voluntatem infirmi ad sumendam potionem amaram; hæc verò bonitas est ratio formalis mouens, & est ratio realis, & si non moueat, nisi habeat esse in intellectu: ita pariter essentia realis realitate prædicamentali, est quæ directè cognoscitur ab intellectu, & quæ terminat eius primam lationem: tamen vt terminet debet habere esse in intellectu, & sic esse rationis; hoc tamen esse non est quod directè terminat, vel mouet intellectum; sed est conditio, vel necessario requisita ex parte essentiæ ad hoc, vt terminet; vel vt reponat essentiam in statu potenti terminare formaliter, & actualiter: ideo prima intentio est realis realitate dicta, conditio verò requisita, seu esse quod habet dum terminat est esse rationis.

Hic acriter inuehendum esset in Bonherbam, qui tract. 1. disp. 2. q. 3. a. 2. turpi impostura, & indigna viro, vel terminos appræhendenti, Aegidio adscripsit, quod primam intentionem putauerit esse proprie, & in rigore ens rationis; & vt magis ansam inuehendi præbeat, profitetur se antiquam sententiam mutasse,

vt hanc Aegidianam doctrinam amplecteretur. Exultat, & pænè Thyasus debacchatur, & tamen somniat; nam in ea quæstione Aegidius oppositum asserit. Ait Aegid. quod essentia, & quidditas directè cognoscitur ab intellectu, cum ita exigat species, qua informatur. Addit Aegid. quod prima intentio est quæ actionem directam terminat: ergo quidditas est prima intẽtio: at quidditas est ens reale, vt realitas dicit figuras prædicamentorum: ergo & prima intẽtio directiua erit ens reale. Addit tamen quod quidditas non terminat actum directum intellectus, nisi vt habet esse in mente, & in intellectu: hoc autem non est primam intentionem esse ens rationis, sed non habere exercitium terminandi, nisi quatenus est in mente. Quis vnquam ex eo quod bonitas finis non moueat, nisi vt est cognita, inferret bonitatem finis esse ipsum esse cognitum, vel esse ens rationis, sicut est esse cognitum? sed ei adhuc parco; legat iterum, atque iterum Aegidium, vt in antiquam redeat sententiam.

§. 2.
Opposita sententia argumenta soluuntur.

VErum contra propositam conclusionem Ob. 1. essentia vt habet esse rationis non est aliud, quam essentia vt passiue cognita, & concepta; sed vt sic non potest esse prima intentio: ergo erit prima intentio secundum esse quod habet formaliter in se ipsa, & à parte rei; pr. mi. quia etiam figmenta habent hoc esse rationis, & sunt passiuè cognita, & concepta ab intellectu: ergo figmenta vt sic cognita essent primæ intentiones.

Confirmatur, quia si res esset prima intentio, non secundum esse quod habet in se ipsa, sed secundum esse quod habet in prospectu intelligentiæ, tunc æqualiter esset scientia de rebus, & de figmentis; sed hoc est impossibile: ergo & id ex quo sequitur: pr. ma. quia scientia per se non est de rebus secundum illud esse quod habent formaliter in se ipsis, imo tale esse accidit scientiæ; sed tantum est de primis intentionibus, quæ non dicunt aliud quam esse passiue cognitum: sed in tali esse æqualiter conueniunt figmenta, licet non conueniant æqualiter in illo esse, quod accidit scientiæ: ergo æqualiter de vtrisquè potest esse scientia: nam de his, quæ æqualiter participant illud esse, quod per se loquendo requiritur ad scientiam, æqualiter potest esse scientia, & sic de entibus veris, & de figmentis poterit esse æqualis scientia, quod est impossibile.

Resp. neg. mi. & ad prob. dist. habent esse rationis, & sunt passiue cognita cognitione directa nego, reflexa concedo: at prima intentio obiectiua non est omne id, quod habet esse rationis, sed tantum quod habet tale esse ex vi operationis directæ; item non omne passiue cognitum est prima intentio: sed tantum cognitum passiue per cognitionem directam; hoc autem modo non possunt esse cognita figmenta.

Ad confirmat. Resp. neg. ma. & ad prob. concedo, quod scientia non sit de esse actuali, sed de primis intentionibus, nego tamen quod sit

de

de illis, vt dicunt esse cognitum, sed est formaliter de illis, vt dicunt esse prædicamenti; pro qua re.

Noto cum Aegidio 2. post. pag. 112. quod triplex est esse, ad quorum duo demonstratio, & scientia se habet per se, ad tertium verò per accidens: primum esse est esse rei, per quod res est in prædicamento, & hoc esse competit rei, ea non existente actualiter; nam rosa non existente actu, adhuc verum est, quod sit res prædicamenti; sufficit enim quod rosa, v. g. sit in se, vel in suis causis, seu quod habeat habitudinem ad debitas passiones, & debita principia, ad hoc quod de ea possit esse scientia; ideo rosa non existente adhuc est pulcherrimus florum, quia rosa vt est res prædicamenti habet habitudinem per se ad tantam pulchritudinem; & ad hoc satis est, quod sit in suis causis, eo enim ipso per suas causas poterit sciri; & eo ipso importabit certam speciem, à qua sint aptæ natæ fluere debitæ passiones, ideo de tali esse poterunt formari propositiones veræ: hoc autem esse per se supponitur à demonstratione. Secundum esse est esse rei quod dicit veritatem propositionis, & tale esse præsupponit primum esse: primo enim intelligitur quod aliquid sit res prædicamenti, & quod dicat habitudinem ad debita principia, & ad debitas proprietates, & postea de tali re formantur propositiones veræ, & ideo propositio vera explicat illas habitudines, quas res habet: tale autem esse quod dicit veritatem propositionis, demonstratio concludit: vnde demonstratio est inter duplex esse .s. inter esse prædicamenti, & esse quod dicit veritatem propositionis, primum supponit, secundum concludit. Tertium esse est esse actuale rei; & hoc per accidens se habet ad demonstrationem, quia demonstrator probat quod triangulus habeat tres, quia est figura plana &c. & forte in actu nihil est omnino planum, vel omnino rectum; hæc ex Aegidio.

Ad arg. ergo Resp. scientia est de primis intentionibus, vt dicunt esse prædicamenti, seu habitudinem ad debita principia, & ad debitas proprietates concedo: vt dicunt ipsum esse cognitum, nego: licet enim quando fit demonstratio appræhendatur esse prædicamenti, demonstratio tamen non est de tali esse appræhenso, sed de habitudine, vel de esse prædicamentali stante sub esse cognito; & tantum esse cognitum erit conditio requisita, non verò res per se scita, vel res de qua est scientia: & quia figmenta non habent esse prædicamenti, ideo non potest de eis esse scientia, etiam si conueniant in esse cognito, aut in illa conditione.

Resp. 2. scientiam esse de primis intentionibus, vt habent esse cognitum directè, non vt habent esse cognitum reflexe.

Ob. 2. Si prima intentio haberet aliud esse ab esse, quod habet in se ipsa, tunc nulla res esset scita, nec posset terminare actum sciendi secundum illud esse, quod habet formaliter, & sic illud quod scietur erit tantum quoddam esse intentionale à rebus distinctum: sed hoc est impossibile, & longe irrationabilius, quam fuerit error Platonis: ergo &c.

Resp. neg. sequelam; nam res habet triplex esse, immo & quartum

esse .s. esse in prospectu intelligentiæ: terminat autem actum sciendi secundum esse prædicamentale: licet hoc esse adhoc quod terminet debeat esse appræhensum; dicitur ergo res scita quatenus habet esse prædicamentale: non quatenus est in re, quia sic esse per accidens se habet ad scientiam; nulla enim rosa existente adhuc rosa est pulcherimus flos inter omnes.

Ob. 3. metaphysica, & aliç scientiæ reales sunt de primis intentionibus tamquàm de obiectis formalibus: sed non sunt de ipsis vt conceptis; seu de esse obiectiuo concepto, vt includente essentialiter conceptionem passiuam: quia scibile quod est obiectum scientię realis non includit essentialiter aliquid factum per intellectum, nec actiuè, nec passiuè, immo obiectum realis scientiæ est ens reale: ergo prima intentio non poterit esse res vt cognita.

Resp. dist. mi. non sunt de ipsis vt conceptis reduplicatiue concedo: sic enim sunt de esse prædicamentali: vt conceptis specificatiue nego: nam vt esse prædicamentale actu terminet scientiam, debet esse cognitum, & esse in prospectu intellectus scientis.

Ob. 4. quod est mensura notitiæ speculatiuę non includit aliquid fabricatum per talem notitiam: sed obiectum est mensura notitiæ speculatiuæ; ergo non includit aliquid fabricatum per talem notitiam; ergo passiua conceptio non facit ad primam intentionem.

Resp. dist. ma. non includit aliquid vt formalis ratio mensurans concedo; vt conditio requisita ad hoc vt ratio formaliter mensurans, actu mensuret, nego; esse autem prædicamenti est ratio formaliter mensurans scientiam; adhoc tamen quod actu mensuret, requiritur tamquam conditio quod habeat esse rationis; seu sit cognita, & concepta.

Ob. 5. quando affirmatur animal de homine, vt cum dicitur, homo est animal; non affirmatur esse obiectiuum vnius de esse obiectiuo alterius; quia tunc propositio esset falsa; nam esse obiectiuum hominis, non est esse obiectiuum animalis; sed affirmatur id quod est in re; ergo prima intentio dicit rem est habentem esse à parte rei, & vt pręscindentem ab omni conceptione passiua.

Resp. dist. secundam partem, affirmatur id, quod est in re, vt esse in re dicit esse actuale nego; quia ab hoc esse abstrahit intellectus; vt esse in re dicit realitatem prædicamenti concedo; ad hoc tamen vt actu hæc realitas affirmetur, requiritur quod sit in prospectu mentis, seu quod habeat esse in ratione.

De inde Ob. cũ Bonherba ostendẽdo primam intentionem esse ens rationis. Tam esse essentiæ quam esse vniuersale est esse rationis ex Aegidio quodl. 2. q. 6. esse tamen essentiæ est esse rationis vt prima intentio; esse autem vniuersale est esse rationis, vt secunda intentio; ergo prima intentio ex Aegidio est propriè ens rationis.

Cõfirmatur ens rationis proprie, & in rigore non est aliud quam ens causatum à ratione; sed prima intentio est ens proprijssime causatum à ratione, nam est ipsum esse co-

in re; & ita se habet quando apprehendit terminos primæ intentionis vt sunt homo leo, vt dicunt naturas &c. vel est remotum, vt quando res apprænhensa immediate fundatur in aliqua apprænhensione intellectus; quia vero hæc apprænhensio immediate fundatur in re, ideo conceptio in ea fundata dicitur fundari mediate, & remote in re extra: vt quando intellectus vniendo se sensui apprænhendit Sortem, vel Platonem, hæc apprænhensio immediate fundatur in re extra: si vero postea intellectus cognoscat quod hoc apprænhensum non prædicatur de pluribus, & ob id nominet ipsum indiuiduum: tunc conceptio indiuidui immediate fundatur in prima illa apprænhensione intellectus, mediate vero fundatur in re; & huiusmodi sunt nomina secundæ intentionis.

Noto 2. ex eodem ibidem quod ea, quæ non habent immediatum fundamentum in re, sunt in duplici differentia: quia quædam sunt quæ intellectus ex sua subtilitate inuestigando perquirit, & talia sunt nomina secundæ intentionis, vel impositionis: alia sunt quæ intellectus ex sua subtilitate non inuestigãdo perquirit, sed ex suo modo intelligendi ipsa de necessitate consequitur, & huiusmodi sunt relationes rationis, vt relatio mensuræ ad mensuratum, & hæc immediate fundatur in conceptione intellectus, mediate vero fundatur in re extra in quantum apprænhensio mensuræ fundatur in re, quæ dicitur mensura, non quia ipsa res dependeat, sed quia est fundamentum apprehensionis intellectus, quæ dependet.

Noto 3. ex Aegidio p. 5. d. 25. p. p. q. p. quod licet idem fundamentum correspondeat primæ, & secundæ intentioni (modo tamen dicto) ipsum tamen fundamentum non est intentio, sed præscindit ab intentione, & tantum dicit id, cui conuenit intentio, v. g. idem fundamentum correspondet homini, naturæ, & speciei; homo tamen dicit illud idẽ fundamentum non includendo habitudinem; natura vero, seu essentia hominis, & species includunt habitudinem, differenter tamen, quia species dicit habitudinem secundæ intentionis, & est nomen secundæ intentionis: natura vero dicit habitudinem, & est nomen primæ intentionis. Ita ex Aegidio. His notatis.

Sit prima conclusio. Nomina primæ intentionis fundatur immediate in re extra.

Ratio autem est, quia tunc quod est in intellectu habet immediatum fundamentum in re extra, quando conceptioni intellectus immediatè respondet res ad extra: sed quando intellectus concipit naturam, & essentiam hominis, quæ ex dictis est prima intentio obiectiua, huic conceptioni, immo, & rei conceptæ respõdet immediate res ad extra, quia respondet *homo*: ergo prima intentio obiectiua habet immediatum fundamentum ad extra.

Sit secunda conclusio. Nomina secundæ intentionis fundantur tantum mediate ad extra; immediate vero fundantur in aliquo esse rationis.

Ratio est, quia secundæ intentiones immediate fundantur in apprænhensione intellectus, seu in esse apprænhenso, & cognito, & pro tanto

fundantur in re extra pro quáto appræhensio illa, quæ est fundamentum immediatum earum, fundatur in re extra: ergo tantum mediatè fundantur in re extra, immediatè verò in esse rationis.

Secundo. Secundæ intentiones, vel fundátur immediatè in rebus secundum quod habent esse reale; vel secundum quod habent esse rationis: sed primum non potest dici: ergo secundum: pr. mi. quia alias intentio generis, & speciei conueniret semper rebus, & esset verum dicere, quod à parte rei sunt genera, & species formaliter, vel saltum fundamentaliter proximè, quod tamen est falsum: ergo fundantur in rebus vt habent esse rationis .s. esse cognitum, vel appræhensum ab intellectu.

Quomodo autem relationes rationis fundētur in intellectu, & quomodo in re, patet ex notatis, & videri potest Aegidius dicta dist. 30.

Rogas quid dicat intētio in communi est abstrahit à prima, & secunda?

Resp. importare habitudinem, & relationem quamdam rationis obiecti cogniti ad intellectum cognoscentem; quæ habitudo si sit ad intellectum directè cognoscentem, dicit primam intentionem: si verò sit ad intellectum reflexe cognoscentem, dicit intentionem secundam.

Rogas. An hæ intentiones denominent res ad extra sine ordine ad intellectum?

Resp. secundas intentiones, v. g. esse speciem, vel genus non denominare hominem, vel animal ad extra, sed tantum vt habent esse cognitum ex Aegid. quodl. 2. q. 6. quia immediatè fundantur in esse cognito: primas autem non denominare res ad extra in ratione primarum intentionum sine ordine ad intellectum directè cognoscētem, sed tantum denominare res, vt id, cui conueniunt intentiones. Colligitur ex dictis cum Aegidio. Ratio autem est, quia prima intentio dicit naturam, vt directe cognitā, atque adeo dicit habitudinem ad intellectum directè cognoscentem: ergo præcisa habitudine res ad extra non potest dici prima intentio; sed tantum id, cui conuenit talis intentio.

Rogas. An vna secunda intentio fundetur in alia secunda intentione?

Resp. Fundari; nam species est secunda intentio, & tamen in ea fundatur alia secunda intentio; genus enim est species vniuersalis in communi; & tamen est genus respectu inferiorum, & primo habet quod sit species quædam vniuersalis, deinde habet quod sit genus. Item genera intermedia secundum diuersas considerationes sunt species, & genera, & primo sunt species respectu superiorum, deinde sunt genera respectu inferiorum; ergo illa secunda intentio præcedit alteram, & se habet tanquam fundamentum alterius.

§. 2.

Quædam argumenta soluo.

Verum contra propositam veritatem Ob. 1. Prima intentio est homo, & vniuersaliter est ens quoddam absolutum: sed homo non habet fundamentum: ergo nec prima intentio.

Resp. dist. ma. est homo, vt est à parte rei nego: sic enim tantum

est

est id, cui conuenit intentio, vt est cognitus directè, concedo: homo autem vt directè cognitus dicit habitudinem ad intellectum cognoscentem, quæ habitudo est habitudo cogniti, & immediatè fundatur in re extrà.

Ob. 2. Intentio vniuersalis est secunda intentio, & tamen non fundatur in esse cognito intellectus: ergo malè dicitur quod secunda intentio fundetur immediatè in quodam esse rationis, seu in esse cognito: ant. pr. nam per hoc quod natura est abstracta per intellectum agentem est vniuersalis; sed hæc vniuersalitas non fundatur in cognitione passiua, sed in abstracto esse: ergo &c.

Resp. neg. ant. ad prob. dist. est vniuersalis tanquam prima intentio concedo: tanquam secunda nego: & sic est vniuersalis tanquam fundamentum secundæ intentionis: & licet tunc non sit cognita reflexè, est tamen cognita directè, in quo esse cognito fundatur postea secunda intentio. Deinde etiam si non esset cognita, adhuc tamen vt abstracta habet abstractum esse, quod est esse quoddam rationis, & in tali esse fundari potest secunda intentio.

Ob. 3. Chimæra est terminus primæ intentionis, & fundatur in esse cognito; ergo esse cognitum non est proprium fundamentum secundæ intentionis; pr. ant. nam illud ens rationis, quod dicitur Chimęra fundatur in hoc, quod partes sint per intellectum coniunctæ, & cognitæ; ex eo enim quod cognosco caput hominis, dorsum capræ, & caudam leonis, & illas cognitas coniungo, resultat ens rationis, quod est Chimæra; ergo Chimæra fundatur in esse cognito partium disparatarum.

Resp. Chimæram non esse terminum primæ intentionis, sed secundæ, & eius quæ nullum habet fundamentum in re, tamdiu enim est Chimæra, quamdiu ab animo cognoscitur. Et licet Chimæra constet ex illis partibus; illæ tamen non respiciunt partes in rebus, sed tantum partes habentes esse per intellectum.

Ob. 4. Vna relatio realis non potest esse fundamentum alterius: ergo nec vna secunda intẽtio potest fundare aliam; hæ enim vel sunt relationes rationis, vel includunt habitudinem rationis: ant. pr. quia alias posset dari processus in infinitum in relationibus.

Resp. neg. conseq. & ad prob. dico esse apertam disparitatem, quia relationes reales habent fundamentum in quo per informationem, & inhærentiam; relatio enim realis adæquatè concepta dicit esse *In*, & esse *Ad*: at secundæ intentiones non habent fundamentum per inhærentiam, sed tantum habent fundamentum circa quod per denominationem, & terminationem, siue sistentiam, quatenus ex diuersitate nostræ cognitionis reflexæ, & ex diuersitate negotiationis intellectus circa ipsas aptæ sunt varias denominationes recipere.

Ob. 5. Id quo aliqua natura est prędicabilis non potest esse id, quod prædicatur: sed qualibet secunda intentio est id, quo aliqua natura est prædicabilis: ergo &c.

Resp. dist. ma. stante comparatione ad eamdem naturam, & intentionem, concedo: facta diuersa compa-

paratione ad aliam intentionem, nego: nam vniuersalitas comparata ad naturam animalis est ratio quare talis natura prædicetur de homine, & leone: comparata verò ad genus, & speciem, & ad alias secundas intentiones sub se contentas, est id, quod prædicatur: nam genus est vniuersale, &c.

Ob. 6. Vt aliquid sit fundamentum alterius debet esse distincti generis à fundato: sed omnes secundæ intentiones sunt eiusdem generis: ergo nulla potest esse fundamentum alterius.

Resp. dist. ma. si sit fundamentum per inhærentiam concedo: si per denominationem, & sistentiam negotiationis intellectus nego: sed satis est quod vna sit alteri inferior, vt possit fundare directam negotiationem intellectus circa ipsam.

SECTIO QVINTA.
Vtrùm Terminus vocalis significet naturaliter, vel ad placitum?

§. 1.
Sententias refero, & veram eligo cum Aegidio.

FVit sententia quorundam philosophorum terminos vocales naturaliter significare esseque signa naturalia obiectorum. Ita docuerunt Socrates, & Cratylus teste Platone in Cratylo, & Pythagoræi apud Ouiedum controuer. 8. p. 3. & quidam alius apud Arriagam.

Cōmunis tamen sentētia est asserentiū voces non significare naturaliter, sed tantum ex libera hominum institutione. Ita omnes alij cum Aristotele 1. perhier. c. 1. & 2. Aegidius de hac re agit tū 1. perhier. c. 2. tùm 1. elench. pag. 11. cum quo rem dirimo.

Sit prima conclusio. Terminus vocalis naturaliter, seu essentlaliter significat seipsum, vt in imaginatione conceptum. Hæc conclusio est Aegidij 1. Elench. pag. 11. col. 1.

Vt autem probetur noto cum eodem vocem ad extra prolatam duobus modis significare, & repræsentare: primo significat, & repræsentat conceptionem sui, quatenus antequam ad extra proferatur est prius in mente concepta, & imaginata, qua de causa ex Auerroe primum mouens in voce est anima, vt imaginatiua: secundo modo repræsentat conceptiones, & rationes rerum. Si sermo sit de voce, vt refertur ad seipsam vt imaginatam, sic est essentiale voci ad extra prolatæ significare se ipsam, vt ad intra imaginatam: at si sermo sit de voce vt refertur ad conceptiones, & rationes rerum, sic ei conuenit repræsentare quidditates rerum ex institutione, & ad placitum. Quo notato.

Probatur conclusio. Quod est de ratione alicuius conuenit ei naturaliter, & essentialiter: sed de ratione vocis ad extra prolatæ est significare se ipsam, vt in imaginatione conceptam: ergo hæc significatio conueniet ei naturaliter, & essentialiter: pr. mi. quia de ratione vocis ad extra prolatæ est, quod antequam proferatur, prius in imaginatione concipiatur: si enim absque imaginatione præcedente ex ore animalis per tussim, vel per aliquem alium modum sonus emitteretur, sonus ille vox non esset: ergo de ratione vocis erit significare se ipsā, vt imaginatā.

Con-

Confirmatur præmittendo ex Aegidio 2. 5. d.8. q.2. a.2. d.2. vox (vt habet rationem locutionis) est sonus ab animali prolatus, naturalibus instrumentis formatus, sui ipsius significatiuus, & proprij intellectus interpratabilis; vbi cum Aristotele 2. de anima t. 88. distinguit inter significationem, & interpratationem, nam significatio est essentialis voci, interpratatio verò eius est ad bene esse,& ad placitum. Potest enim vox comparari ad imaginationem, & ad intellectum,& vt comparatur ad imaginationem, est sui ipsius significatiua, quia significat se ipsam in imaginatione conceptam: qui enim videt animal vocem emittere, statim potest cognoscere, quod talem sonum imaginatum est, qualem exterius expressit; & quia ille sonus extra prolatus est signum sui ipsius in imaginatione concepti, aliter sonus ille non esset vox, ideo omnis vox dicitur esse significatiua. Nec est talis significatio ad placitũ,immo naturaliter;sicut.n. est imaginata vox, sic in voce profertur; animal enim emittens vocem non imaginatur vnum sonum, & emittit alium; sed qualem imaginatur, talem emittit: ideo determinato modo significat vox, vt comparatur ad imaginationẽ: sed vt comparatur ad intellectum, significat ad placitum: conceptiones enim in intellectu non habent quod significentur per has voces, vel per illas, nisi prout per nostrum beneplacitum sunt impositæ ad significãdum; vtroque ergo modo significat vox; naturaliter quidem vt comparatur ad imaginationem, & ad placitum, vt comparatur ad intellectum; sed prima significatio retinuit sibi nomen commune, & vocata est significatio; secunda verò habet speciale nomen, & dicta est interpretatio. Ita Aegidius. Ex hoc autem sic argumentor.

Sublata significatione sui ipsius à voce, quatenus est imaginata, vox non est amplius vox, sed tantum sonus: ergo vox significat se ipsam,vt imaginatam naturaliter, & essentialiter.

Confirmatur 2. ex eodem. Sonus formatus ab angelo in corpore assumpto, ideo non est proprie vox, quia non est per imaginationem conceptus,cum angelus non habeat vim imaginatiuam: ergo vox essentialiter significat se ipsam,vt in imaginatione conceptam.

Confirmatur 3.ex eodem 1.elenc. pag. 11. sicut alia est imaginatio trianguli, alia quadranguli, & imaginatio vnius figuræ non potest coaptari alteri; sic imaginatio, & præconceptio vnius vocis non potest adaptari alteri: ergo vox relata ad se ipsam, vt præconceptam significat se ipsam naturaliter.

Sit secunda conclusio. Terminus vocalis significat ad placitum rationes rerum. Est Aegidij locis citatis, & est communis inter Doctores.

Probatur autem 1.ex Aegid.lib.1. perhier. c. 1. Illud quod est à natura est idem apud omnes: sed voces nõn sunt eædem apud omnes, sicut neque literæ, vt patet: ergo voces non significant naturaliter, sed ad placitum.

Secundo quia inter voces, & res non est conuenientia vniuoca, qualis est inter generans, & genitum, cùm

cùm voces non generentur à rebus, nec è contra: nec est conuenientia in aliqua proprietate naturali, cùm vna non oriatur ab altera: ergo ex vi cognitionis vocis non potest quis venire in cognitione rerum.

Rogas: vnde habeant voces, quod in actu primo sint significatiuæ rerum?

Respondeo. Id habere à Legislatore, & Authore linguarum: sicut enim ex Aegidio quodl. 1. qu. 16. quod malefacta in hoc regno puniantur hac, vel illa pœna, & in alio puniantur pœna diuersa, oritur ex legislatore: ita quod in hac regione homines loquantur hoc, vel illo idiomate oritur ex voluntate primi authoris, nondum retractata, sed moraliter perseuerante: vnde si deinceps Rex, vel Respublica statueret, quod hic terminus, *panis*, significaret lapidem, ex retractatione prioris voluntatis, & impositione alterius, inciperet esse noua significatio. Ita habemus ex sacra Scriptura: nam Pharao abolito priori nomine nouum aliud imposuit Iosepho, vbi hominem in sui obsequiũ, & familiam destinauit; & Nabucdonosor Danielis, triumque sociorum, & Christus Dominus Simonis, & filiorum Zebedæi nomina priora cum nouis alijs commutarunt; & sic in eis ex retractatione prioris impositionis, & ex vi nouæ institutionis incæpit esse diuersa nominis significatio.

§. 2.

Argumenta solu.

VErum contra propositam veritatem. Ob. p. ex sacra scriptura gen. 2. Omne quod vocauit Adam animæ viuentis ipsum est nomen eius: ergo nomina illa naturaliter res significabant; alias non assereret, ipsum esse nomen eius.

Resp. dist. ant ipsum est nomen eius ex vi significationis naturalis nego: ex vi legis institutæ à capite naturæ humanæ, vt res illæ talibus nominibus vocarentur, concedo. Dicitur ergo nomen eius, quia Adam tamquam caput, & Dominus statuit, vt res illa deinceps tali nomine vocaretur; & sic intelligitur Scriptura.

Ob. 2. Locutio, & sermo est homini naturalis: ergo & voces, quibus locutio exercetur: pr. ant. quia homo naturaliter est animal politicum, & ciuile, 1. polit. sed hæc ciuilitas non potest esse sine locutione, & sermone: ergo &c. pr. conseq. quia locutio non potest esse sine vocibus: ergo si locutio est naturalis, etiam voces erunt tales.

R. ex Aegidio quodl. p. q. 16. dist. ant. locutio est homini naturalis quantum ad rationem genericam locutionis, concedo: quantum ad speciale idioma, seu quantum ad rationem specificam locutionis, nego: sicut enim punire malefactores est à iure naturali; cùm à natura sit, quod non debeamus pati maleficos viuere; punire vero eos sic, vel sic est ad placitum: ita loqui est homini naturale: loqui vero secundum hunc, vel illum modum est ad placitum.

Ob. 3. voces habent naturalem vim sanandi vulnera, & morbos curandi: ergo habent naturales conuenientias cum sanitate, & cum debito tẽperamẽto: ergo etiam habent vim

vim naturaliter significãdi tales qualitates, quas reddunt: pr. ant. quia in hispania est genus hominum, quod vocatur, *Saluatorum*, hi sunt homines sancte viuentes, qui gratis infirmitates curant sola manuum impositione, & certorum verborum recitatione.

Resp. si huiusmodi sanitates reddantur sine vlla superstitione, sunt dona gratis data; & per consequens sunt dona supernaturalia: si vero reddantur interueniente aliqua superstitione; tunc dico vel huiusmodi sanitates non esse veras, sed tantum apparentes pro aliquo tempore: vel demum fieri ex vi pacti taciti, vel expressi cum dæmone, & sic non ex vi naturalis virtutis ipsarum vocum.

Ob. 4. si in rerum natura essent tantum homines latini, tunc ista vox homo apud omnes eandem rem significaret, & pro eadem constitueret intellectum omnium: ergo tunc significaret naturaliter: ergo & de facto: quia non variatur natura illius vocis ex vi existentię Hębreorum, & Gręcorum.

Resp. dist. ant. constitueret intellectum pro eadem re apud omnes quantum est de se nego: quantum esset ex conuentione omnium illorum in tali idiomate concedo: hoc autem non est significare naturaliter, sed ad placitum.

SECTIO SEXTA.

Alia quædam dubiola circa terminos expedio.

§. 1.

De termino scripto.

VLterius circa terminum dubitari potest, & primo dubitatur de termino scripto, *An s. significet immediate voces, an vero res?*

Resp. Notando cum Aegidio p. perhier. c. p. quod si homo vteretur sola cognitione sensitiua, quæ est hic, & nunc: suffecissent sibi voces: sed quia vtitur cognitione intellectiua, quæ abstrahit ab hic, & nunc: nam homo est sollicitus non solum de præsentibus; sed etiam de absentibus, & futuris: ideo indiguit vsu scripturæ, vt absentibus per scripturã notificaret mentis cõceptum.

Noto 2. cũ eodẽ loc. cit. quod ista quatuor se habent per ordinem, literæ, voces, similitudines & res: literæ sunt notæ vocum; & voces sunt significatæ à literis, & sunt signa passionum: passiones sunt significatæ à vocibus, & sunt signa rerum: res vero sunt ita signatæ, quod non sunt signa: tunc dico.

Scripturam, seu terminos scriptos significare immediate voces. Ita Aegidius vt patet. Probatur p. quia Aristoteles p. perhier. c. p. vt probet voces non esse easdem apud omnes vtitur hoc medio; literæ non sunt eędem apud omnes: ergo nec voces: ergo ex Aristotele literæ, vel scripturæ immediate significant voces, quia mentis conceptus iam est idem apud omnes.

Secundo quia & si mutetur significatio huius vocis *homo*: non ideo tamen mutatur modus illam scribēdi: nam etiam si vox homo aliud sificaret; semper tamen literæ ex quibus constaret, illam eamdem vocem significarent.

Confirmatur, quia non potest intelligi significarum scripturæ, quin etiam intelligatur significatio ipsarum vocum, quas scriptura repræsentat: hoc autem non requireretur, nisi scriptura immediate significaret vocem, & illa mediante significaret mentis conceptum: ergo &c.

§. 2.

De Termino complexo, & incomplexo.

DVbitatur 2. *Quid requiratur ad terminum incomplexum, & complexum?*

Resp. Quod ad hoc vt aliquid sit terminus incomplexus requiritur, vt subordinetur vni actui, & vni conceptui mentali, vnde, *homo*, est incomplexus, quia subordinatur vni actui, & vni conceptui. Ad terminum autem vere complexum requiritur, quod ille ad minus subordinetur, aut duobus actibus, aut duobus conceptibus, aut vni actui, & vni conceptui: vnde si aliquis vocetur Marcus T. Cicero, hoc totum non est formaliter vnus terminus complexus, sed formaliter incomplexus: quia intellectus de omnibus illis nominibus format tantum vnum simplicem conceptū: & licet materialiter nomina, vel voces plures sint: formaliter tamen, habēt vim vnius: quia pro vna simplici quidditate cognoscenda .s. pro tali homine, supponunt.

Rogas, *An homo Asinus*, sit terminus complexus, vel incomplexus.

Resp. Quod, *homo Asinus*, non facit vnum terminum complexū per se, quia nihil est complectens, & vniens vnum cum alio: ad hoc enim quod plures termini sint vnus terminus complexus, oportet quod habeant aliquam complexionem, quæ est adiectiui cum substantiuo, aut similem, vt est cum dicitur *homo albus* tunc enim est vnio adiectiui cum suo substantiuo: quæ tamen non est in ly Homo Asinus.

§. 3.

De Definito in definitione termini in communi?

TErtio Dubitatur. *Quodnam sit definitum in definitione termini in communi?*

Quidam dicunt quod definitum in tali definitione est illa dictio Terminus, quæ est secundæ intentionis habens solum significatum formale, & definitur pro omnibus terminis in voce, vel in scripto, vel in mente, & consequenter definitur etiam pro se.

Dico tamen quod definitū est id, quod significat ly *terminus in cōmuni*, vt id primo significatur per hanc vocem terminus, quo pacto est quoddam vniuersale abstrahens ab omnibus terminis primæ, & secundæ intentionis, & ab alijs, & prædicatur de omnibus terminis, & est quid vniuersale non solum in prædicando, sed etiam in esse obiectiuo.

Probatur autem primo, quia vel de-

definitur terminus in speciali, vt puta terminus secundæ intentionis: vel terminus simpliciter sumptus: non primum, quia definitio non conuerteretur cum definito, sed excederet ipsum: ergo definitur terminus simpliciter sumptus vt abstrahit ab omnibus terminis in speciali.

Secúdo quia illud definitur quod significatur per ly *terminus*: sed per ly *terminus* significatur terminus simpliciter sumptus: ergo &c.

Tertio quia possum scire quid est terminus, & ignorare, an sit primę, vel secundę intentionis; complexus, vel incomplexus: ergo definitum abstrahit ab omnibus istis.

§. 4.

De Vniuocatione termini naturalis, & ad placitum.

QVarto dubitatur. *An diuisio termini in naturalem, & ad placitum sit vniuoca?* & est quærere. *An conceptus, & vox conueniant vniuocè in ratione signi?*

Pro resolutione noto quod medium in cognitione est triplex; medium sub quo; & est lumen sub quo obiectum apparet potentiæ: medium quo, & est species impressa, qua res videtur, & cognoscitur: & medium in quo; vt est Verbum in quo res, vt in speculo videtur. Hoc autem medium potest esse duplex; aliud enim est materiale, & extra potentiam, vt est speculum in quo est imago hominis; aliud formale, & intrinsecum, & est species expressa, seu verbum mentis, in quo clare res intellecta cognoscitur: primum medium facit cognitionem mediatam, est enim medium cognoscendi, vt cognitum ideo de hoc medio duplex habetur cognitio, altera ipsius medij, altera rei in cuius cognitionem ducit intellectum. Medium, quo non facit cognitionem mediatam, sed immediatam; est enim ratio cognoscendi incognita: est tamen vere, & proprie medium, non extrinsecum, sed formale, & intrinsecum, formans, & constituens potentiam, eique rem ad extra repræsentans; ideo dici solet medium repræsentatiuum. Medium in quo terminat cognitionem intra quam induit rationem obiecti. Tunc.

Dico terminum naturalem, & ad placitum, seu vocem, & conceptum conuenire vniuoce in ratione signi, licet multum differant in modo significandi. Hæc conclusio est ad sententiam Aegidij, qui loc. cit. §. primo not. 2. docet quod voces, & conceptus conueniunt in ratione signi; nam voces sunt signa passionum, & conceptuum, passiones vero sunt signa rerum, & per consequens conueniunt in ratione signi: non possunt autem passiones esse signa instrumentalia, cum non sint extrinseca, nec media cognita, ideo ex Aegidio debent esse signa formalia. Insuper ex Aegid. p. perhier. c.p. col. 2. ista tria similitudo, passio, & conceptus dicunt vnum, & idem, sed diuerso modo: nam eadem res est similitudo, vt respicit obiectum: est passio perfectiua, vt respicit potentiam, quam perficit; & est conceptus, vt respicit intellectum: sed conceptus non est signum instrumentale, sed formale: ergo &c.

Probatur autem, quia similitudo,

seu signum formale verè, & propriè est repræsentatiuum alterius à se, & ex natura sua ordinatur ad repræsentandum obiectum ad extra, tanquam vicaria eiusdem obiecti: ergo in ea vere reperitur ratio quidditatiua signi; signum enim essentialiter est repræsentatiuum alterius, tanquam substitutum loco ipsius, & est notius illo; hoc autem totum est in conceptu; nam conceptus leonis repræsentat aliud à se .s. leonem, & est notior, non quidem obiectiuè, sed formaliter, cùm reddat leonem formaliter notum, qui antea notus non erat: ergo &c. Quia verò ratio essentialis signi conuenit formaliter vtrique, ideo diuisio erit vniuoca.

Dices signum exigit obiectum sensibile ad extra prius cognitum; sed hoc non potest conuenire conceptui: ergo nec ratio signi.

Resp. dist. ma. ex vi communis rationis signi, nego: ex vi cognitionis nostræ, quia .s. nostra cognitio indiget manuduci externa præsentatione obiecti, & deinde formatione per conceptus, concedo: vnde respectu nostri modi cognoscendi ratio signi exigit obiectum sensibile, non tamen ex sua ratione abstracta.

Dices. Ens reale, & ens rationis non possunt habere rationem communem vniuocam: sed conceptus est signum reale, vox est signum ad placitum, & ideo est ens rationis: ergo &c.

Resp. cum Ioa. à S. Th. dist. ma. non possunt conuenire vniuoce in aliqua ratione vniuoca si considerentur in esse entis, concedo; si considerentur in ordine, & formalitate signi, nego: bene enim stat quod in ratione obiecti, & cognoscibilis vniuoce conueniant obiectum reale, & rationis, quando pertinent ad eandem specificam potentiam, vel ad scientias vniuocè conuenientes, v.g. ad Logicam, quæ agit de secundis intentionibus, & metaphysicam, quæ agit de ente reali: licet postea in ratione entis conueniant analogicè. Sic etiam signum ad placitum, & naturale, licet dicant rationes analogicè conuenientes in ratione entis: in ratione tamen signi, vt ad genus cognoscibile pertinentis, vt medium repræsentatiuum obiecti, vniuocè conuenire possunt. Immo quæ sunt æquiuoca secundum vnam rationem; possunt secundum aliam habere vniuocationem, vt dicam cap. de vniuocis, &c.

§. 5.

De conceptu rei expresso.

DVbitatur 5. *An conceptus rei sit signum formale.*

Resp. esse signum formale, & probo ex Aegidio, quia intellectus in intellectione simplicium semper format sibi aliquem conceptum, & maximè nititur formare conceptum explicitum, seu expressum, qui exprimit id, quod erat in re implicite: ergo explicite reddit intellectum cognoscentem ipsam rem; ergo repræsentat explicite ipsam rem, & per consequens est signum rei; quia tamen non est obiectum prius cognitum, sed est id, in quo obiectum cognoscitur explicitè, & terminatiuè, ideo non erit signum instrumentale, sed formale.

Rogas. *An species impressa sit signum formale?*

Resp. affirmatiue, quia est ipsa simi-

similitudo rei, & est principium intellectionis, vnde ducit intellectum in cognitionem obiecti, saltim quādo est in actu pleno; nec tantum est principium intellectionis, & similitudo virtualis respectu obiecti, quatenus potest eius intellectionem principiare: sed etiam est similitudo formalis, vt suo loco dicam ex doctrina Aegidij.

§. 6.

De vnitate significationis termini vocalis, & ad placitum.

DVbitatur 6. *An voces vnica significatione significent res, & conceptus?*

Resp. affirmatiuè, quia significant vtrumq; eadem impositione: ergo & eadem significatione. Secundo quia significant res, & conceptus non æque immediatè, sed vnum mediantè alio, & vt subordinatum alteri: ergo sufficit eadem significatio ad vtrumque: conseq. patet, quia vbi sunt plura subordinata, ibi vnica est significatio, sicut nomen homo, non solum significat naturam humanam, sed etiam indiuidua pro quibus supponit, & eadem significatione.

Tertio quia sicut in operando actio principalis agentis, & actio instrumenti, vt instrumentum est, est vna & eadem: ita in repræsentando repræsentatio principalis repræsentatiui, & repræsentatiui instrumentaliter debet esse vna, & eadem; & ideo docet Aegidius, quod voces immediatè significant conceptum mentis, & eo mediante rem ipsam, vnde est vna significatio, quę respectu vnius termini dicitur immediata, & respectu alterius dicitur mediata.

§. 7.

De termino vt spectat ad secundam, & tertiam operationem intellectus.

DVbitatur 7. *An terminus vt spectat ad secundam operationem intellectus diuidatur essentialiter in nomen, & verbum?*

Resp. affirmatiuè, quia terminus spectans ad secūdam operationem, est terminus enunciatiuus formalissime consistens in ratione partis componentis, vel resoluentis enunciationem: ergo illud essentialiter diuidit rationem termini, quod essentialiter diuidit rationem partis in termino; at nomen, & verbum essentialiter differunt in ratione partis componentis enunciationem: ergo &c. pr. mi. quia nomen componit, vt extremum significans sine tempore, verbum vt significans cum tempore; vnde cum habeant diuersas definitiones essentiales, nō possunt non diuidere terminum enunciatiuum essentialiter.

Sic etiam terminus syllogisticus, seu vt pertinet ad tertiam operationem intellectus essentialiter diuiditur per subiectum, & prædicatum: & ratio est quia extra propositionem non datur prædicatum, & subiectum, sed tantum prædicabile, & subijcibile, ideo termino syllogistico essentiale erit diuidi in prædicatum, & subiectum; hi enim termini extra propositionem nō habent has rationes.

Rogas. *Quare Aristoteles diuisit terminum syllogisticum per prædicatum, & subiectum, & non per nomen, & verbum?*

 Re-

Respondet Aegid. 1. priorum c. 1. pag. 3. quia nomen, & verbum sunt propriè partes enunciationis: subiectum autem, & prædicatum propriè sunt partes propositionis.

CAPVT SEXTVM.
De Prædicabilibus.

§. 1.
Explicatio Prohæmi Porphirij.

EX dictis de diuisione Logicæ constat ad primam operationem intellectus pertinere librum Prædicamentorum Aristot. quia verò ad eorum cognitionem assequendam necessarius est liber Prædicabilium, in quo termini, vel in recta linea, vel à latere positi, explicantur, idcirco prius cum Porphyrio, & Aegidio de Prædicabilibus dicam. Qua in re ità procedam; primò textum explicabo; secundò ad maiorem intelligentiam notanda adducam; tertiò quæstiones, & difficultates proponam, & soluam, latius in 2 p. cursus de eis dicturus.

Textus. *Cum sit necessariū Chrysaori ad eam, quæ est apud Aristot. Prædicamentorum doctrinam, &c.*

Quidā discipulus Porphyrij Chrysaorius nomine, cùm librum Prædicamentorum Arist. intelligere non posset, rogauit Porphyrium Magistrum suum, vt ad præfatum librum aliquam introductionem faceret; ille verò precibus discipuli permotus, librum de Prædicabilibus composuit, quem inscripsit, *Isagogen ad Cathegorias Arist.* 1. Introductio ad Prædicamenta Aristotelis.

Diuiditur hic liber in duas partes; in Prohæmium .i. & Tractatum. Prima pars vnum tantum caput; secunda verò reliqua omnia comprehendit.

Hoc caput diuiditur in tres partes; in prima ponit intentionē suam; in secunda reijcit quædā à suo principali intento; in tertia nouum modum procedendi addit.

Quantum ad primam partem docet hunc librum esse necessarium ad cognitionem Prædicamentorum, ad Definitionem, Diuisionem, & Demonstrationem. Hoc autem sic ex Aegidio probatur. Prædicamentum est coordinatio Prædicabilium secundum sub, & supra; ità quod Genus ponatur superius, Species inferius, & Differentiæ à latere: ergo ad cognitionem prædicamenti necessarium est cognoscere quid sit Genus, quid Species, & quid Differentia; & quia in prædicamento ponuntur differentiæ propriæ, necessarium erit etiam cognoscere quid sit Proprium: & quia in prædicamento substantiæ non ponitur Accidens, necessarium etiam erit cognoscere quid sit Accidens; ergo liber iste, in quo de his omnibus pertractatur, necessarius erit ad cognitionē Prædicamentorum. Est necessarius ad Definitionem, Diuisionem, & Demonstrationem; quia cum Species sit illa, quæ definitur, & definitio constet ex Genere, & Differentia, ideo ad definitionem necessarium erit scire quid sit Genus, quid Species, & quid Differentia. Cùm autem definitio tradatur per proprias differentias, & in ea non sit ponendum accidens; ideo etiam necessarium erit scire quid sit Proprium, & quid Accidens: quia verò genus diuiditur in species per differentias pro-

proprias, & substantia non diuiditur in accidens, ideo ad diuisionem necessarium erit scire quid sit Genus, Species, Differentia, Proprium, & Accidens. Tandem est necessarius ad Demonstrationem, quia cum demonstratio sit de specie, vt de subiecto, & de ea demonstretur proprietas, & demonstretur per mediũ, quod est definitio, & hæc constet ex genere, & differentia, ideo ad eam necessarium erit scire quid sit Species, Proprium, Genus, & Differentia; & etiam quid sit accidens, cum non demonstretur accidens commune, sed proprium.

Quoad 2. p. remouet à suo principali intento has tres quæstiones, asserendo quod de eis non pertractabit, .s. An vniuersalia sint in re, vel tantum in intellectu? An sint corporalia, vel incorporalia? & An sint in singularibus, vel extra singularia? Reddit autem rationem huius remotionis dicens; quia de his determinare est negotium altissimum, & altiorem inquisitionem expostulat, quam exigat liber introductorius.

Quoad 3. p. in ea asserit quod determinabit de his vniuersalibus iuxta determinationem antiquorum, & maximè Peripatheticorum, .i. eorũ, qui secuti sunt veritatem.

§. 2.
Notanda circa litteram.

IN hoc cap. not. primo ex Aegidio, quod causa efficiens huius libri fuit Porphyrius, vt in principio dictum est. Causa materialis, seu subiectum est vniuersale, quod est commune ad illa quinque .s. Genus, Speciem, &c. Causa formalis duplex est .s. forma tractatus, & forma tractandi: forma tractatus est diuisio libri; forma tractandi est modus agendi, & procedendi; & hic quintuplex est; .s. Diffinitiuus, Diuisiuus, Probatiuus, Improbatiuus, & exemplorum positiuus, ex quibus iste vltimus non est necessarius propter scientiam, sed propter addiscentem. Causa finalis est duplex .s. finis intra, & finis extra; finis intra est cognitio huius libri, & prædicamentorum Arist. Finis extra est triplex .s. remotus, & est cognitio Logicæ, remotior, & est cognitio Philosophiæ, & remotissimus & est beatitudo animæ.

Not. 2. ex Aegid. quod dum Porphyrius asserit hunc librum esse necessarium ad prædicamenta, non est intelligendus de necessario simpliciter, quod est illud, sine quo res esse non potest; quo pacto alimentum est necessarium animali, quia animal sine ipso esse nequit; sed de necessario ad bene esse, quod est illud sine quo res quidem simpliciter esse potest, non tamen ita bene; quo pacto vestes sunt necessariæ homini; quia sine ipsis licet homo possit simpliciter esse, non tamen ita benè.

Not. 3. ex Aegidio quod Athenis olim erant tres sectæ; prima erat Peripatheticorum, & huius sectæ confirmator fuit Aristot. Secunda erat Epicureorum, qui sic dicebantur ab *Epi.* quod est supra, & *Cris*, quod est supra artem, quia isti suam fœlicitatem in bene comedere, & libere ponebant. Tertia erat Stoicorũ, quæ secta sic dicebatur ab *Astoa* porta; quia sequaces huius sectæ in tali porta quotidie sedebant. Erat autem ibi porticus summa varietate,

te, & elegantia à Polygnoto depicta, vbi sectatores Zenonis, qui primus fuit huius sectæ author, philosophiam profitebantur, & ibi sequaces ad disputandum conueniebant; ait ergo Porphyrius quod de his vniuersalibus determinabit secundum sectam Peripatheticorum, non verò aliorum.

§. 3.

Dubia, & eorum solutiones.

IN hoc cap. Dubitatur primo. *Vtrùm liber Vniuersalium debeat præcedere librum Prædicamentorum?*

Resp. affirmatiuè ex Aegidio in hoc cap. quia prædicamentum est coordinatio prædicabilium secundum sub, & supra, ita vt genus ponatur superius, species inferius, & differentiæ à latere, vt dictum est §. 1. ergo cognitio prædicabilium præcedere debet cognitionem prædicamentorum, cum sit via ad intelligenda ea, quæ in prædicamentis sunt collocanda.

Ob. Intentio prima debet præcedere intentionem secundam; sed prædicamenta dicunt primam intentionem, & vniuersalia secundam; ergo prædicamenta debent præcedere vniuersalia.

Resp. ex Aegid. in prol. Elench. d. 1. neg. mi. quia prædicamenta, vt considerantur à Logico, dicunt secundas intentiones, & conceptus rationis; hi autem conceptus in hoc libro considerantur absolutè, & simpliciter; in lib. autem prædicamentorum considerantur secundum ordinem ad inuicem, quæ consideratio ordine doctrinæ supponit eorundem considerationem primó modo.

Dubitatur secundo, *An à parte rei dentur naturæ, quæ denominari possint Vniuersales?*

Resp. Affirmatiuè ex Aegidio; quod vt probem noto ex eodem p. post pag. 27. col. 3. *quod vniuersalitas propositionis, vel potest accipi ratione rei, vel ratione signi: si accipiatur ratione signi, sic omnis propositio in qua ponitur signum vniuersale, est vniuersalis, vt omnis homo currit, & omne animal mouetur, & alia huiusmodi: tunc autē est in propositionibus vniuersalitas ratione rei, quando ex ipsis rebus sumitur ratio vniuersalitatis, vt cùm subiectum habet vniuersalem habitudinem ad prædicatum, & prædicatum ad subiectum: hic ergo, vbi traditur ars demonstrandi, per quam habetur scientia de rebus, magis intelligitur de vniuersali, prout vniuersalitas sumitur ex parte rei, quam ex parte signi.* Ex quibus sumo fundamentum sic Scientia dicit vniuersalitatem adæquationis prædicati cum subiecto, & è contra; sed hæc adæquatio vniuersalitatis est ex parte rerum: ergo ex parte rerum dantur naturæ, quæ denominari possunt vniuersales, & de quibus potest haberi scientia.

Secundo pr. ex Aegid. in prol. Elenc. d. 2. scientiæ sunt de rebus, quatenus res sunt obiectum per se, & directum intellectus nostri; sed hoc pacto non important singularitatem, nec conceptus formatos per rationem, quia nec singularia, nec cōceptus rationis possunt esse obiectum principale, & directum intellectus nostri: ergo erunt de rebus, vt habent vniuersalitatem; ergo dantur naturæ reales, quæ denominari pos-

sunt

ſunt vniuerſales. Videatur Aegid. 2. de anima t.60. dub.p.

Confirmatur ex Aegid. 7. met. q. 5. definitiones ſunt de rebus, & non, vt ſunt particulares; ergo vt ſunt vniuerſales; quia ex 7. met. t.35. particularium non eſt ſcientia, neque definitio. Videndus eſt Aegidius p. poſt. pag. 36. col. 4. &c.

Confirmatur 2. ex Aegid. de eſſe, & eſſentia q. 7. 8. 9. ſcientia eſt de rebus, non vt dicunt exiſtentiam, ſed vt dicunt figuras prædicamentorum: ſed res, ſeu entia vt ſic non ſunt particularia, & exiſtentia, quia prædicamenta abſtrahunt ab exiſtentia, ſed vniuerſalia: ergo à parte rei dantur naturæ vniuerſales.

Dubitatur 3. *An vniuerſalia habeant eſſe ſeparatum à ſingularibus?*

Reſp. ex Aegid. 2. 5. d. 3. p. p. q. 2. neg. & ratio eſt, quia omne, quod eſt à parte rei eſt ſingulare, & determinatum, & habet per ſe agere, & pati; ſed naturæ vniuerſales non ſunt ſingulares, nec habent per ſe agere, & pati, vt patet: ergo naturæ vniuerſales à parte rei non exiſtunt ſeparatæ à ſingularibus.

Confirmatur quia de ratione vniuerſalis eſt eſſe indifferens ad plura, ſeu communicabile, & de ratione ſingularis eſt habere eſſe incommunicabile, & determinatum ad vnum, cùm habeat eſſe hic, & nunc: ergo naturæ vniuerſales non poſſunt exiſtere à parte rei à ſingularibus ſeparatæ, ita ex Aegid. p. 5. pag. 110. col. 8. ad 40.

Secundo pr. ex Aegid. p. 5. d. 2. p. 2. q. p. quia natura creata non eſt ſuum eſſe, ſed eſſe quod habet, eſt eſſe quod acquirit in ſuppoſito; per hoc enim exiſtit: ergo naturæ vniuerſalis creatæ non exiſtunt ſeparatæ à ſuis ſuppoſitis, & indiuiduis.

Tertio pr. ex Aegid. lib. de Vniuerſ. q. 2. nam vniuerſale poteſt duobus modis conſiderari, vel primo intentionaliter, vel ſecundo intentionaliter; primo modo eſt in ſingularibus, nam homo non habet eſſe primo intentionaliter, niſi in Sorte, Platone, &c.

Secundo modo eſt ſeparatum à ſingularibus, non quod habeat eſſe abſtractum ab eis, ſed quia ſic tantum eſt abſtractum ab eis quantum ad modum intelligendi.

Dubitatur 4. *An vniuerſalia ſint corporalia?*

Reſp. ex Aegid. lib. Vniuerſ. d. p. quod vniuerſale ſumi poteſt dupliciter, vel vt dicit intentionem in anima, vel vt dicit rem ſubſtratam tali intentioni; primo modo ſumitur pro intentione generitatis; ſecundo modo ſumitur pro animali: primo modo loquendo vniuerſale non eſt corporale cùm habeat eſſe in anima; at ſecundo modo poteſt eſſe corporale, vel aliquid corporis, nam animal eſt corporale, & color eſt aliquid corporis.

Dubitatur 5. *An à parte rei detur vnitas formalis?*

R. Affirmatiuè ex Aegid. et probo ex eodem p. 5. diſt. 2. pag. 19. col. p. à parte rei ſuppoſitum humanũ (idem dico de alijs ſuppoſitis creatis) eſt vnum vnitate addita ita quod Sortes non eſt eodem homo, & hic homo, cum eſſe ſuum actuale, per quod eſt hic homo, ſit aliud ab eſſe ſuæ naturæ, per quam eſt homo: ergo in ſuppoſito humano non ſolum datur vnitas numerica, per quam quodlibet ſuppoſitũ eſt hic homo;

ſed

ſed etiam datur vnitas naturæ, per quam eſt homo: ſed vnitas formalis non eſt aliud, quam vnitas naturæ, eſsentiæ, & quidditatis: ergo à parte rei non ſolum datur vnititas numerica, ſed etiam formalis.

Confirmatur ex eodem ibidem à parte rei in ſuppoſitis humanis reperitur natura humana, quæ in eis habet aliud, & aliud eſse: nam quia numeratur eſse, oportet quod numeretur natura, quæ acquirit tale eſſe: ergo à parte rei in quolibet reperitur natura, & eſse ergo: à parte rei in quolibet reperitur vnitas numerica, quæ ſumitur ex eſse; & vnitas formalis, quæ ſumitur ex ipſa natura, & per conſequens à parte rei datur vnitas formalis.

Secundo probo ex diſt. 11. p.p. q. 2. vbi natura per ſe plurificatur, ibi eſt reperire diſtinctionem formalē: ergo vbi natura per ſe non plurificatur, eſt ibi reperire vnitatem formalem; ſed in eodem ſuppoſito humano natura humana per ſe non plurificatur, quia ex diſt. 2. loc. cit. natura ſpeciei de ſe non diuerſificatur, alias variaret ſpeciem: ergo in eodem ſuppoſito humano datur per ſe vnitas formalis.

Tertio idem probo ex Aegid. diſt. 25. p.p. q. 2. Eſse, et natura hominis ſunt alia ab eſse, et natura leonis: ergo Sortes non tantum differt à leone ſecundum eſse, et numericè, ſed etiam ſecundum naturam, et ſpecifice: ergo in Sorte pręter vnitatem numericam datur vnitas formalis, et naturæ, per quam differt formaliter à leone.

Hoc ipſum confirmo ex Aegid. p. 5. d. 26. p.p. q. 2. *In omni natura, vbi eſt ſuppoſitorum pluralitas*, eſt conſiderare duplicem diſtinctionē in ipſis ſuppoſitis: vnam per quam diſtinguitur ſuppoſitum ab omni ſuppoſito alterius naturæ, & aliam per quam diſtinguitur ab omni eiuſdem naturę: Sicut videmus, quod in natura humana eſt pluralitas ſuppoſitorū; & Sortes, quod eſt ſuppoſitum in natura humana, diſtinguitur ab omni ſuppoſito, quod non eſt homo, & ab omni ſuppoſito humano, quod non eſt Sortes, & huic duplici diſtinctioni, reſpondet duplex conſtitutio; nam Sortes per naturam humanam diſtinguitur ab omni non homine, & per ipſam conſtituitur in eſſe hominis; per id vero, quod addit ſupra naturam humanam, in quo addito non conuenit cum alijs ſuppoſitis humanis, diſtinguitur ab omnibus alijs humanis ſuppoſitis; per hoc enim conſtituitur in eſſe incommunicabili, & indiuiduali: ergo à parte rei in Sorte vltra vnitatem numericam, & indiuidualem, datur etiam vnitas formalis, qua in eſſe hominis conſtituitur, & à ſuppoſitis alterius naturæ diſtinguitur.

Vltimo probo, quia à parte rei Sortes, & Plato conueniunt vniuocè in natura humana .i. ſecundum nomen, & definitionem, ſeu quidditatem, & eſſentiam, quo pacto non cōueniunt cum leone, & equo, vt patet ex modo dictis; ergo à parte rei habent vnitatem formalem, in qua fundatur talis vniuocatio; vnitas enim in natura ſpecifica eſt vnitas formalis ſimpliciter, quidditatiua, eſſentialis, & ſecundum eſſe naturæ in terminis Aegidianæ ſcholæ. Vide diſt. 33. p.p. q. 3. litt. O.

Dubitatur ſexto. *An vnitas for-*

ma-

malis à parte rei sit communis multis?

Resp. cùm Aegidio vnitatem formalem à parte rei non esse communem multis, sed esse in suppositis multiplicatam, non per se, sed ex consequenti.

Probo singula. Non est communis, sed multiplicata, quia ex p. 5. dist. 4. p. 2. q. 2. in rebus creatis multiplicatis suppositis multiplicatur natura; & ratio est, quia natura creata non est suum esse; sed eius esse est esse, quod acquirit in supposito, & ideo in creatis, vbi est alietas suppositorum, ibi est alietas, & distinctio simpliciter: ergo vnitas formalis naturæ creatæ non est communis multis, sed est in multis multiplicata.

Secundo ex dist. 25. q. 2. pag. 137. à parte rei esse Platonis est aliud ab esse Sortis, & natura vnius est diuersa à natura alterius: ergo vnitas formalis naturæ humanæ à parte rei non est communis Sorti, & Platoni.

Tertio ex dist. 19. p. pr. q. p. Vniuersale est idem in essentia cũ suppositis suis, & plurificatur secundum plurificationẽ ipsorũ: nam Abrahã, Isaac, & Iacob sunt tres hominis; homo, leo, & Asinus sunt tria animalia; semper enim plurificato inferiori plurificatur superius: ergo à parte rei non datur vnitas formalis quæ sit multis communis.

Quarto ex dist. 2. p. 2. q. p. vbi docet, quod in natura creata esse differt à natura: nam ex 3. de anima t. 12. non est idem magnitudo, & magnitudinis esse: aqua, & aquæ esse, vnde natura creata non est suum esse, sed esse quod habet, est esse quod acquirit in supposito. Ex hoc fit, quod natura creata duobus modis considerari possit; primo secundum abstractionem à suppositis: secundo secundum esse quod habet in suppositis, quod est esse realis existentiæ: si primo modo consideretur, sic natura est vna, & communis multis, & omnia supposita humana sunt vnus homo: nã ex Porph. participatione speciei plures homines sunt vnus homo; hæc tamen abstractio, seu hic status non conuenit naturæ, nisi per operationem intellectus, si secundo modo consideretur, sic natura non est vna, & communis, sed multiplicatur in suppositis, quia multiplicatur ad multiplicationem esse, & ideo in statu realis existentiæ vnitas formalis nõ est communis, sed multiplicata ad multiplicationem vnitatis numericæ, seu ad multiplicationem ipsorũ esse. Ex hac doctrina argumentor sic. Natura à parte rei multiplicatur ad multiplicationem esse suppositorum: ergo à parte rei non est vna in omnibus: pr. ant. quia licet natura humana distinguatur à singularitate, vel esse; & ideo non multiplicetur per se in suppositis, multiplicatur tamen ex consequenti ex multiplicatione esse, sed esse multiplicatur per se in quolibet supposito; ergo natura multiplicatur in quolibet ex consequenti: ergo quot sunt supposita humana à parte rei, tot sunt naturæ humanæ ex consequenti multiplicatæ; et per consequẽs à parte rei vnitas formalis humanę naturę nõ est cõmunis multis.

Probo deinde quod natura humana non multiplicetur per se in suppositis humanis, sed tantum ex consequenti, et refero verba Aegid.

dist. 2. p. 2. qu. 2.) Et propter hoc sciendum, quod numquam plurificatur esse, nisi plurificetur natura, nec è conuerso; semper enim pluralitas vnius infert pluralitatem alterius, & vnitas vnitatem, licet non eodem modo: quia aliquando est pluralitas naturæ per se, & esse ex consequenti, vt in suppositis diuersarum specierum: aliquando est plurificatio esse per se, & naturæ ex cõsequenti, vt in suppositis eiusdem speciei; si tamen semper maneret idem esse, semper maneret eadem natura; vnde si supposita humana haberent idem esse realiter, reseruata pluralitate reali, haberent eamdem naturam humanam, & essent vnius homo, non obstante quod essent plura supposita realiter. Hæc Aegidius, & idem docet p. 5. dist. 25. pag. 135. col. 2.

Secundo idem probo ratione Aegidij dicta dist. 2. loc. cit. quia qualibet natura immediatè respiciens pluralitatem suppositorum, sicut est natura specifica de se diuersitatem non habet; ergo tantum diuersificatur per accidens, & ex consequenti; pr. ant. quia quacumque differentia data diuersificatur species, sicut diuersificatur numerus per additionem, vel remotionem vnitatis; nam formæ sunt sicut numeri ex 8. met. t. 10. & ideo omnibus hominibus competit vna natura per se loquendo: ergo de se, & per se non diuersificatur, sed tantum ex consequenti, quatenus habet esse in diuersis suppositis.

Confirmatur ex Aegid. quia ex 7. met. t. 28. forma non diuiditur, quod verum est per se, per accidens tamen diuidi potest, vt cum recipitur in diuersis suppositis, vel diuersis materijs: sed natura specifica est forma, non quidem partis, sed totius; ergo de se, & per se non diuiditur, sed tantum ex consequenti, & per accidens, quatenus nempe recipitur in diuersis suppositis.

Dubitatur septimò. *An vnitas formalis distinguatur ab vnitate numerica?*

Resp. ex Aegidio vnitatem formalem in eodem supposito distingui ab vnitate numerica formaliter secundum quid.

Probo primo ex Aegid. 3. s. pag. 206. & 207. vbi pertractans de differentia reperta inter suppositum, & naturam, docet quod tàm in natura diuina, quam in Angelica, & humana suppositum differt formaliter à natura. Et ait. *Loquendo ergo formaliter, vt diximus, & in diuinis persona non est ipsa natura, sed est suppositum aliquod in huiusmodi natura; & quod dictum est de diuinis personis, multo magis veritatem habet in personis angelicis, & humanis.* Hac de causa ibidem docet quod in diuinis hæc propositio; persona est sua natura, non est vera formaliter, sed per identitatem. Insuper ait. Erit ergo prima differentia suppositi ad naturam, quod formaliter potest dici differre suppositum à sua natura, & quod natura humana in suis suppositis, & ad sua supposita habet differentiam formalem indiuiduationis in eis: & natura Angelica formaliter differt à suo supposito.

Secundo idem probo ex quodl. 5. qu. 14. in calce, vbi ait. Ex hoc autem intelligi potest quomodo differat natura à supposito; nam illa eadem

dem essentia in se considerata, vt non participat perfectiones additas, dicitur natura; vt verò est subiecta perfectionibus, & vt participat perfectiones alias, si sit per se existens in rebus creatis, meretur dici suppositum, vt diffusius diximus in quæstionibus de compositione Angelorum, quæst. de natura, & supposito: hæc Aegid. sed natura, vt non participans perfectiones additas, & vt easdem perfectiones participans, differt formaliter secundum quid, quia differt secundum esse actuale, quod est differre formaliter secundum quid in schola Aegidij; ergo vnitas formalis erit distincta formaliter ab vnitate numerica, quæ est vnitas, quam natura habet in suppositis.

Tertio ex eodem dist. 33. par. q. 3. vbi ait. Sciendum quod per illud idem specialia, vel habentes naturam aliquam, inter se differunt, quod supra naturam illam addunt: nam particulares homines per esse actuale, & conditiones materiæ differũt, quas supra humanam naturam addunt; & cum per tales conditiones, & tale esse differat hic homo ab homine simpliciter sumpto, per idem videntur differre particularia intra se, & à suo communi; sed natura, & esse, seu natura vt præcisa ab esse, quo pacto dicit vnitatem formalem; & vt stat sub esse, quo pacto dicit vnitatem numericam differunt formaliter, ex Aegidio quodl. 5. loc. cit. ergo vnitas formalis erit formaliter distincta ab vnitate numerica.

Quarto ex dist. 2. p. 2. q. 1. vbi ait. Ex quo esse, & natura non plurificantur vniformiter, nec sunt idem, sequitur quod quodlibet suppositum creatum sit vnum vnitate addita; nam ex 4. met. per idem habet aliquid esse, & vnum esse: ergo quot modis competit alicui esse, tot modis competit ei quod sit vnum, & quia in quolibet supposito creato esse actuale non est idem, quod esse essentiæ, sequitur quod vnitas, quam dat ei esse actuale, sit vnitas superaddita, & ideo quodlibet suppositum creatum est vnum vnitate addita. Ita Aegid. Sed esse essentiæ in eodem supposito creato dicit vnitatem formalem, & esse actuale in eodem dicit vnitatem numericam; ergo in eodem supposito creato vnitas formalis est formaliter secundum quid distincta ab vnitate numerica; essentia enim vt nõ perfectionata per esse, & vt perfectionata per esse differt formaliter secundum quid, vt suo loco ostendam. Plura afferre possem ad hanc distinctionem formalem in schola Aegidij comprobandam, sed breuitati studens, calamo parco, latè dicturus de ea in met.

Bonherba tract. 1. disp. 3. pag. 217. dum cum Aegidio Scotistas, & Thomistas nititur conciliare, à multis discordat. Primo discordat ab Aegidio, qui (vt patet ex dictis) admittit vnitatem formalem à parte rei, & formaliter distinctam ab indiuiduali: quæ dici debet realis, quatenus realitas supponit pro esse à parte rei; non quatenus supponit pro existentia excludente formalitatem alterius. Secundo à Scoto, qui in hoc est cum Aegidio. Tertio à se: nam hic asserit vniuersalia à parte rei habere esse formale, quod est esse essentiæ; & iam dixerat esse essentiæ esse quoddam ens vel esse rationis,

quod vocatur prima intentio: ergo hoc esse non est à parte rei; & si esse essentiæ est prima intentio, & est quid rationis, quomodo hoc esse est distinctum ab esse rationis, vt hic asserit? Tādem qui asserunt vnitatem formalem à parte rei, loquuntur expresse de ea positiue, ipse verò ait eos loqui de vnitate formali negatiue, & per indifferentiam ad esse reale, & rationis, quæ tamen communitas, & indifferentia non est nisi per intellectum abstrahentem, & proinde non est à parte rei. Oh mirum conciliatorem à cunctis discordantem! sed ei iterum parco.

Dubitatur octauo. ***An à parte rei detur vniuersale formale, vt dicit ipsam vniuersalitatem?***

Resp. Neg. ex Aegid. tùm 1. sent. pag. 110. col. 3. dicente, vniuersale quantum ad esse materiale est quid reale, & est in particularibus; esse tamen formale recipit ab anima, eo quod intellectus facit vniuersalitatem in rebus; tùm 2. de anima t. 60. dub. 2. cum quo noto, quod licet essentialiter non prædicetur de re, nisi quod est in ipsa, denominatiue tamen potest de re prædicari aliquid, quod in ea nō est; nam dicitur opus humanum, non ab humanitate, quæ sit in opere, sed ab humanitate, quæ est in artifice, à quo processit opus. Item dicitur res visa, non à visione, quæ sit in ipsa, sed à visione, quę est in vidente; sic etiam dicitur res considerata, non à consideratione, quæ sit in ipsa, sed quæ est in mente, & in intellectu. Hoc præmisso probo cum Aegid. à parte rei non dari vniuersale formale, vt dicit ipsam vniuersalitatem. Res sunt vniuersales non vt sunt in seipsis, sed vt sunt consideratæ ab anima; intentio enim vniuersalitatis non conuenit rebus, nisi vt sunt in anima, quo pacto habent esse abstractum, sed consideratio ab anima non est in rebus, sed in anima: ergo res non sunt vniuersales, nisi vt sunt in anima, & per consequens à parte rei non datur vniuersale formale, vt dicit ipsam vniuersalitatem.

Confirmatur, quia denominatio est à forma, & ab ea est esse: ergo vniuersalitas non competit rebus, nisi vt res habent esse in anima; forma enim denominans, & esse ex ea resultans, tantum in anima habeat esse, nempe consideratio ipsa, à qua dicuntur res vniuersales, tantum habet esse in anima.

Confirmatur secundo, quia ad vnitatem formaliter vniuersalem requiritur, quod natura sit simpliciter vna, & non multiplicata; sed à parte rei nulla est talis natura, cum ex dictis quælibet multiplicetur ex consequenti ad multiplicationem esse, ergo à parte rei nulla datur natura formaliter vniuersalis, & per consequens non datur à parte rei vniuersalitas formaliter.

Vltimo pr. ex not. ab Aegidio, quia hæc prædicatio, homo est vniuersalis, non est essentialis, sed denominatiua; cum de homine non prædicetur aliquid, quod sit in ipso, alias conueniret omni contento sub homine, vt patet in alijs prædicationibus essentialibus, & sic Petrus esset vniuersalis, Sortes esset vniuersalis; sed prædicatio denominatiua sumitur à forma existente in alio, vt patet de opere humano, pariete viso, & de re considerata; ergo vniuersalitas formalis non competit

re-

rebus, vt sunt in se, sed vt sunt in anima, in qua existit forma denominans.

Dubitatur nono. *An natura abstracta sit formaliter vniuersalis?*

Præmitto ex Aegid. p. s. dist. 19. p. 2. q. 1. & 2. sent. dist. 3. pag. 246. quod triplex distingui solet vniuersale: .s. vniuersale ante rem, & est idæa Platonis, quæ ratione abstractionis erat vniuersalis, eique ad scientiam, & generationem deseruiebat; dicitur autem hoc vniuersale ante rem, quia ex Platonis sententia; res, & scientiam causabat. Vniuersale in re est essentia, & natura communis, quæ de pluribus prædicatur: hoc autem non est quid reale solum, nec etiam quid rationis solum, sed quantum ad esse materiale est reale, quantum verò ad esse formale, quod recipit ab anima, est rationis; & huiusmodi est genus, species, &c. dicitur vniuersale in re, quia est idem in essentia cum rebus, & cum suis suppositis. Vniuersale post rem est species, quæ est in intellectu abstracta à rebus; & dicitur vniuersalis, non quia de pluribus prædicetur, sed quia habet respectũ ad plura, & pluribus est similis. Dicitur vniuersale post rem, quia est à rebus abstractum, & ab ipsis causatum: hic non est sermo de primo, & tertio vniuersali, sed tantum de secundo. Quo præmisso.

Resp. cum Aegid. quodl. 2. qu. 6. & dico, quod natura abstracta à conditionibus indiuiduantibus, .s. ab esse, est vniuersalis obiectiuè, & prædicatiuè; non verò formaliter. Refero verba Aegidij loc. cit. vbi ait. Intellectus enim cognoscendo essentiam, cognoscit id, quod est vniuersale, sed non propter hoc cõgnoscit eam, vt est vniuersalis, nec vt est subiecta intentioni vniuersalitatis. Nam esse essentiæ, & vniuersale quod prædicatur, idem dicunt; ipse enim intellectus noster fertur in ipsas res, vt in hominem, capram, & leonem; quæ vt sunt obiectum intellectus, habent esse essentiæ, & prædicantur de rebus; sed vt postea intellectus se reflectit supra res, & videt quod prædicantur de pluribus, sic habent esse vniuersale formaliter, & sic accipitur vniuersale, vt est subiectum intentioni vniuersalitatis: & sic non prædicatur; nam licet Sortes sit homo, & sit animal, Sortes tamen non est vniuersale, nec est species, nec est genus: ergo aliud est loqui de re, quæ est vniuersalis, & aliud vt est subiecta intentioni vniuersalitatis; res enim secundum esse essentiæ est vniuersalis, licet non consideretur, vt est subiectá intentioni vniuersalitatis, nisi quando intellectus se reflectit supra eam, & videt quod est communis pluribus, & iudicat eam, vt vniuersalem. Hæc Aegidius. Quo præmisso.

Probo p. p. Vniuersale obiectiuũ est illud, in quod primo, et per se, ac directè fertur intellectus; sed huiusmodi est natura abstracta ab esse, quod habet in suppositis: ergo talis natura in tali linea abstractionis erit vniuersalis obiectiue: probo mi. quia cùm species, quæ intellectui est ratio intelligendi, sit abstracta ab hic, & nunc, est intellectui ratio, vt feratur in essentiam secundum se, & sine hic, & nunc: ergo natura abstracta ab hic, & nunc, quæ terminat directè primam intentionem,

&

& lationem intellectus, erit vniuersalis obiectiuè, quatenus est obiectum, in quod intellectus primo, & directo aspectu, fertur.

Ratio secundæ partis est, quia vniuersale prædicatiuum est illud, quod de inferioribus prædicatur; sed natura vt sic abstracta est illa, quæ prędicatur de inferioribus: ergo natura sic abstracta erit vniuersalis prædicatiuè; probo minorem, quia essentia, seu natura abstracta, & vniuersale quod prædicatur sunt idem, vt constat ex verbis adductis ex Aegidio.

Hoc vniuersale, quod respectu intellectus dicitur obiectiuum, et respectu inferiorum dicitur prædicatiuum, vocatur ab alijs vniuersale absolutum; hoc autem sic explico. Natura sic abstractè concepta non includit habitudinem ad rationes contrahentes, seu ad esse suppositorum, cum ab eis sit abstracta: nec includit habitudinem ad secundam intentionem vniuersalitatis, cum adhuc non terminet secundam lationem intellectus, seu operationem reflexam: et ideo cum ab his habitudinibus sit immunis, rectè dici potest vniuersale absolutum. Vocatur etiam præcisiuum, quia ab vtraquè habitudine præscindit. Vocatur methaphysicum, quia dicit nudam essentiam, quæ vt sic gradum methaphysicum importat. Vocari etiam potest aptitudinale, seu fundamentale proximum, quia natura, quæ prædicatur, non dicit quod actualiter prædicetur, sed quod sit apta nata de inferioribus prædicari: vel quia est fundamentum proximum secundæ intentionis vniuersalitatis.

Ratio vltimæ partis est, quia vniuersale formale dicit secundam intentionem, per quam natura est formaliter communis pluribus, et vt talis iudicatur: sed natura sic abstracta non dicit secundam intentionem, sed primam; cum terminet primam, non secundam lationem intellectus: ergo non erit vniuersalis formaliter.

Confirmatur ex Aegid. p. 5. pag. 135 si esset quidditas hominis diuersa à quidditate leonis absque eo, quod hæ quidditates haberent diuersum esse, ita animal plurificaretur in eis, quod non esset genus; adhoc enim requiritur alietas naturæ, & diuersitas in esse: sed natura sic abstracta non dicit habitudinem ad diuersa esse actu, et formaliter; sed tantum dicit gradus essentiales, et quidditatiuos sibi conuenientes: ergo natura sic abstracta non erit formaliter vniuersalis, nec genus, nec species.

Dubitatur Decimo. *An vniuersale formale fiat per operationem comparatiuam?*

Resp. Affirmatiuè cum Aegidio quodl. 2. q. 6. et probo primo, quia vniuersale formale formaliter sumptum essentialiter dicit secundam intentionem: sed hæc non fit per actionem directam, sed per reflexam, per quam natura ad inferiora comparatur: ergo vniuersale formale fit per actionem reflexam, & comparatiuam.

Secundo quia vniuersale formale importat habitudinem ad inferiora: ergo fit per comparationem naturæ ad eadem inferiora.

Dubitatur vndecimò. *Quomodo definiatur vniuersale?*

Resp. Quod variæ definitiones ad-

adducuntur de vniuersali: nam 2. post. c. vltimo, vt notat ibi Aegidius, definitur sic. Est vnum præter multa, & in omnibus illis vnum est. Quæ definitio sic ab Aegidio explicatur. Dicitur vnum præter multa, quia natura vniuersalis, cum sit abstracta ab omni particulari, est vna præter omnem diuisionem, & multitudinem: dicitur vnum omnibus, quia in tali natura omnia particularia vniuntur. Insuper lib. p. perhier. c. 5. definitur sic. Vniuersale est quod aptum natum est prædicari de pluribus. Quam definitionem etiam habes apud Aegidium tùm ibi, tùm p. 5. d. 25. p. p. q. 2. Item p. post. t. 25. ab Arist. ex Aegid. definitur sic. Vniuersale est vnum in multis, & de multis. Ex his autem constat ad rationem vniuersalis essentialiter requiri vnitatem, & multiplicabilitatem.

Cæterum pro maiori explicatione noto ex Aegidio p. 5. dist. 25. pag. 135. ad esse vniuersalis quatuor requiri. Primo requiritur quod prædicetur de pluribus, quia vniuersale est quod natum est de pluribus prædicari. Secundo quod plurificetur in illis, quia plurificato inferiori plurificatur superius. Tertio quod significet per modum statis in alio; quia ex 7. met. t. 46. vniuersale non habet rationem substantiæ, & per se existentis. Quarto requiritur quod in his, in quibus existit, habeat aliud & aliud esse: nam homo non secundum idem esse est in Sorte, & Platone. Ex quo fit, quod licet essentia sapientia, bonitas diuina, & alia absoluta, prædicentur de pluribus personis diuinis, imo & ipsa persona diuina prædicetur de pluribus suppositis diuinis, non tamen ob id est vniuersalis; quia essentia diuina, & alia absoluta non plurificantur in pluribus personis diuinis, nec sunt in eis secundum aliud, & aliud esse: persona autem diuina significat per modum per se stantis; cum significet per modum substantiæ primæ, non vero per modum existentis in alio, & habent idem esse in omnibus, quia omnium personarum diuinarum est idem esse, & ideo ob has duas rationes excluditur à ratione vniuersalis. Ita Aegidius ibi.

Rogas: *Quomodo differant in natura vniuersali esse in multis, & prædicari de multis?*

Respondet Bonherba tractat. p. disp. 3. pag. 243. quod ex Aegidio quodl. 2. q. 6. differunt tamquam prima, & secunda intentio, seu tamquam fundamentum proximum, & id quod fundatur; nam esse in multis est intentio prima, prædicari de multis est intentio secunda.

Verum Aegidius ibi totũ oppositum asserit, ait enim. Nam esse essentiæ, & vniuersale quod prædicatur, idem dicunt, ipse enim intellectus fertur in ipsas res, quæ vt sunt obiectum intellectus habent esse essentiæ, & prædicantur de rebus, hęc ille. Sed ex Aegidio ibidem esse essentiæ dicit intentionem primam: ergo & prædicari de multis, quod dicit ipsam naturam, quæ prædicatur, dicet intentionem primam.

Confirmatur ex eodem, quia vniuersale formale, quod est secunda intentio, non prædicatur de inferioribus; nam licet Sortes sit homo, & animal, non tamen est species, vel genus: ergo prædicari de multis,

quod

quod cadit supera ipsum prædicatum, non importabit intentionem secundam: ergo falsè loquitur ex Aegidio, sed iterum est parco. Dico ergo quod esse in multis, et prædicari de multis sunt idem in linea intentionis: nam vtrumque vel pertinet ad primam intentionem, si vtrumque cadat supra naturam, quę est, & quæ prædicatur: vel ad secundam, si vtrumque cadat supra communitatem: differunt tamen quoad rationes formales, quia in omni linea esse in multis dicit essentiam, prædicari autem de multis dicit proprietatem, & passionem eiusdem essentię in simili linea; ideo enim res de multis prædicatur; quia est in multis.

Dubitatur Duodecimo: *An Vniuersale formale sit genus ad quinque vniuersalia?*

Resp. Affirmatiuè, quia vniuersale vt sic prædicatur de quinque vniuersalibus vniuocè, hoc est secundum nomen, & definitionem; omnia enim appellantur vniuersalia, & sunt in multis, ac de multis, quæ est definitio vniuersalis vt sic: ergo vniuersale, vt sic erit genus ad quinque vniuersalia; maximè cum inter se differant specie in ratione vniuersalium.

Dubitatur Decimo tertio: *An Vniuersale sit subiectum in hoc libro?*

Resp. Affirmatiuè ex Aegidio in hoc lib. dicente, causa materialis, vel subiectum, quod idem est, est vniuersale, vt commune ad ista quinque. Ratio autem est, quia in hoc libro considerantur species, & passiones vniuersalis: ergo vniuersale erit subiectum huius libri.

Dubitatur 14. *An vniuersalia sint tantum quinque?*

Resp. Affirmatiuè ex Aegid. cap. de genere; et ratio est, quia omne quod prædicatur vel prædicatur in quid, vel in quale: si in quid, vel dicit totam essentiam determinatè, vel indeterminate: si indeterminatè, sic est genus: si determinate, sic est species: si in quale; vel prædicatur in quale essentiale; et sic est differentia: vel in quale accidentale; et tunc vel prædicatur conuertibiliter, et sic est proprium; vel non conuertibiliter, & sic est accidens; & quia non dantur alij modi prædicandi, ideo nec dantur alia vniuersalia, vel prædicabilia; & per consequens vniuersalia erunt tantum quinque. De hac ratione dicam suo loco.

Dubitatur 15. *Quodnam sit magis ens, vniuersale, vel particulare?*

Resp. ex Aegid. p. post t. 39. pag. 79. col. 4. quod si loquamur de entitate, quæ requiritur ad scientiam, qualis est entitas circa quam negotiatur intellectus; sic vniuersale est magis ens, & plus habet de entitate, quam particulare, imo vniuersale habet talem entitatem, & non particulare; & ratio est, quia vniuersale est per se obiectum intellectus, & non particulare. Si loquamur de entitate secundum se, hæc vel dicit essentiam rei, vel existentiam; si dicat essentiam rei, sic vniuersale est tale ens simpliciter, particulare autem non est ens nisi determinati temporis: si dicat existentiam rei; sic licet vniuersale non existat nisi in particularibus: nam sunt omnia in primis, & destructis primis impossibile est aliquid aliorum remanere; possemus tamen dicere (ait

Ae-

Aegid.) quod etiam quantum ad istud esse, vniuersale plus habet de esse, quam aliquod particulare signatum, licet non habeat plus, quam omnia particularia successiue: nam nullum particulare signatum, loquẽdo de istis corruptibilibus, habet esse, nisi secundum determinatum tempus, vniuersale autem habet esse semper: item à nullo particulari signato dependet vniuersale totaliter secundum suum esse: quia adhuc reseruatur natura rei vniuersalis in alijs particularibus, corrupto quocunque particulari signato.

Dubitatur 16. *An vniuersale sit semper, & vbiquè?*

Resp. ex Aegid. p. post. t. 44. quod vniuersale non est semper, & vbiquè affirmatiuè, quia tunc vbiquè esset Oliua; sed est semper, & vbiquè negatiuè, & per abstractionem, quia est abstractum ab omni loco, & ab omni tempore, & ideo quantum est de se, nullus ei repugnat locus, & nullum tempus.

CAPVT SEPTIMVM.
De Prædicatione actuali.

§. 3.
Quid, & Quotuplex sit prædicatio.

PRædicabilitas est passio vniuersalis, hius autem exercitium est actualis prædicatio, in qua termini actu per intellectum componuntur, redduntque prædicationem vel veram, vel falsam: vnde ad discernendum quæ prædicationes sint veræ, & quæ falsæ, videndum est quam habitudinem termini ad inuicem habere debeant.

Prædicatio est enunciatio, in qua aliquid affirmatur, vel negatur de subiecto, vt dicendo Sortes est rationalis, & Sortes non est Asinus.

Multæ sunt diuisiones prædicationis; quas tamen in Aegidio vsquè dum reperi, sunt hæ.

Primo diuiditur prædicatio in prædicationem essẽtialem, & denominatiuam. Prædicatio essentialis ex Aegidio 2. de anima t. 60. est illa, quæ sumitur à forma existente in re, vt homo est substantia, corpus &c. Prædicatio denominatiua ex eodem ibidem, est illa, quæ sumitur à forma existente in alio, vt dicendo pictura est opus humanũ, paries est visus: nam opus non dicitur humanum ab humanitate existente in pictura; sed ab humanitate existente in artifice: & paries dicitur visus non à visione existente in pariete; sed à visione existente in oculo.

Secundo diuiditur, quia alia est prædicatio formalis, alia identica ex Aegid. p. 5. d. 4. p. 3. q. 2. §. Ad id quod vlterius, & 3. 5. pag. 206. Prædicatio formalis est illa in qua prædicatum comparatum ad subiectum habet rationem formæ, vt dicendo homo est rationalis. Prædicatio identica est illa, in qua prædicatum est identificatum cum subiecto, vnde tantum verificatur de subiecto ratione identitatis, vt dicendo, essentia diuina est persona; hæc enim prædicatio non est formalis, cum persona comparata ad essentiam nõ habeat rationem formæ, et vna dicat quidditatem absolutam, alia relatam; est tamen vera identice, quia ea in quibus nihil est per accidens, suppositum est idem cum sua quidditate-

ditate; huiusmodi autem est persona diuina, cum sit ita simplex sicut essentia. Ita Aegid.p.5.loc.cit.

Tertio diuiditur ex Aegid.1.post. pag. 24. quia alia est prædicatio in recto, alia in obliquo. Prædicatio recta est quando prædicatum ponitur in casu recto, vt dicendo homo est animal. Prædicatio in obliquo est quando prædicatum ponitur in casu obliquo, vt dicendo, triangulus est figura habens lineas.

Quarto diuiditur, quia alia est prædicatio directa, alia indirecta; prædicatio directa ex Aegid.1.post. pag.25. col. 2. est in qua subiectum habet rationem materiæ, et prædicatum habet rationem formæ, vt quando definitio prædicatur de definito; nam definitum habet rationem materiæ, et definitio rationem formæ, vt dicendo homo est animal rationale. Prædicatio indirecta est illa, in qua id, quod habet rationem formæ ponitur loco subiecti, et id, quod habet rationem materiæ, ponitur loco prædicati; vt cum definitum prædicatur de definitione dicendo, animal rationale est homo.

Quinto diuiditur, quia alia est prædicatio per se, alia per accidens. Prædicatio per se ex Aegid. 1. post. pag.24.col.1.est illa, in qua exprimitur respectus, & habitudo ad causã, vt dicendo, homo est rationalis. Prædicatio per accidens est illa, in qua inter subiectum, & prædicatum nulla est habitudo causæ, sed omnino per accidens se habent, vt dicendo Sortes fodiens sepulchrum, inuenit thesaurum.

Sexto diuiditur prædicatio per se secũdum respectum ad causam; nam ex Aegidio 1. post. pag. 24. vel respectus ad causam sumitur positiuè, vel negatiuè: dicitur enim per se non solum per respectum ad causam positiuè, quatenus ibi est essentialis habitudo ad causam; sed etiam per respectum ad causam negatiuè; nam 5. met. c. de per se, illud dicitur per se, quod non habet causam. Si respectus dicat essentialem habitudinem ad causam: vel est ad causam formalem, & sic facit prædicationem per se in primo modo dicendi per se; & hæc est quando prædicatum est de essentia subiecti, vt homo est rationalis: vel est ad causam materialem, & facit prædicationem in secundo modo, & hæc prædicatio est, quando subiectum est de essentia, & definitione prædicati, vt homo est risibilis; subiectum enim ingreditur definitionem per se passionis, & quia subiectum respectu passionis se habet vt materia, & per se passio in suo subiecto fundatur tanquam in materia, ideo hæc habitudo reducitur ad causam materialem: vel est ad causam efficientem, & finalem, & facit prædicationem in quarto modo dicendi per se, & est quando causa per se, & ex intentione ordinatur ad effectum, vt cum dicitur Sortes iugulatus, vel decollatus interijt; decollatio enim ordinatur per se ad interitum. Si verò hic respectus sit ad causam negatiuæ, & facit prædicationem in tertio modo dicendi per se, vt cum dicitur, primæ substantiæ sunt per se, vbi ly esse per se, sumitur negatiue, quia primę substantiæ non sunt in alijs, sed magis alia sunt in ipsis. Hæc vsquedum notaui ex Aegidio de prædicationibus.

§. 2.

Quædam pro his prædicationibus noto ex Aegidio.

AD intelligentiam harum prædicationum noto ex Aegidio p.1.d.4.p.3.q.1. quod in omni prędicatione affirmatiua vera, prædicatum, & subiectum sũt vnum, & duo: quia si essent per omnem modum duo, & diuersa, tunc prædicatio illa non esset vera; si autem essent per omnem modum vnum; tunc ex eis prædicatio formari non posset, cum omnis prædicatio requirat plures terminos, & per consequens requirat duo aliquo modo: possunt autem esse vnum, & plura tribus modis: nam aliquando prædicatum, & subiectum sunt vnum per prædicationem, & plura per intentionem: aliquando sunt vnum secundũ actualitatem, & plura per potẽtialitatem: aliquando sunt vnum secundum essentiam, seu secundum rem, & plura secundum similitudinem. Primus modus reperitur in rebus materialibus respectu suorum accidentium, vt cum dicitur, homo est iustus, homo est sapiens, albus, &c. in talibus enim est vnitas prædicationis, in quantum intellectus ex talibus constituit propositionem vnam per vnitatem prædicati ad subiectum; est tamen ibi pluralitas secundum intentionem, in quantum illud, quod intendit intellectus de homine, non est idem cum eo, quod intendit de albo; quia homo, & albus non dicunt actualitatem vnam, secundum quam versatur intentio intellectus. Secundus modus reperitur in prædicationibus essentialibus in rebus sensibilibus, vt cum dicitur homo est animal, homo est rationalis, quia prædicata essentialia, quæ de homine essentialiter prædicantur, sunt vnum secundum actum, cum in re secundum esse actuale, quod habet, non reperiatur nisi vnitas formæ; aliter non esset definitio vna, neque res; sed secundum esse potentiale, quod habẽt res; quod est esse, quod habent apud intellectum; sic in his prædicatis reperitur pluralitas, & in se, & in comparatione ad subiectum; aliter enim ordinatio prædicamenti secundum sub, & supra esset inanis. Tertius modus reperitur in rebus abstractis, & maximè in Deo: in eo enim est vnitas secundum rem, & pluralitas secundum similitudinem; vna enim, & eadem natura respondet vt fundamentum omnium perfectionum, quæ de Deo dici possunt; quia tamen intellectus noster appræhendit eas ad modum perfectionum creatarum, ideo est ibi pluralitas secũdum similitudinem, cum appræhendat eas secundum diuersas rationes: vt ergo prædicatio affirmatiua sit vera, debet in ea reperiri aliquis modus ex istis.

Noto secundo quod in omni prędicatione affirmatiua (de hac enim loquor, quia negatiua non pertinet ad aliquod prędicabile) prædicatum vel est substantiale, vel accidentale, et vtrumque vel est concretum, vel abstractum: concretum substantiale est, homo, animal: concretum accidentale est altum, coloratum: abstractum substantiale est humanitas, animalitas: abstractum accidentale est albedo, color. De his autem omnibus videndum est quomodo prædicentur. Et quia prædi-

cationes non tantum fiunt in terminis primæ intentionis, sed etiam secundæ; ideo etiam de prædicationibus secundarum intentionum dicendum est.

§. 3.

Quædam dubia propono, & soluo.

Circa has prædicationes dubitatur primo. ***An concreta vere prædicentur de concretis?***

Respondeo quod prædicationes, in quibus concreta de concretis prędicantur, siue concreta sint substantialia, siue accidentalia, sunt veræ, & concedendæ. Loquor de prædicationibus directis (nam de indirectis nunc non ago) vnde istæ sunt veræ, & concedendæ, homo est animal, album est coloratū, homo est albus.

Pro hac conclusione noto ex Aegid. p.f. d.2. p. p. q.3. a.2. & 8. met. q. p. quod nomen concretum ex 8. met. t.6. significat vtrumque .i. formam, & subiectum, non tamen vniuoce, nec æquiuoce, sed ad vnum, & analogicè; est enim in hac significatione quædam analogia, quia vnum significat per prius, aliud per posterius, & per prius significat formam, per posterius significat subiectum: ratio autem est, quia nomen non significat rem, nisi secundum quod est in actu; sed res, seu subiectum est in actu per formam: ergo per prius, & principaliter significat formam, per posterius verò, & ex consequenti significat subiectum.

Confirmatur ex Aegid. ibidem, quia nominis impositio fit secūdum conceptionem intellectus, nam ex 7. met. t. 13. qui non definit, non imponit nomen, & quia definitio dicit conceptum intellectus, ideo oportet, quod nominis impositio fiat secundum conceptionem intellectus: sed intellectus non intelligit rem, nisi secundum quod est in actu, & actualitas ista causatur à forma: ergo forma per prius est significata per nomen: quando enim vnum est causa alterius, causa principalius per nomen importatur.

Verum huic doctrinæ videtur cōtraria altera doctrina tradita ab Aegidio cap. de substantia dub. 3. vbi quærens, an accidens in concreto significet substantiam.

Respondet affirmatiue, & reddens rationem ait. Sicut ex forma, & materia fit vnum essentialiter, ita ex subiecto, & accidente fit vnum accidentaliter: ergo secundum quod accidentaliter fit vnum, constituunt intellectum vnum, & significant vnum, & per consequens accidens in concreto imponitur ad significandum aggretatum ex subiecto, & accidenti, & non vt quidam volunt significat accidens tantum, & postea per inhærētiam, & ratione eius intelligitur subiectum: nam si hoc esset verum, hæc propositio, homo est albus, esset falsa, quia esset sensus quod homo esset albedo inhærens subiecto, quod est falsum: quare dicendum est, quod accidens in concreto significat subiectum, non sub propria forma subiecti, sed quatenus est informatum accidente; ex qua doctrina habetur, quod nomen in recto, & principaliter significat subiectum, in obliquo verò, & minus principaliter significat formam; hoc autem est contra id, quod ex eodem prænotaui.

Respondeo ex Aegid. 8. met. q. 1. quod

quod in significatione duo considerare possumus, nempe & id, quod agit in intellectum, & id quod est intellectui ratio agendi, seu cognoscendi, & intelligendi: attendendo primum, dico quod ipsum subiectum informatum forma accidentali est id, quod operatur, & agit in intellectum, & nomen impositum tali agenti, principaliter, & in recto significat subiectum, vt stans sub forma, & ideo ex consequenti significat formam, & ita loquitur in c. de subst. attendendo autem secundum, dico quod forma est intellectui ratio agendi, & ideo nomen impositum principalius significat formam, quia hæc est, quæ per se obijcitur intellectui, estquè ei ratio intelligendi subiectum; & sic verum est, quod primo loco docuit; nempe quod nomen per prius significat formam, et per posterius subiectum, seu aggregatum.

Noto 2. ex Aegid. p.s. dist. 9.p.p. q.3. quod concretum, & abstractum quantum ad principale significatum idem important, & solum differunt quantum ad modum significandi: vnde idem (quantum ad significatũ) important sapientia, & sapiens; sapientia tamen quæ est nomen abstractum significat sapientiam in se: & ideo quando prædicatur nomen abstractum, veritas prædicationis sumenda est ex re ipsa in se considerata: vnde non potest v.g. verificari prædicatio numeralis, nisi in forma secundum se sit distinctio, & pluralitas, & eodem modo dicendum est de prædicatione denotante vnitatem; debet enim, vt sit vera, cadere supra vnitatem formæ. Concretum autem duplex est, vel substantiuum, vel adiectiuum; substantiuum significat per modum per se existentis, vnde cum profertur pluraliter, multiplicatur forma principaliter significata, vt tres boni substantiue dant intelligere tres bonitates: adiectiuum verò significat formam non per modum per se existentis, sed quatenus est in habente, ideo si profertur pluraliter, non importat distinctionem circa rem principaliter significatam, sed circa habentes illam. Ex hac differentia, aliæ deducuntur; nam abstracta sunt talia per se, vt albedo per se ipsam est albedo; concreta verò sunt talia per abstracta, vt album est album per albedinem: Item abstracta dicunt formas simplices, & impermixtas, concreta verò significant formas sine præcisione aliarum qualitatum, cum quibus habent esse in subiecto; nam significant formas vt habent esse in subiecto, in quo etiam habent esse alia accidentia, & omnia existunt per esse subiecti. Ratio autem est, quia abstracta significant formas in se, & secundum se, & quia formæ secundum se important ipsas quidditates, quæ sunt impermixtæ, ideo abstracta significant formas simplices, & impermixtas: cæterum concreta significāt subiecta habentia formas, nihil autem prohibet, vt id, quod habet vnam formam, habeat etiam aliam.

Insuper differunt, ex Aegidio p. s. d. 4. p.3. q. 2. quod in rebus creatis abstracta habent rationem partis, concreta verò habent rationem totius; & ratio Aegidij est, quia id habet rationem partis, quod & pauciora includit, & plura excludit: sed natura in abstracto pauciora includit,

&

& plura excludit; concretum verò plura includit, & alia non excludit; includit enim esse, & conditiones materiæ, quæ non pertinent ad naturam, sed ab ea excluduntur: ergo abstracta habent rationem partis, concreta verò rationem totius.

Confirmatur ex Aegid. ibidem, quia humanitas, quæ est natura hominis in abstracto sumpta, est tantum illud, quo homo est homo; in hoc autem non solum includitur esse, & cõditiones materiæ; sed etiam excluditur, quia per huiusmodi homo non habet quod sit homo; ergo humanitas habet rationem partis, & ab opposito homo, & concretum habet rationem totius respectu naturæ in abstracto, cum includat ea, quæ non pertinent ad naturam. Hæc autem est radix, ob quam natura in abstracto non possit prædicari de concreto, quia pars ex 4. top. non potest prædicari de toto. Ita ex Aegid. ibidem.

His prænotatis probatur conclusio. Vt prædicatio, in qua concretum accidentale prædicatur de substantiali, sit vera, vt quando dicitur, homo est iustus, debet importare vnitatem prædicationis, & pluralitatem intentionis; sed talis est prædicatio, in qua concretum accidentale prędicatur de concreto substantiali ex §. 2. ergo est vera prædicatio. Vt verò prædicatio, in qua concretum substantiale, prædicatur de concreto substantiali, vt cum dicitur, homo est animal, sit vera, debet importare vnitatem secundum actualitatem, & pluralitatem secundum potentialitatem; sed hanc important similes prædicationes: ergo sunt veræ; ma. & mi. patent ex dicto §. 2. & amplius infra declarabuntur.

Secundò probatur ex dictis §. 3. quia huiusmodi concreta, siue substantialia, siue accidentalia implicant esse, et conditiones materiæ, et habent ratione totius: ergo non pręscindunt in modo significandi ab alijs concretis, quæ sunt in eodem supposito, vel in eodem subiecto: ergo inter illa est verissima prædicatio. Vide Aegid. c. de subst. d.p.

Dubitatur 2. ***An hæc, homo est animal; sit prædicatio superioris de inferiori?***

Pro resolutione noto quod dimissa prædicatione identica, & caussali, de quibus in præsenti non loquor; omnis prædicatio vel est superioris de inferiori, vel æqualis de æquali; quod sic explico. Omne quod prædicatur in quid, & essentialiter, oportet dicat totum, quia ergo tam genus quam differentia essentialiter, & in quod prædicantur de specie; necesse est quod tam vnum, quam altera dicat totum. Aliter autem dicit totum genus; aliter differentia: nam ex Aegid. 7. met. q. 10. genus dicit totum essentialiter quia sumitur à toto, & cadit in recta linea prædicamentali, & ideo contra rationem generis est, quod prædicetur denominatiue; & eo ipso, quod genus sumatur à toto, & cadat in recta linea habet significare totum, quod significat species, & si diuerso modo vt dicam. Differentia verò non dicit totum, quia significet totum, sed quia implicat totum: nam animatum quod est differentia corporis significat solã animam: implicat tamen corpus in quo est anima, & ideo differentia

tia prædicatur denominatiue de specie. Definitio autem dicit totum quod dicit species, sed alio modo, quam genus, & differentia: nam dicit totum per modum totius determinate, & distincte; cum comprehendat tam genus, quam differentiam: differentia vero dicit totum non per modum totius, sed per modum partis formalis, cum sumatur à forma. Ista ergo tria prædicata, genus, differentia, & definitio dicunt totum quod dicit species, eo quodlibet ex his prædicetur per se, quod non posset esse, si partem diceret: definitio tamen dicit totum determinate, & explicite, seu manifestatiuè: genus dicit totum per modum partis materialis, vnde non significat speciem distinctè, et propriè: sed indeterminate, et confuse: differentia vero dicit totum per modum partis formalis; & quia pars formalis magis notificat, quam materialis, ideo homo magis notificatur, dicendo *est rationalis*: quam dicendo *est animal*.

Ex hoc colligo quod quando prædicatum dicit totum, quod dicit subiectum, & per modum totius: tunc est prędicatio æqualis de æquali, & tunc conuertibiliter prædicatur de subiecto, & è contra: vnde valet dicere; homo est animal rationale: & animal rationale est homo, eo quod animal rationale est definitio hominis, & dicit totum quod dicit homo, & per modum totius. Quando vero prædicatum sic se habet ad subiectum, quod dicit totum, quod dicit subiectum, & maxime per modum partis materialis, sicut est genus: tunc est prædicatio superioris de inferiori: eo quod ad plura se extendit quam subiectum, de quo prędicatur: vnde licet dicamus, homo est animal; non tamen dicemus conuertibiliter, animal est homo.

Colligo secūdo quod omnis prædicatio substantialis vel est æqualis de æquali: vel superioris de inferiori: nam omne prædicatum substatntiale vel dicit solum per modum totius, & determinate, ac explicite: & sic est prædicatio æqualis de æquali: vel dicit totum per modum partis materialis, & sic est prædicatio superius de inferiori.

Ex his habetur resolutio dubij; dico enim quod est prædicatio superioris de inferiori; cum genus dicat totum per modum partis materialis.

Rogas: ***Quare dicere totum per modum partis materialis facit prædicationem superioris de inferiori?***

Respondeo cum Aegidio 7. met. q. 10. quia est abstractum gradus abstractioris, & superioris; genus enim ideo dicit totum per modum partis materialis, quia ab intellectu consideratur sub esse abstractiori, & quia quanto aliquid est consideratum sub esse abstractiori, tanto magis consideratur sub modo magis confuso, & indistincto, & hoc est magis materialiter considerari; ideo genns dicens totum per modū partis materialis, est superius, quia esse totum per modum materiæ, est esse totum per modum abstracti superioris, maiorem confusionem, & indistinctionem importantis. Differentia vero quia non dicit totum per modum abstracti superioris, sed tantum quia implicat totum, ideo nec potest significatiuè accepta prædicari: nec eius prædicatio impli-

pli-

plicatiue sumpta, potest esse per modum superioris de inferiori. Species quia dicit totum per modum materiæ, & formæ, & sic per modum determinati, & contracti, non potest facere prædicationem superioris de inferiori comparata ad genus; sed semper erit inferior, & subijcietur, non prædicabitur.

Dubitatur 3. *An animal prædicetur de homine in sua communitate, an vero vt contractum?*

R. Prædicari in sua communitate. Probatur autem, quia licet homo per eamdem formam sit substantia, animal, & rationale: intellectus tamen potest intelligere vnam non intellecto alio, vt potest intelligere quòd prius sit animal, quam hoc animal, & prius hoc animal, quam hoc rationale animal; eo quod prius sunt nobis nota vniuersalia, quam particularia; non quidem prius secundum rem; eo quod homo per eamdem formam secũdum rem est substantia, animal, & rationale: sed tantum prioritate secundum nostrũ modum intelligendi, cum nobis sint prius nota confusa magis; & ob istam rationẽ potest intelligere animal sine rationalitate; qua etiam de causa quãdo dicit homo est animal, facit aliam prædicationem, ac quando dicit, homo est animal rationale: quia in prima animal prædicatur vt abstractum ab omnibus differentijs: in secunda vero vt contractum per rationalitatem: sed quando dicitur, ***homo est animal***, animal non prædicatur consideratum cum rationalitate: ergo prædicatur in sua cõmunitate, & vt abstrahit ab omnibus, differentijs; et non vt est contractum, non enim habet statum cõtractionis sine rationalitate. Et licet homo per eamdem formam sit animal, et rationale, non tamen ob id facit eamdem prædicationẽ cum dicitur homo est animal, & cũ dicitur, homo est animal rationale: quia in prima consideratur animal vt abstractum, in secunda vt contractum.

Sed Ob. p. nihil prædicatur per se, & essentialiter de re, nisi illud quod in ipsa re naturaliter inexistit: sed animal per se, & essentialiter prædicatur de homine ex p. post. tam enim definitio, quam genus quod est pars definitionis essentialiter prædicatur de definito; ergo animal quod prædicatur de homine est contractum.

Resp. cum Aug. Anconit. dist. ma. consideratum vt inexistit, nego: consideratum sine differentia contrahente ad inexistendum, concedo: animal ergo quod prædicatur de homnine, non est aliud animal, quam illud, quod est in homine, est tamen consideratum sine differentia per quam contractum est ad hominem. Nam sicut in rerum natura non reperitur quantum sine quali, potest tamen intellectus intelligere quantum sine quali: ita intellectus potest intelligere animal quod est in homine, non tamen vt contractum in homine per rationalitatem.

Ob. 2. quando dicitur homo est animal, ista prædicatio est actualis: ergo animal in ea non prædicatur vt abstractum, sed vt contractum; pr. conseq. quia animal vt abstractum continet species, & differentias in potentia, & non in actu: ergo in prędicatione actuali non potest stare vt abstractum; alias prædicaretur in actu, & in potentia.

Resp.

Resp. neg. conseq. & ad prob. dico quod licet genus contineat species in potentia, non tamen propter hoc sequitur animal non prædicari vt superius: quia animali considerato sine rationalitate competit ratio superioris, et ratio abstractionis, secundum quam considerationem prædicatur de homine actualiter.

Ob. 3. si prædicaretur in quantum superius, committeretur fallacia accidentis, et sic vera esset hæc prædicatio homo est animal, animal est genus, ergo homo est genus; et tunc sequeretur, quod inferius esset superius.

Resp. dist. sequelam, si ly inquantum reduplicaret modum prædicandi nego sequelam: si tantum reduplicaret prædicatũ, concedo; at in casu nostro non reduplicat prædicatum, sed modum prædicandi; non enim est sensus, quod genus sit prędicatum, sic enim committeretur fallacia accidentis: sed sensus est quod ibi genus dicat modum prædicandi; .i. ita animal prædicatur in eo quod genus: quod non in eo quod species; et ideo dixi quod ly in quantum non reduplicat prædicatum; sed modum prædicandi; nec dicit præcisionem prædicati, sed modi prædicandi.

Ob. 4 Si animal prædicaretur de homine cum reduplicatione .i. in eo quod genus, tunc ratio animalitatis ita diceretur de homine, quod non reperiretur in alijs; hoc autem est falsum: ergo etc.

Resp. dist. ma. si reduplicaretur animal concedo: at non dico animal, quod est in homine reduplicari: sed dico quod reduplicatur ipsum genus, vt dicit modum prædicandi, quia non prædicatur, vt est species: seu ita prædicatur de homine, vt non prædicetur in eo quod contractum per rationalitatem, sed vt abstractum ab ea, non secundum rem, sed secundum rationem.

Dubitatur 4. *An genus prædicetur de differentia?*

Resp. ex Aegid. 7. met. q. 10. negatiuè; quia differentia, secundum quod differentia significatiua dicit formam, vt animatum, quod est differentia corporis, dicit formam, ergo si genus, siue animal prædicaretur de differentia in eo quod differentia, anima esset animal; quod cum sit falsum, dicendum erit quod genus non prędicatur de differentia secundum quod differentia.

Secundò, quia si genus prędicaretũr de differentia, totum prædicaretur de parte: sed hoc est impossibile: ergo &c. pr. mi. quia cum vnum totum habeat multas partes, tunc vnum totum esset multa tota, & vna domus multæ domus, & vnũ animal esset multa animalia. Ita Aegidius loc. cit. Hoc idem docet Arist. 2. top. c. 2. dum ait, quod si genus prædicaretur de differentia, vnum animal esset multa animalia. Idem docet Aegid. 2. 5. dist. 3. p. p. q. p. a. 3. col. p.

Dubitatur 5. *An hæc prædicatio*, homo est animal, *sit prædicatio formalis?*

Resp. Cum Aegidio p. post. pag. 71. col. 4. esse prædicationem formalem; & in ea animal esse formalius homine. Vt autem hoc innotescat. Noto cum eodẽ ibidem, quod forma generis, & forma speciei sunt vna forma; per eamdem enim

T for-

formam, Sortes est homo, animal, & substantia, cum ergo ista secundum rem dicant vnam formam, non potest esse difficultas, quænam ex illis secundum rem sit formalior; sed tantum erit difficultas secundum modum intelligendi. Forma autem generis, & forma speciei vt differunt secundum modum intelligendi possunt considerari dupliciter, vel vt recipiuntur in materia: vel vt considerátur abstractè per intellectum: si prout habent esse in materia; sic certum est, quod forma generis est materialior, quam forma speciei: nam materia prius recipit formas magis vniuersales, & postea minus vniuersales (quod intelligendum est sub esse indiuiduali, cum quidquid recipitur in materia sit hoc) materia ergo prius recipit formas magis vniuersales .i. prius recipit indiuiduum magis vniuersalis, vt si leo per eamdem formam est substantia, animal, & leo; ipsa forma leonis, vt dat leoni quod sit hæc substantia, intelligitur prius recipi in materia, quam vt dat ei, quod sit hoc animal, vel hic leo; & sic hæc substantia, quę est indiuiduum formæ magis vniuersalis, secundum modum intelligendi est prior generatione, quam sit hoc animal, quod est indiuiduum formæ minus vniuersalis: & quia quę sunt priora in generatione prius recipiuntur in materia, & per consequens sunt magis materialia; ideo secundum esse, quod habent formæ in materia, quanto forma est vniuersalior, tanto est materialior. Si verò considerentur formæ non secundum esse contractum, quod habent in materia: sed secundum esse abstractum quod habent apud intellectum, tunc quantò forma est vniuersalior, tantò est formalior, quia simplicior, & abstractior.

Noto 2. ex eodem ibidem, quod definitio potest considerari dupliciter, vel vt significatiua naturæ rei: vel vt instrumentum intellectus ad intelligendum: si primo modo, tunc forma generis, v.g. animal, vt significat formā rei, est formalius quam homo, vt significat huiusmodi naturam, & formam: ipsa enim natura humana significata per animal, multo est abstractior, & formalior, quam significata per hominem. Si secundo modo, sic forma generis est multo potentialior, quam forma speciei; nam intelligere hominem in animali, est intelligere ipsum in potentia: intelligere verò hominem in se ipso, est intelligere ipsum perfectè in actu; multo ergo est perfectior intellectus, & multo formalior, si intelligat aliquid in specie; quam si intelligat ipsum in genere. Hæc ex Aegidio ferè ad verbum; quæ ita referre libuit, quia egregiam continent doctrinam.

His præmissis probo in ea prædicatione animal esse formalius homine. Animal vt significat naturam rei, est formalius homine: ergo vt prædicatur de homine est formalius homine: pr. conseq. quia nec animal prædicatur de homine, nec definitio de definito, vt sunt instrumentum ad intelligendum: sed vt sunt significatiua naturæ rei, vt quia eamdem naturam significat homo animal: sed vt sic animal est formalius homine: ergo animal vt prædicatur de homine est formalius homine.

Dubitatur 6. *An hæ sint prædicatio-*

tiones per accidens, album est homo, & homo est albus?

Resp. Cum Aegidio 1. post. pag. 64. col. 3 vtramquè prædicationem esse per accidens, sed diuerso modo: nam album est homo, est per accidens dupliciter, & ratione subiecti, & ratione habitudinis prædicati ad subiectum: ratione subiecti, quia accidit albo quod subijciatur: nam album non subijcitur, quia album, sed ratione alicuius subiecti, in quo habet esse albedo, quia .s. est in Sorte: ratione habitudinis ad subiectum, quia homo, & album non habent habitudinem per se, sed per accidens. Illa verò homo est albus, non est per accidens ratione subiecti, quia homo est aptus natus subijci: sed tantum est per accidens ratione habitudinis prædicati ad subiectum.

Est autem notandum, quod illa, quæ sunt per se in genere, sunt apta nata subijci, & suis superioribus, & suis proprietatibus, vt albedo per se subijcitur colori, & qualitati; & etiã proprietati, vt disgregare visum: vnde ista est per se, albedo disgregat, sicut ista est per se, triangulus habet tres, quia accidentia habent suas proprietates, ad quas dicunt habitudinem per se; & ideo ea, quæ per se sunt in genere, sunt apta nata subijci: concreta verò, quia non sunt per se in genere, vt quia iustum non est per se in genere, sed iustitia, ideo subijciuntur per accidens .s. ratione subiecti, quod implicant: quia ergo ea quæ sunt in genere subijciuntur, non potest illi esse per accidens ratione subiecti secundum se; sed tantum ratione habitudinis prædicati ad subiectum, & quia homo per se est in genere, & per se subijcitur; ideo non potest ei esse per accidens ratione subiecti; sed solum ratione habitudinis prædicati ad subiectum, vt quia homo ad prædicatum dicit habitudinem per accidens, vt est, quando dicitur, est albus.

Dubitatur 7. *An abstracta tam substantialia, quam accidentalia verè prædicentur de abstractis?*

Resp. Et dico primo. Abstracta accidentalia non prædicantur de abstractis substantialibus, vnde istæ non sunt admittendæ, humanitas est risibilitas: humanitas est color. Ratio est, quia nec sunt in eodem genere, nec prædicata implicant subiecta, cum tam ista, quam illa sumantur per modum per se stantis, & non per modum existẽtis in alio.

Dico 2. Abstracta accidentalia superiora verè prædicantur de abstractis inferioribus.

Ratio est, quia ex dub. 6. huiusmodi abstracta per se sunt in genere, & per se subijciuntur superioribus; immo & proprietatibus: ideo hæ sunt veræ albedo est color, albedo est disgregatiua visus.

Dico 3. abstracta substantialia, in quibus abstracta differentiarum prædicantur de abstractis generum, vel abstracta generum prædicantur de abstractis differentiarum, non verè prædicantur. Ratio est, quia differentia ex dictis cum Aegidio cadit à latere, & dicit partem; ergo non potest prædicari de eo, quod cadit per se in linea prædicamentali. Item, quia gradus genericus, & differentialis distinguuntur formaliter, & non se includunt, vt sic in abstracto: ergo vnus non potest verificari de altero.

Dico quarto. Prædicationes in quibus abstracta substantialia superiora prædicantur de abstractis substantialibus inferioribus, vt cum dicitur, humanitas est animalitas, non sunt veræ formaliter, sed tantum identicè. Ratio primæ partis est, primò, quia animalitas non continet actu totum, quod est in humanitate; hæc enim cum sit forma totius includit animam, & corpus; animalitas autem non continet actu rationalitatem, immo nec potentia, quia ideo ex Aegidio 7. met. q. 10. & 11. animal continet differentias in potentia, quia est totum potentiale; sed animalitas non dicit totum, sed nudam naturam sẽsitiuam per modum partis; ergo non potest prædicari de toto .s. de humanitate, quæ est forma totius.

Confirmatur, ideo ex Aegidio, vt mox dicam, hæc est falsa, homo est humanitas, quia humanitas comparata ad hominem habet rationem partis; cum homo includat esse, non tamen humanitas: sed animalitas comparata ad humanitatem habet rationem partis: ergo &c. Confir. 2. quia hi gradus distinguuntur formaliter: ergo &c.

Secundò, quia pars actualis, vt talis non potest prædicari de toto ex dictis: sed animalitas est pars actualis humanitatis: hæc enim componitur ex rationalitate, & animalitate: ergo &c.

Ratio alterius partis est, quia humanitas, & animalitas sunt realiter eadem forma, quia homo per eãdem formam est homo, animal, & substantia: ergo verum erit dicere animalitatem esse eamdem rem cum rationalitate, & per consequens in sensu identico propositiones illæ erunt veræ.

Dico 5. Abstracta substantialia specierum, & differentiarum non verè prædicantur, ideo hæ sunt falsæ humanitas est rationalitas, rationalitas est humanitas. Probatur ex Aegidio, quia differentia est à latere, abstractum verò speciei, est abstractum eius, quod est directè in genere: ergo differentia in abstracto non potest prædicari de eo, quod est directè in genere.

Secundò, quia abstractum differentiæ est abstractum partis, abstractum speciei est abstractum totius: ergo sicut ex Aegidio pars non prædicabatur de toto, ita nec abstractum partis poterit prædicari de abstracto totius.

Nec etiam abstractum totius potest prædicari de abstracto partis; quia sicut ex Aegidio genus, quod dicit totum, non potest prædicari de differentia: ita abstractum alicuius totius non poterit prædicari de abstracto differentiæ, & partis.

Dubitatur 8. *An in rebus creatis concreta prædicentur de abstractis, & abstracta de concretis?*

Resp. quod in rebus creatis abstracta non prædicantur de concretis, nec è contra. Ita Aegid. p.s. d.4. p.3.q.2.& 3. Ratio est, quia abstractum habet rationem partis in comparatione ad concretum, vt dictum est in prænotatis: ergo abstractum non potest in creatis de concreto prædicari: ant. prob. quia concretum includit naturam, & esse, & cõditiones materiæ, quas tamen non includit abstractum; vnde hæc est falsa, homo est humanitas.

Secundò, quia ad hoc vt aliqua per-

perfectio accidentalis in abstracto significata, prædicetur de concreto, quatuor requiruntur; Primò, quod concretum habeat illam perfectionem cum sui plenitudine, non verò per participationem: secundò, quod concretum sit simplex, & non multiplex: tertiò, quod perfectio non sit accidens ipsius concreti, quia accidentia non prædicantur essentialiter de eo, cuius sunt accidentia: quartò quod in concreto non sit aliquid, quod non pertineat ad perfectionem, vt docet Aegid. loc. cit. qu.3. sed hæc non reperiuntur in casu, in quo abstractum accidentale prædicatur de concreto substantiali, vt patet: ergo abstracta accidentalia non prædicantur verè de concretis substantialibus. Vide Aegid. loc. cit.

Dubitatur 9. *An in diuinis abstracta prædicentur de concretis, & è conuerso?*

Resp. Affirmatiuè ex Aegid. loc. cit. & probatur, quia concretum, nempe Deus non includit aliquid, quod non pertineat ad substantiam, naturam, & quidditatem diuinam, quia omnia, quæ sunt in Deo transeunt secundum esse in substantiam Dei: ergo hæc erit vera Deus est sua deitas, Deus est sua quidditas.

Secundò, quia Deus non habet suas perfectiones modo participato, nec modo multiplici, sed simplici, nec in eo est aliquod accidens, & tandem in eo nihil est, quod ad perfectionem non pertineat, vel realiter differat à quacumque perfectione existente in ipso: ergo nullum est impedimentum, ratione cuius perfectiones in abstracto significatæ non debeant de hoc concreto, Deus, verificari.

Dubitatur 10. *An secundæ intentiones in concreto prædicentur de primis?*

Resp. Secundas intentiones esse accidentia primarum: ideo de illis respectu primarum proportionalis ratio est habenda, sicut de accidentibus respectu substantiæ: vnde sicut accidentia in abstracto non prædicantur de substantia: non enim dicitur homo est albedo: ita pariter secundæ intentiones non prædicantur de primis; vnde non potest dici, natura humana est specieitas: & sicut illa prædicantur in concreto: ita & ista, ideo valet hæc, homo est species.

Deinde est dicendum secundas intentiones in concreto sumptas, non prædicari de primis acceptis in abstracto: ideo nõ valet: animalitas est genus. Ratio autem sumitur ex dictis; quia totum non potest prædicari de parte; animalitas autem habet rationem partis, & genus rationem totius; ideo genus non potest prædicari de animalitate.

Rogas. *Quomodo in secundis intentionibus verificentur prædicationes?*

Respondeo in primis concreta superiora secundarum intentionum rectè prædicari de concretis inferioribus secundarum similiter intentionum: vnde hæc est vera, genus est vniuersale, &c.

Deinde dicendum est abstractum totius non rectè prędicari de abstracto partis: vnde hæc non est vera, differẽtialitas est vniuersalitas: sicut .n. genus nõ potest prędicari de differentia; quia totũ non potest prædicari de parte: ita nec abstractũ totius potest prædicari de abstracto partis

Tan.

Tandem dicendum est abstracta superiora secundarum intentionum verè prædicari de abstractis inferioribus earumdem intentionum: sicut enim abstractum superius accidentis realis prædicatur de abstracto inferiori; verè enim dicimus albedo est color, qualitas &c. quia in his prędicamentis directè, & per se collocantur abstracta, ita in coordinatione accidentali secundarum intentionum ponenda sunt directè abstracta, & per consequens verè abstractum superius prædicabitur de abstracto inferiori, & verè dicemus, genereitas est vniuersalitas; vnde cum hæc abstracta sint accidentia, imitantur abstracta accidentalia, non verò substantialia. Cur autem abstracta substantialia non prædicentur de inferioribus sicut accidentalia, dicam 2. parte cum has difficultates scholasticè expendam, & argumentis oppositæ sententiæ satisfaciam.

Dubitatur 11. *An transcendentia prædicentur de se ipsis?*

Resp. ex Aegidio p. s. d. 22. super literam pag. 122. transcendentia se ipsa denominare; entitas enim est ens, veritas est vera, & bonitas est bona. Insuper hæc prædicantur essentialiter de omnibus, quæ sunt in Cathegorijs: nam Sortes est ens, humanitas est entitas; album est ens &c.

Rogas. An formæ speciales possint se ipsas denominare, an s. albedo sit alba, magnitudo magna, quantitas sit quanta, &c.

Resp. cum Aegidio loco nuper citato, quod forma quæ subiectum denominat, nec est ipsum subiectū, verius est eadem sibi, quam ipsi subiecto; vnde albedo est verius eadem albedini, & est magis essentialiter talis qualitas, quam sit ipsum album. Est ergo subiectum album, & albedo alba; sed subiectum est album denominatiuè: albedo verò est alba essentialiter, eo quod essentialiter est ipsa albedo, & illud esse tale est verius, quam sit primum.

Dices formæ speciales in hoc distinguuntur ab vniuersalibus, quod istæ se ipsas denominant, non verò illæ: ergo albedo non potest dici alba.

Respondet ibi Aegidius formas speciales non denominare seipsas eo modo, quo denominant subiectum: nam seipsas denominant essentialiter, subiectum verò denominatiuè tantum; at formæ vniuersales tam seipsas, quam subiecta, vel veluti subiecta denominant essentialiter; & in hoc est distinctio. Et hæc pro nunc sunt, quæ de prædicatione colligere potui ex Aegidio.

CAPVT OCTAVVM.
De Genere.

§. 1.
Explicatio textus.

TExtus. *Videtur autem neq; genus, neque species simpliciter dici.*

Intentum Porphyrij in hoc capite est explicare naturam generis, quod est primum prædicabile.

Diuiditur caput in duas partes; in prima ponit tres acceptiones generis, & eligit illam de qua agere intendit; in secunda tradit definitionem generis à se accepti.

Quoad primam partem, Genus non

non sumitur simpliciter .i. vno modo, sed pluribus: nam primò sumitur pro genere ciuili, & hoc pacto acceptum, est collectio multorum habentium ordinem inter se, vel ratione cognationis, quia quidam sunt liberi, quidam nepotes, quidam pronepotes, vel ratione conciuitatis; & ad vnum primum principium, quod fuit caput illius collectionis: vt collectio Romanorum comparata ad Romulum, dicitur genus Romanorum, ratione cuius comparationis multitudo Romanorum diuersa est à multitudine Pisanorum. Secundò sumitur genus naturaliter, .i. pro principio generationis, siue sit Pater, siuè sit patria: & hoc pacto genus, est principium vniuscuiusque generationis, siuè sit patria, siuè pater: vt Tantalus dici potest genus Orestis, quia fuit Pater, & principium talis generationis; & Thebę dici potest genus Pindari, quia fuit eius patria. Ex his autem acceptionibus, secunda, & est magis vsitata, & est magis principalis: est magis vsitata, quia Romani sunt, qui descendunt ex genere Romuli, & ideo quæ sunt in secunda significatione, magis vnitate dicuntur genus, quam collectio descendens, quæ est prima significatio. Est magis principalis, quia quando aliqua proprietas conuenit duobus, vni tamquã causæ, reliquo tamquam effectui, tũc talis proprietas principalius dicitur de causa, quã de effectu; sed secũda acceptio generis est causa primæ acceptionis; nam principium generationis est causa collectionis; ergo genus principalius dicitur de secunda acceptione, quam de prima. Tertiò sumitur genus logicè, & est illud, cui supponuntur species, sicut inferiora supponuntur superiori; vt homo supponitur animali, & ideo animal est genus. Hæc acceptio generis habet aliquam similitudinem cum duabus iam præmissis: nam sicut genus in secunda acceptione est principium generationis; ita genus logicum est principiũ suarũ specierũ: & sicut genus, in prima acceptione dicit collectionem multorum: ita genus logicum dicit collectionem multarum specierum, & indiuiduorum.

Quantũ ad secundam partem, definit genus logicum sic. Genus logicum est illud, quod prædicatur de pluribus differentibus specie in eo quod quid. Probat autem Aegidius hanc definitionem esse rectè assignatam; quia illa definitio, quæ nihil continet superflui, vel diminuti est rectè assignata: sed definitio data de genere nihil continet superflui, vel diminuti: ergo est rectè assignata: ma. pr. quia ex Arist. definitio notatur terminis, quia sicut terminus debet continere illud, quod est de proprio, & dimittere illud, quod est de alieno; ita etiam debet esse definitio; mi. pr. quia per illas particulas significatur tantum, quod est proprium generis, & suæ naturæ conuenit, & dimittitur quod conuenit alijs prædicabilibus: nam per ly prædicatur de pluribus differentibus specie, differt genus à specie, & proprio; quia species prædicatur de pluribus differentibus numero, proprium vero prædicatur tantum de vna specie, & de indiuiduis illius: per ly prædicari in quid, differt genus à differentia, & ab accidente: nam differentia, & acci-

accidens licet possint prædicari de pluribus, non tamen in quid, sed in quale: si enim quæratur qualis est homo? benè respondetur, rationalis: & si quæratur qualis est coruus? benè respondetur quod est niger; & sic differentia, & accidens prædicantur in quale; genus autem prædicatur in quid, quia si quæratur quid est homo? benè respondetur quod est animal: ergo data definitio continet tantum ea, quæ conueniunt generi, & dimittit ea, quæ alijs prædicabilibus competunt, & per consequens est rectè assignata.

§. 2.

Noto quædam ex Aegidio.

IN hoc capite noto primò cum Aegid. quod illa particula, videtur, aliquando sumitur vt est expressiua apparentiæ, aliquando vt est expressiua similitudinis, & aliquando vt est expressiua veritatis, & hoc tertio modo sumitur in præsenti à Porphyrio.

Noto secundò, quod genus naturale est Pater, vel Patria ex Porph. & rectè quidem, quia pater est principium effectiuum generationis, & patria pariter aliquo modo est generationis principium: nam quædam animalia generantur in quibusdam partibus, quæ non generantur in alia, vt Cameli, & idem dicendum est de multis plantis; sed hoc prouenit à patria, & non ab alio, ergo patria etiam est aliquo modo principium generationis. Duobus autem modis considerari potest patria, vel locus, primo quantum ad virtutem quantitatiuam, secundo quantum ad virtutem qualificatiuam, quam recipit ex influentia cœli: si consideretur primo modo, sic non est principium generationis; quia terra est eiusdem rationis in toto, & in partibus: si consideretur secundo modo, sic est aliquomodo principium generationis.

§. 3.

Dubia de Genere propono, & resoluo.

IN hoc capite dubitatur primò: ***An genus, & alia prædicabilia possint definiri?***

Resp. cum Aegid. lib. Vniuer. pag. 10. col. 2. quod genus, & alia prædicabilia possunt considerari dupliciter: primò vt res quædam sunt: secundò quatenus substant secundis intentionibus: primo modo nec genus, nec alia prædicabilia possunt definiri; at secundo modo, nempe quatenus dicunt gradus rerum secundis intentionibus substratos, rectè definiri possunt, habentque genus, & differentiam, quibus definiantur.

Hanc Aegidij doctrinam sic explico. Gradus ille genericus, qui stat sub secunda intẽtione genereitatis, duo habet, primum est prædicari de suis inferioribus: secundum est prædicari de eis per modum totius indeterminati: vnde in eo reperiuntur duo conceptus, vnus communis alijs prædicabilibus, nempe, prædicari de inferioribus: alter proprius, qui est prædicari de illis per modum totius indeterminati, vt ostendam, & per hunc conceptum differt à cœteris prædicabilibus; primus dicit conceptum generis, secundus vero dicit conceptum differen-

rentiæ: ergo gradus ille realis, vt ſtat ſub ſecundis intentionibus habet genus, & differentiam; nam genus eius eſt ſecunda intentio vniuerſalitatis, vel prædicabilitatis; differentia vero eſt ſecunda intentio importata per talem modum prædicandi .ſ. per modum totius indeterminati: ergo ſub iſto ſtatu rectè definiri poteſt, cum ſub eo habeat genus, & differentiam.

Dices generis non datur genus: ergo genus definiri nequit, cum non habeat genus.

Reſp. ex Aegidio loc. cit. diſt. ant. generis concepti in eſſe rei, & abſolutè, non datur genus concedo: generis concepti quatenus dicit talem gradum vt ſtantem ſub ſecunda intentione, nego; primo modo genus abſolutè eſt genus; ſecundo modo genus eſt ſpecies quædam vniuerſalis, & ſecundarum intentionum. Neque eſt abſurdum, vt id, quod eſt eſſentialiter genus in eſſe rei, ſit poſtea ſpecies denominatiuè, quatenus ei aduenire poteſt ſecunda intentio genereitatis, reſpectu cuius id, quod erat genus eſſentialiter, fit ſpecies denominatiuè.

Dubitatur 2. *An definitum in definitione generis ſit prima, vel ſecunda intentio?*

Reſp. ex Aegidio cap. de gen. pag. 5. col. 3. quod definitum eſt res ipſa ſeu prima intentio, non ſecundum ſe, & abſolutè, ſed prout ſtat ſub ſecunda intentione genereitatis; vel vt ſtat ſub illa proprietate, quæ dicit poſſe diuidi per diuerſas differentias eſſentiales, & ſpecificas. Probo vtramque partem ex Aegid. quodl. 2. q. 6. Secunda intentio ſecundum ſe ſumpta non eſt prædicabilis de ſuis inferioribus: ergo ei non competit præſens definitio: pr. ant. quia licet Sortes ſit homo, & ſit animal; Sortes tamen non eſt genus, neque ſpecies, nec vniuerſale: ergo ſecunda intentio non prædicatur.

Probo alteram partem, quia illud eſt definitum in hac definitione, cui formaliter conuenit eſſe in multis, & eſſe prædicabile de multis; ſed hæc eſt natura generica, ergo natura generica erit definitum; prob. mi. ex Aegid. quodl. cit. quando fit actualis prædicatio, gradus ipſe genericus eſt qui prędicatur, vt cum dicitur Sortes eſt animal, Plato eſt animal: ergo antè exercitium actualis prædicationis natura generica erat illa, quæ erat prædicabilis de multis; ergo hæc eſt definitum in definitione generis, quæ dicit prædicabilitatem, non verò exercitium prædicationis. Hæc tamen natura non definitur ſecundum ſe, quia ſic ex Aegidio lib. vniuerſalium nec eſt particularis, nec vniuerſalis; ſicut homo ſecundum ſe nec eſt albus, nec niger, ſed indifferens ad vtrumque: ſed quatenus ſtat ſub ſecunda intentione genereitatis; quia ſic reſpicit inferiora.

Forte conabitur quis me in arcto depræhendere, quod ſupra dixerim contra Bonherbam eſſentiam, & vniuerſale quod prædicatur, dicere primam intentionem, nunc vero aſſeram naturam prædicari quatenus ſtat ſub ſecunda intentione. Sed facile euado cum Aegidio, vnde dico vniuerſale, quod prædicatur dicere naturam, & eſſe eſſentiæ, quod importat primam intentionem, & ideo hæc natura eſt prædicabile, vt quod; at ſecunda intentio eſt tantũ

V præ-

prædicabilis vt sub quo, est enim ratio formalis, quare natura sit prædicabilis; & aduerte quod non assero secundam intentionem esse rationem formalem, quæ prædicetur, vel prædicabilis sit, vt quo, & vt ratio formalis ex vi cuius prædicatum conueniat subiecto; sed vt sub quo: quia ait Aegidius, natura vt stat sub secunda intentione est, quæ prædicatur: ergo secunda intentio non prædicatur, vt ratio quæ; sed tantum est ratio sub qua. Addo quod secunda intentio non dicitur prædicari, vt quo, tamquam ratio exercita; sed tantum tamquam ratio significans: exercitium enim prædicationis tantum conuenit primis intentionibus: ratio verò formalis significans conuenit secundis intentionibus; vt suo loco dicam.

Dubitatur 3. *Quodnam sit genus in hac definitione?*

Resp. cum Aegid. cap. de differentia pag. 10. quod est ly prædicabile; hoc enim in his definitionibus est genus ad omnia prædicabilia; & quia in definitione passionis, subiectum ponitur loco generis, cum sit definitio per additamenta; ideo ly prædicabile, quod ponitur loco generis, appellat naturam prędicabilem.

Dubitatur 4. *An hæc definitio sit essentialis, vel accidentalis?*

Resp. cum Aegid. loc. cit. hanc, (& idem dico de alijs) non esse descriptionem, aut circumlocutionem per extrinseca: sed esse veram definitionem, non tamen essentialem, & quæ detur per partes essentiales, sed accidentalem propriam; hoc insinuit Aegid. dum asserit, quod non habet proprium genus, propriamque differentiam: sed aliquid loco generis, & aliquid loco differentiæ. Ratio autem est, quia datur per prędicari de multis, sed prædicari non dicit essentiam generis, sed propriam passionem: ergo definitio generis non erit essentialis, sed accidentalis.

Reclamat Bonherba pag. 269. asserens esse definitionem quidditatiuam, & essentialem, eo quia secundæ intentioni nihil sit magis intrinsecum, & essentiale, quam prædicari. Sed nec rectè, nec ex Aegidio clamat: primum probo, tum quia intentioni genereitatis magis est intrinseca essentia vniuersalis formalis, quam eius passio: essentia autem est esse in multis, à qua exindè oritur prædicari de multis; quod enim in aliquo non est, verè de eo prædicari non potest: tùm etiam, quia intentioni vt prædicabili, nihil est magis extrinsecum, quam prædicari; quia dum prædicabile transit in prædicatum amittit vnitatem, & vniuersalitatem, sicut diuisibile dum diuiditur amittit diuisibilitatem. Secundum ostendo, quia ex Aegidio secunda intentio non prædicatur; neque enim Sortes est genus, vel vniuersale ex quodl. 2. q. 6. ergo nec secunda intentio est prædicabilis, nec ei est intrinsecum prædicari. Sed dum ei denuò parco, vos sinite ipsum clamore cœlum contundere.

Rogas quænam erit essentialis definitio generis?

Respondeo, quod erit hæc. Genus est vnum in multis per modum totius indeterminati.

Dubitatur 5. *An genus sit idem quod materia?*

Resp. cum Aegid. 7. met. q. 9. &

p. s.

p.s. d.8. p.2. q.3. & 2. s. dist.3. p. p. q. 1. a. 3. genus non esse materiam propriè, sed tantum per similitudinem. Ratio est, quia genus propriè loquendo à materia tripliciter differt: primò, quia materia dicit puram potentiam, genus verò dicit formam mediam inter potentiam, et actum; secundò, quia materia dicit partem naturæ, & ideo non prædicatur: genus verò dicit totam naturam; & ideo prædicatur de his, quorum est genus: tertiò, quia materia est eadem per essētiam in omnibus, quorum est materia: genus autem, cùm non dicat formam vnam, nisi solum secundum conceptionem intellectus, non est vnum per essentiam in omnibus his, quorum est genus: habet tamen aliquam similitudinem cum materia, vt infra ostendam. Ex hoc fit, vt genus propriè non sumatur à materia, sed tantum secundum similitudinem.

Dubitatur 6. *An genus dicat totam essentiam speciei?*

Resp. cum Aegid. cap. de gen. pag. 6. & locis supra citatis, affirmatiuè. Ratio autem est, quia genus prædicatur de specie in quid, & essentialiter: ergo dicit totam essentiam speciei, pars enim non potest de toto essentialiter, & quidditatiuè prædicari ex 4. top.

Addit genus dicere totam essentiam speciei indeterminatè tantum, in quo differt à specie, quæ dicit totam essentiam per modum totius determinati. Nec facit quod species componatur ex genere, & differentia, & per consequens genus non dicat totam essentiam speciei: nam benè ibi Aegid. docet, quod species non componitur ex eis compositione naturali, in qua componentia sunt vera materia, & vera forma; & habent veram rationem partium; sed compositione rationali, in qua genus non est vera materia dicens tātum partem, sed est materia per similitudinem, quatenus sicut materia de se nullam formam sibi determinat: ita similiter genus non determinat sibi aliquam differentiam: in hac autem compositione id, quod sub vna ratione dicit partem, potest sub alia dicere totam essentiam, & sic genus dicit totam essentiam modo indeterminato, & confuso, quatenus continet in potentia omnes species, & differentias, vel ad omnes se extendit: est tamen pars speciei in compositione methaphysica.

Dubitatur 7. *An genus possit conseruari in vnica specie?*

Resp. cum Aegidio cap. de genere pag. 7. col. 2. affirmatiuè. Ratio autem est, quia de ratione intrinseca, & essentiali generis est habere aptitudinem prędicandi de pluribus; actu verò de pluribus prædicari, sibi accidit: ergo etiam si actu daretur vna tantùm species in rerum natura, adhuc tamen in ea saluaretur ratio generis; quia hæc non requirit actu plures, sed tantum aptitudinaliter.

Confirmatur quia ex Arist. in post. pręd. destructis omnibus ęgris, sanitas quidem erit, ægritudo autem non; ergo in rerum natura potest esse vna species absquè eo, quod sit altera: ergo etiam potest esse vna species animalis absquè eo, quod sit opposita: ergo tunc saluatum esset genus in vna specie, cùm non sit dare speciem sine genere.

Dices de ratione generis est quod di-

diuidatur per differentias formales, & oppositas: ergo essentialiter requirit plures species.

Resp. Aegidius neg. ant. quia licet ad hoc, vt genus actu diuidatur requirantur saltim duæ differentiæ oppositæ; non est tamen de essentia generis, quod actu diuidatur; tunc autem prædicaretur de altera, non actualiter, sed aptitudinaliter.

Dices ex Aegid. p. f. d. 25. p. p. q. 2. si natura hominis esset alia à natura leonis absque eo, quod esset aliud esse, ita animal plurificaretur in homine, & leone, quod non esset genus: ergo ad rationem generis requiruntur plures species existẽtes.

Resp. quod pluralitas naturarum cum vnitate esse, & de facto, & de possibili, tollit genus; vt ait hic Aegid. vnitas tamen naturæ, & esse de facto, cùm possibilitate pluralitatis naturarum, & etiam ipsorum esse, non tollit genus, & ita loquitur in conclusione.

Dubitatur 8. *An gradus genericus, & specificus distinguantur à parte rei?*

Resp. cum Aegidio huiusmodi gradus distingui à parte rei distinctione formali secundum quid; ita docet Aegid. p. f. dist. 6. p. p. q. 1. & dist. 33. p. p. q. 2. vbi docet, quod licet per eamdem formam .s. per animam rationalem, homo sit substantia, corpus, animal, & homo; tamen vt per eam homo est substantia, ipsa est principium essendi; vt est animal, est principium vitæ, & sensus; vt per eam est homo; est principium eius, quod est intelligere, et per consequens aliam habitudinem, & modum essendi importat sub gradu generico, ac sub specifico: ergo vnus gradus distinguitur formaliter secundum quid, seù modaliter ab altero.

Cõfirmatur, & explicatur, viuum v. g. superaddit corpori modum essendi, ab eadem forma, per quam est corpus, in ipsa corporis substantia derelictum, penes modum illum priorem ipsius formæ sibi intrinsecè congenitum, per quem talis forma dat esse viuum; quod esse derelictum est modus quidam realis, .i. participatio talis formæ secundum talem modum ei intrinsecum. Animal superaddit viuo modum realem ab eadem forma derelictum, secundum ipsius formæ intrinsecum modum specialiorem, penes quem talis forma dat esse sensibile: est enim modus realis, .i. participatio eiusdem formæ secũdum modum magis specialem. Homo superaddit animali modum specialiorem participandi eamdem formam, quæ est anima rationalis, secundum modum illum realem sibi intrinsecè congenitum, secundum quem ita dat esse rationale, vt non det aliud esse. Sortes verò addit supra hominem esse actuale, & conditiones materiæ per modum inclusionis; sed ex Aegidio modus distinguitur modaliter à gradu cuius est modus, vt suo loco ostẽdam: ergo gradus genericus distinguitur modaliter à gradu specifico.

Dubitatur 9. *An gradus genericus differat à gradu differentiali formaliter?*

Resp. ex Aegidio 2. s. d. 3. p. p. q. 3. & tract. de composit. Angelorum distingui formaliter secũdum quid: nam in materialibus genus dicit totam essentiam, differentia verò dicit partem, licet implicet totũ, eo quod de-

denominatiuè, & in quale prædicetur; ergo distinguitur formaliter secundum quid: nam totum, & pars distinguuntur formaliter secundum quid, tanquam includens, & non includens, essentia enim, quæ intransitiuè ab Aegidio forma totius nuncupatur, includit materiam, & formam; materia autem, & forma non se includunt, dum seorsim sumuntur: ergo gradus genericus erit modaliter distinctus à differentiali. In Angelis etiam distinguitur formaliter, & secundum quid: nam licet in eis tam genus, quam differentia dicat totum; hoc tamen est alio, & alio modo reali: genus enim dicit totam essentiam consideratam sub ratione magis vniuersali, & potentiali, quo pacto perficitur per perfectionem magis potentialem: differentia verò dicit totam essentiam sub esse magis speciali, & actuali, qui sibi vltimo competit, sic enim intelligitur perfecta per vltimã suam actualitatem, hoc autem est distingui modaliter ex Aegidio. Ex his autem sequitur compositionem generis, & differentiæ esse independentem ab intellectu; eadem enim essentia vt participat gradum imperfectiorem, & perfectiorem, importat diuersos modos essendi independentes ab intellectu, ex quibus resultat etiam compositio independens. Plura de hac re nunc scriberem; nisi Bonherba pag. 281. à tergo, clamaret hanc compositionem ex Aegidio esse rationalem, & proinde tantum dependentem formaliter ab intellectu. Verum apertè fallitur; nam in doctrina Aegidij non valet hæc consequentia; est cōpositio rationalis: ergo est tantum ab intellectu: quia ratio apud Doctorem æquiuocè dicitur de intellectu, & de ratione formali, & quidditatiua, ac de formalitate. Dò instantiam. Relationes ab essentia diuina distinguuntur ratione, & tamen ratio ibi dicit quidditatem, cum trãseant tantum secundum esse, non verò secundum quidditatem: ergo compositio, & distinctio per rationem non dicit semper depēdentiam ab intellectu.

CAPVT NONVM.
De Specie.

§. 1.
Explicatio Textus.

TExtus. *Species autem dicitur quidem, & de vniuscuiusque forma, &c.*

Intentum Porphyrij in hoc capite est agere de specie, quę est secundum vniuersale, vel Prædicabile.

Diuiditur hoc caput in tres partes, in prima ponit varias acceptiones speciei, & eligit intentam: in secunda tradit tres definitiones speciei, easque explicat per comparationem ad superiora, & inferiora, vnde etiam ponit ordinationem prędicamentorum: in tertia declarat tertiam definitionem, & agit de indiuiduo.

Quantum ad primam partem, species sumitur duobus modis: primò pro pulchritudine, & elegantia membrorum, quo pacto dicitur, species Priami digna est imperio: secundò pro ea, quæ ponitur sub assignato genere, .i. sub genere definito in præcedenti capite, vbi dicebatur quod genus erat illud, quod prædicabatur de pluribus differentibus spe-

specie; ideo cum genus prædicetur de specie, vt superius de inferiori, & inferius ponatur sub superiori, benè dicitur, quod species est illa; quæ ponitur sub assignato genere. Nec est inconueniens quod species ponatur in definitione generis, quia cùm sint correlatiua, debent ita se habere, vt in definitione vnius, ponatur & alterum.

Quantum ad secundam partem definit tribus definitionibus speciem Logicam; & prima est. Species est quæ ponitur sub assignato genere. Secunda est. Species est illa de qua genus prædicatur in quid. Tertia est. Species est illa, quæ prædicatur de pluribus differentibus numero in eo, quod quid. Ex his autem prima, & secunda definitio conueniunt tàm speciei subalternæ, quàm specialissimæ: tertia verò conuenit tantum speciei specialissimæ. Vt autem innotescat quomodo species ponatur sub assignato genere, dicit quod in omni prædicamento sunt tria: primum est genus generalissimum; & est illud, quod ita est genus, vt non possit esse species, vt est substantia in prædicamento substantiæ: secundum est species specialissima, & est illa, quæ ita est species, vt non possit esse genus; cum non habeat sub se species inferiores; vt est homo in prædicamento substantiæ: tertium est genus subalternum; & est illud, quod ita est genus, vt possit esse species: nam est genus respectu inferiorum, & est species respectu superiorum: vt corpus est species respectu substantiæ, & est genus respectu corporis animati: vnde fit, quod intermedia habeant duplicem habitudinem; vnam ad superiora, respectu quorum sunt species: alteram ad inferiora, respectu quorum sunt genera; genus verò generalissimum, & species specialissima vnam tantum habeant habitudinem: nam generalissimum habet tantum habitudinem ad inferiora, respectu quorum est genus: species autem specialissima tantum habet habitudinem ad superiora, respectu quorum est species: non tamen habet habitudinem ad indiuidua, quia hæc, cum non cadant per se in prędicamento; nec per se à specie respiciuntur.

De his omnibus exemplificat in familijs, & ait quod Agamennon ita erat filius, quod non erat Pater: Iupiter ita pater, quod non filius; Atrides, & Pelopides erant Patres, & Filij; & ideo sicut Agamennon erat filius, quod non erat pater: ita species specialissima est ita species, quod non sit genus: & sicut Iupiter erat pater, & non filius; ita genus generalissimum est genus, et non species: & sicut Atrides, & Pelopides erant patres, & filij: ita intermedia sunt genera, & species. Notat tamen hanc similitudinem nõ esse totalem; nam omnes familiæ reducuntur ad Iouem: ista tamen prædicabilia non reducuntur ad vnum principiũ commune vniuocum. Hoc autem probat tali ratione. Si illud, quod magis videtur inesse non inest: neque illud, quod minus; sed magis videtur si aliquod esset genus commune omnibus prædicabilibus, quod hoc esset ens, & tamen ens non est genus ad illa; ergo nullum est commune vniuocum: pr. mi. quia omne genus prædicatur vniuocè de suis inferioribus: sed ens non prædicatur vniuocè de decem prædicamentis,

sed

sed æquiuocè, cum non prædicetur secundum nomen, & secundum definitionem: ergo non datur ad ea commune vniuocum.

Si quis quærat quot sunt genera generalissima, quot species, quot indiuidua?

Respondet quod genera generalissima sunt decem .s. substantia, quantitas &c. species autem quoad naturam sunt in numero determinato; at quoad nos sunt in numero indeterminato: nam de se species sunt ingenerabiles, & incorruptibiles, licet per accidens generentur, & corrumpantur; & non generatur de nouo aliqua species; sed omnes fuerunt à principio mundi creatæ, aliter mūdus non esset perfectus: & ideo species quoad naturam sunt determinatæ, licet non quoad nos. Indiuidua autem nullo modo, cum quotidie generentur, & corrumpātur, & non sit necesse quod tot generētur, quot corrumpuntur. Quia verò indiuidua sunt in numero indeterminato, ideo dum fit descensus à genere generalissimo, quiescendum est in specie specialissima; cum hæc non possit vlterius diuidi specificis differentijs.

Quantum ad tertiam partem, vt declaret tertiam definitionem datam de specie, præmittit differentiam inter genus, & speciem, & ait, quod genus semper prædicatur de specie, & omnia superiora de inferioribus, species tamen non prædicatur de genere proximo sibi, nec de alijs superioribus; & ratio est, quia quod prædicatur de aliquo, aut est maius eo, aut est æquale sibi; sed species non est maior genere, nec est ei æqualis: ergo species non prædicatur de genere. Ex hoc autem declaratur definitio data: nam cum species specialissima solum prædicetur de indiuiduis, benè sequitur, quod species sit quæ prædicatur de pluribus differentibus numero in eo quod quid.

Quia mentionem fecerat de indiuiduo, ideo ipsum definit dicens, quod indiuiduum est, quod de vno solo prædicatur, vt Sortes, & Plato. Insuper ipsum declarat quantum ad proprietates dicendo, quod indiuiduum constat ex septem proprietatibus, quarum collectio numquam erit in duobus. Et illæ septem proprietates sunt.

Forma, figura, locus, sanguis cum nomine tempus.

Patria sunt septem, quæ non habet vnus, & alter.

Licet enim in alijs proprietatibus possint conuenire, numquam tamen est possibile, quod duo habeāt eamdem formam in numero, vel eamdem figuram, aut quod sint in eodem loco.

Notat autem Aegid. quod quādo dicit genus prædicari de specie, non tamen è contra; loquitur per se; species enim per se non prædicatur de genere, benè tamen per accidens, vt dicendo animal est homo.

§. 2.

Dubia quædam excurro.

IN hoc capite Dubitatur primo: *An rectè definiatur species tribus definitionibus?*

Resp. cum Aegid. cap. de specie pag. 8. speciem vnica tantum definitione esse definitam .s. tertia: alias vero duas priores nō esse definitiones, sed descriptiones; vnius enim

rei

rei in vno genere, non poteſt eſſe, niſi vnica definitio; licet poſſint eſſe plures deſcriptiones.

Dubitatur ſecundo: *An genus prædicetur de indiuiduis, ſicut prædicatur ſpecies?*

Reſp. cum Aegid. loc. cit. neg. quia ſpecies prædicatur de indiuiduis immediatè, genus vero tantum mediatè; ſpecies enim immediatè ponitur ſub genere; indiuiduum verò mediatè, & ideo genus prædicatur de indiuiduo tantum mediatè, hoc eſt, mediante ſpecie intermedia.

Dubitatur 3. *An Sol, & Luna ſint ſpecies.*

Reſp. ex Aegid. loc. cit. affirmatiuè, quia de ratione ſpeciei non eſt quod actu de pluribus prædicetur, ſed quod aptitudine poſſit de eis prædicari: ſed Sol, & Luna licet actu non dicantur de pluribus, habent tamen aptitudinem ad hoc, vt de pluribus prædicentur: ergo erunt ſpecies. Quod autem actu non prædicentur, impedimentum eſt ex hoc, quia illa forma occupat totam materiam.

Dubitatur 4. *An in Angelis reperiatur ſpecies Logica?*

Reſp. affirmatiue, & ratio eſt, quia de ratione ſpeciei Logicæ non eſt actu reſpicere multa, aut prædicari de multis actu exiſtentibus, ſed tantum eſt multa reſpicere aptitudinaliter, ſed quælibet ſpecies Angelica, licet actu tantum vnum indiuiduum habeat; eſt tamen apta nata habere plura per potentiam Dei: nàm, vt docet Aegid. quodl. 2. q. 7. poſſunt Angeli per potentiam Dei multiplicari numero ſub eadem ſpecie: ergo quælibet ſpecies Angelica habere poterit rationem ſpeciei Logicæ.

Dubitatur 5. *An ſpecies ſub alterna, & infima diſtinguantur aliquo modo?*

Reſp. cum Aegid. ex dictis cap. de genere diſtingui formaliter ſecundum quid, ſeu modaliter. Ratio eſt, quia natura vt habet vnum modum eſſendi, diſtinguitur modaliter à ſe, vt habet alium modum eſſendi: ſed ſpecies ſubalterna dicit naturam, quatenus natura habet modum eſſendi ſuperiorem, & quatenus eſt principium operationis magis vniuerſalis: ſpecies autem infima dicit eamdem naturam, quatenus habet modũ eſſendi ſpecialiorẽ, & quatenus eſt principiũ operationis magis determinatę: ergo vt habet primum modum eſt modaliter diſtincta à ſe ipſa, quatenus habet ſecundum modum.

Bonherba pag. 307. aſserit huiuſmodi ſpecies diſtingui tantum per intellectum. Sed contra, quia natura vt habet modum eſſendi vniuerſaliorem, ratione cuius eſt principium operationis magis vniuerſalis, & vt habet modum eſſendi ſpecialiorem, ratione cuius eſt principium operationis in linea magis ſpeciali, eſt independens ab intellectu: ergo diſtinctio, quę intercedit inter naturam, vt habentem modum in prima linea, & vt habentem modum in ſecunda, erit omnino independens ab intellectu: nam & natura, & modi incluſi in ea ſecundum rationes ſuperiores, & inferiores, ſunt à parte rei, & ab intellectu independentes.

Reſpondet fortè Bonherba huiuſmodi modos diſtingui tantum virtualiter, & per rationem cum fundamento in re.

Ve-

Verum si hoc afferat, illicò demutescat, nec amplius hac in re ex sententia Aegidij loquatur. En argumentum Aegidianum. Natura, seu potentia generandi vt est in patre; & potentia spirandi, vt est in patre, & filio, important aliquos modos, secundum quos ita sunt in producentibus, vt non sint in productis; imo in his sint cum modis oppositis: ergo modi isti sunt independentes ab intellectu, nam patrem habere naturam cùm modo proposito, filium habere eam cum modo opposito, non est habere per intellectum, sed est habere à parte rei; ergo à fortiori idem dicendum est de modis essendi conuenientibus naturis creatis penes esse principium operationis in superiori, vel in inferiori linea: ant. scis esse Aegidij p. sent. passim. Sed dum hęc asserit, parcatur illi, & oretur pro eo.

Dubitatur 6. *An species subijcibilis, vt subijcibilis sit vniuersalis formaliter?*

Resp. ex Aegid. cap. de specie pag. 8. in fine explicationis textus, negatiuè, & probatur ex eo, quia de ratione vniuersalis formaliter est habere rationem totius, vt possit prædicari; sed species vt subijcibilis non habet rationem totius, sed partis; respicit enim genus respectu cuius à Porph. dicitur pars; & tantum habet rationem totius, vt respicit indiuidua: ergo vt subijcibilis non est formaliter vniuersalis.

Confirmatur, quia species constituitur in esse subijcibilis per habitudinem ad genus, cui vt subiectum supponitur; vniuersale autem constituitur in esse vniuersalis per habitudinem ad inferiora respectu quorum est totum, & prædicabile: ergo species in quantum subijcibilis non est vniuersalis. Ex hoc autem colligendum est habitudines istas, nempe subijcibilitatis, & vniuersalitatis esse omninò diuersas, & disparatas, vt suo loco.

Dubitatur 7. *Cur indiuiduum definiatur duplici definitione?*

Resp. cum Aegidio p. sent. dist. 25. p. p. quæst. p. quod indiuiduum duobus modis considerari potest, .s. vel vt dicit rem naturæ v. g. hypostasim, hunc hominem, Petrum, aut primam substantiam: vel formaliter vt dicit indiuiduum, singulare, aut suppositum; si primo modo consideretur, sic significat id cui conueniunt intentiones; si secundo modo, sic dicit secundam intentionem: quia ergo indiuiduum duobus modis potest considerari ideo duobus modis potest definiri; nam si consideretur, vt dicit rem naturæ sic definitur per secundam definitionem, qua dicitur: Indiuiduum est illud, cuius collectio proprietatum, quæ in vno est &c. Si vero consideretur, vt dicit secundam intentionem, sic definitur per primam definitionem, qua dicitur: Indiuiduum est, quod de vno tantum prædicatur.

Dubitatur 8. *An omnia indiuidua v. g. humana sint eiusdem perfectionis?*

Resp. cum Aegidio quodl. 2. q. 18. & 2. 5. dist. 33. q. 2. a. 3. Indiuidua humana esse æqualis perfectionis quantum ad ea, quæ sunt speciei: non tamen quantum ad ea, quæ sunt indiuiduorum. Ratio primæ partis est, quia natura humana principaliter dicitur de forma .s. de anima rationali, sed anima rationa-

lis consistit in puncto quantum ad speciem: ergo indiuidua humana quantum ad animam, & sic quantum ad speciem, erunt æqualis perfectionis; pr. mi. quia anima humana est media inter intelligibilia, & sensibilia: est enim pura potentia in genere intelligibilium, ita vt si plus ascéderet, esset in genere intelligibilium, vt aliquid in actu: & si aliquo modo descenderet, desineret esse in genere intelligibilium, & inciperet esse in genere sensibilium; ergo consistit in puncto quantum ad speciem.

Ratio secundæ partis est, quia recipiuntur in corporibus aliter, & aliter complexionatis, & per aliam, & aliam indiuiduationem diuersificatis: ergo quantum ad proprietates naturales indiuiduales erunt inæquales, & aliquæ erunt meliores alijs, non solum quantum ad partem sensitiuam; sed etiam quantum ad mentem, & partem intellectiuam, qua de causa Arist. 2. de anima t. 94. dicebat. Molles carne, apti mente.

CAPVT DECIMVM.
De Differentia.

§. I.
Explicatio textus.

TExtus. *Differentia vero communiter, & propriè, & magis propriè &c.*

Intentum Porphirij in hoc capite est agere de prædicabili, quod prædicatur in quale essentiale, vt est differentia.

Diuiditur hoc caput in duas partes principales; in prima assignat quinque diuisiones differentiæ: in secunda ponit quinquè definitiones eiusdem.

Quantum ad primam partem, prima diuisio est ista. Differentia triplex est, alia communis, alia propria, alia magis propria. Differentia communis est illa, qua vnum differt ab altero accidente separabili, vt Sortes albus differt à Platone non albo hoc accidente separabili, .s. albedine; & sic etiam Sortes sedens differt à se ipso non sedente, hoc accidente separabili, quod est sedere. Differentia propria est illa, qua vnum differt ab altero accidente inseparabili, vt Sortes simus differt à Platone non simo. Differentia magis propria est, qua vnum differt ab altero differentia specifica; .i. differentia faciente speciem; vt homo differt ab equo rationali qualitate: duplex enim est qualitas, alia substantialis, vt rationale, alia accidentalis, vt albedo.

Secunda diuisio; differentiarum aliæ faciunt alteratū solum, vt communis, & propria: aliæ faciunt aliud, vt magis propria. Illæ differentiæ faciunt aliud, quæ sunt differentiæ specificæ, quia faciunt aliam speciem, sic rationale facit speciem hominis: illæ vero faciunt alteratum solum, quæ non sunt differentiæ specificæ, differentiæ primi generis sunt diuisiuæ generis, & ponuntur in definitionibus specierum; non tamen differentiæ secundi generis, nempe illæ, quæ faciunt alteratum.

Tertia diuisio. Differentiarū aliæ sunt separabiles, vt dormire, & sedere: alię sunt inseparabiles, vt simitas, & irrationale.

Qnar-

Quarta diuiſio. Differentiarum inſeparabilium, aliæ ſunt inſeparabiles per ſe, vt rationale: aliæ ſunt inſeparabiles per accidens, vt ſimitas. Inter has differentias hoc eſt diſcrimen; quod differentiæ primi generis ponuntur in definitione ſubſtantiæ, & non ſuſcipiunt magis, & minus, quia dicunt quod quid eſt rei, quod non ſuſcipit intentionem, & remiſſionem, differentiæ autem ſecundi generis non ponuntur in definitione ſubſtantiæ, & ſuſcipiunt magis, & minus.

Quinta diuiſio. Differentiarum per ſe inſeparabiliũ, aliæ ſunt diuiſiuæ generis in ſpecies, vt animatum, & inanimatum diuidunt corpus: aliæ ſunt conſtitutiuæ ſpeciei, vt rationale, quod eſt cõſtitutiuum hominis. Eędem tamen differentiæ ſunt diuiſiuæ, & conſtitutiuæ, ſed ſecundum diuerſam rationem: ſunt enim diuiſiuæ reſpectu generis, & ſunt conſtitutiuæ reſpectu ſpecierũ.

Quantum ad ſecundam partem, ponit in ea quinque definitiones, & prima eſt.

Differentia eſt, qua ſpecies abundat à genere; .ſ. per quam plus ponitur in definitione ſpeciei, quam generis: nam in definitione animalis non ponitur rationale, quod tamen ponitur in definitione ſpeciei .i. hominis. Docet autem in genere eſse differentias oppoſitas non in actu, ſed in potentia, vnde ſpecies habet differentias à genere, in quo genere differentiæ, quas habet actu ſpecies, continentur in potentia.

Secunda definitio eſt. Differentia eſt quæ prædicatur de pluribus differentibus ſpecie in quale quid; ſeu in quale eſſentiale; vt rationale prædicatur de homine in quale quid; quia ſi quæratur, qualis eſt homo? benè reſpondetur, rationalis; & ſi quæratur quid eſt homo? benè reſpondetur, eſt animal; ergo differentia prædicatur in quale quid.

Tertia definitio, quæ eſt definitio differentiæ diuiſiuæ, eſt hæc. Differentia eſt illa, quæ eſt apta nata diuidere ea, quæ ſunt ſub eodem genere; vt rationale, et irrationale diuidunt hominem, et equum, qui ſunt ſub eodem genere ſubſtantiali.

Quarta definitio eſt. Differentia eſt, qua differunt à ſe ſingula; nam per rationale differt homo à brutis, licet vtriſque ſit commune genus .ſ. animal.

Quinta definitio eſt. Differentia eſt, quæ confert ad ſubſtantiam rei, & eſt pars eſſentiæ, & definitionis eius; vt rationale non tantum diuidit animal; ſed etiam eſt pars eſſentiæ, ac definitionis hominis.

§. 2.

Quædam noto.

Circa literam noto primò, quod differentia communis non dicitur talis, quia à parte rei pluribus conueniat, .ſ. & rei quam diſtinguit, & rei à qua diſtinguit; hoc enim repugnaret, nam ſedere non diſtinguit Sortem ſedentem à Platone ſedente, ſed à Platone non ſedente: dicitur ergo differentia communis, quia eſt accidens ab vtroque extremo ſeparabile, vt dicebat Aegidius: ſicut è contra differentia propria, & proprijſſima reſpectu extremi à quo diſtinguit: ſed quia cum vna ſit propria paſſio, altera verò conſtitutiuum eſſentiale, ſic reperiuntur in eo

cuius sunt differentiæ, vt non possint esse in altero, à quo distinguunt.

Noto 2. quod differentia diuisiua, & constitutiua non dicunt diuersas differentias, ita vt constitutiua respectu animalis sit sensibile, & diuisiua eiusdem sit rationale; sed dicũt diuersas formalitates eiusdem differentiæ, vt dictum est §. 1. nam rationale secundum vnam rationem formalem est constitutiuum hominis, et secundum aliam est diuisiuum animalis.

Noto 3. quod genus vno modo acceptum reperitur secundum se totum in vtraque differentia diuidente: & alio modo acceptum reperitur in qualibet secundum aliquid eius, & in nulla secundum se totum; si enim sumatur secũdum essentiam, sic est in qualibet differentia diuidente integrum, & indiuisum: si verò sumatur secundum potestatem, sic est in qualibet secundum aliquid, & in nulla secundum se totum.

Noto 4. quod differentiæ accidentales dicuntur suscipere magis, & minus; hoc autem non est per admixtionẽ, vel depurationem à contrario; sed quia subiectum magis, vel minus participat eas secundum gradus in esse, & ipsæ secundum eosdem gradus magis, vel minus participantur à subiecto: differentiæ autem propriè non habent huiusmodi gradus, vt accidentales, sed inæqualitas, quæ in eis reperitur non oritur ex ratione earum specificæ; hæc enim consistit in puncto; sed ex eo quod recipiuntur in corporibus aliter, & aliter complexionatis, vt dictum est antè.

Noto vltimò cum Aegidio c. de differentia, rectè Porphyrium prius pertractasse de specie, quam de differentia: tùm quia genus, & species sunt correlatiua, et ideo in cognitione non debent seiungi: tùm quia genus prædicatur in quid, sicut species, & ob istam conuenientiam, prius de specie, quam de differentia agendum erat. Licet autem differentia sit principium speciei, et principium sit prius principiato; non tamen ob id, prius de differentia erat agendum: quia licet differentia sit prior specie quantum ad istam differentiam: non tamen est prior quantum ad ordinem nostræ cognitionis, qui est attendendus in prioritate rei pertractandæ, ita vt prius agendum sit, non de eo, quod tantum est prius secundum naturam; sed de eo, quod est prius secundum nostram cognitionem; vt est species respectu differentiæ.

§. 3.

Dubia resoluo.

In hoc capite: Dubitatur primo. *An differentia faciat distinctum prædicabile?*

Resp. cum Aegidio cap. de differ. affirmatiuè; & ratio est, quia differentia habet distinctum modum prædicandi à reliquis prædicabilibus: nam prædicatur de pluribus in quale essentiale, seu per modum determinantis, & actuantis; ergo constituit distinctum prædicabile: modus enim prædicandi conueniens differentiæ, est à reliquis distinctus.

Dubitatur 2. *An dentur differentia vltima, quæ cum speciebus conuertantur?*

Resp. cum Aegid. in hoc cap. pag. 11. dari differentias essentiales,

cal-

easque couerti cùm speciebus, quas constituunt: hæ tamen differentiæ sunt nobis ignotæ.

Ratio autem est desumpta ex Aegid. 7. met. pag. 37. differentia in rebus materialibus sumitur à parte formali, & actuali, seu à forma: sed in qualibet re materiali datur propria forma vltimò constitutiua in tali esse: ergo in qualibet re materiali datur vltima differentia, qua res in tali esse constituitur; & quia quælibet forma substantialis est vnica, & simplex, non composita ex alijs formis, etiam differentia sumpta à tali forma simplex erit.

Dubitatur 3. *An Porphyrius definierit vltimas differentias, quando dixit, quod differentia prædicatur de pluribus differentibus specie?*

Resp. cum Aegidio in hoc cap. pag. 11. Porphyrium non definisse differentias vltimas, & essentiales; sed tantum communes, differentias essentiales circumloquentes. Ratio autem est, quia differentiæ vltimæ sunt nobis ignotæ, & tantum à nobis circumloquuntur per aliqua vocabula, sicut vltimam differentiam hominis circumloquimur per rationale, & mortale: ergo differentiæ vltimæ non potuerunt à Porphyrio definiri.

Insuper differentiæ vltimæ conuertuntur cum specie, vndè non prędicantur de pluribus differentibus specie, sed numero, sicut prædicantur species constitutæ: differentiæ verò circumlocutiuæ, & communes non conuertuntur, & ideo possunt de pluribus differentibus specie prędicari: ergo definitio data, non erit de vltimis, sed de circumlocutiuis.

Rogas quomodo definienda est vltima differentia in ratione prædicabilis?

Resp. Tollendam esse illam particulam (differentibus specie) & dicendum. Differentia est quæ prædicatur de pluribus in quale essentiale, seu per modum actuantis, & determinantis: per hanc enim differt à genere, & specie, quæ nullo modo prędicantur in quale; & à proprio, ac accidente, quæ nullo modo prædicantur in quid.

Dubitatur 4. *In ordine ad quid differentia constituatur vniuersalis?*

Resp. cum Aegidio, quod si loquamur de differentia circumlocutiua hæc constituitur vniuersalis in ordine ad species, quas sub se comprahendit: si loquamur de differentia essentiali, & quæ conuertitur cum specie constituta; hæc constituitur vniuersalis in ordine ad ea, quæ sub specie constituta continentur; vt v. g. sensibile constituitur in ratione vniuersalis in ordine ad hominem, & leonem, qui sub specie à sensibili constituta, .s. sub specie subalterna animalis, continentur; & rationale in ordine ad Sortem, & Platonem, qui sub specie constituta, .s. sub homine, continentur: & ratio est, quia de talibus inferioribus prædicantur in quale essentiale, & per modum actuantis, ac determinantis.

Dubitatur 5. *An differentia infima includat subalternas.*

Resp. ex Aegid. 7. met. q. 11. & alibi, quod differentia infima duobus modis sumi potest; primò formaliter, seu significatiuè; quo pacto sumitur à parte .s. à forma; secundò implicatiuè, seu materialiter, quo pacto dicit totum: si primo modo su-

sumatur (& sit sermo in sensibilibus) differentia infima non includit in suo conceptu subalternas: & ratio est, quia differentiæ sunt extra rationē generis, & genus ex 3. met. t.10. est extra essentiam differentiarum: ergo differentiæ infimæ sunt extra rationem differentiarum subalternarum; hæ enim sequuntur conditiones generis, quod constituunt.

Confirmatur, quia quod est essentialiter contrahibile non includitur in conceptu eius, quod est essentialiter contractiuum: sed differentiæ subalternę sunt essentialiter contrahibiles, & infimæ sunt essentialiter contractiuæ: ergo differentiæ subalternæ non includuntur essentialiter in infimis: pr. mi. quia differentiæ subalternæ constituunt genus in ratione contrahibilis: ergo etiam ipsæ differentiæ erunt contrahibiles.

Si verò sumatur secundo modo, tunc differentia infima includit subalternam, quia infima implicatiuè accepta dicit totum, quod dicit species; ergo sicut species infima includit genus, & differentiam subalternam constitutiuam generis: ita & differentia infima implicatiuè sumpta.

Dubitatur 6. *An differentia subalterna, & infima differant specie in ratione prædicabilis?*

Resp. negatiuè, & ratio est, quia vtraque habet eundem modum prędicandi, cùm vtraque prædicetur in quale essentiale, & per modum contrahentis, & determinantis: ergo vtraque conuenit in eadem ratione specifica prædicabilis. Nec facit quod vna prędicetur de pluribus differentibus specie, alia verò de differentibus numero; quia hoc materialiter se habet respectu modi prædicandi, ex quo attenditur formaliter vnitas, vel diuersitas prædicabilis.

Dubitatur 7. *An differentiæ contineantur actu in genere?*

Resp. cum Aegid. in hoc cap. differentias in genere non contineri actu, sed potentia: & ratio est, quia duo opposita actu esse non possunt in eodem: sed differentiæ essentiales, & formales sunt oppositæ: ergo non possunt actu contineri in genere; sed tantum in potentia; sic enim non est inconueniens opposita esse in eodem.

Dubitatur 8. *An species per differentiam abundet à genere?*

Resp. cum Aegid. in hoc cap. pag. 10. affirmatiuè, quia species actu includit aliquam differentiam, quam non includit genus; nam in homine actu includitur rationale, non verò in animali: hoc est autem abundare ab alio, .s. actu habere, quod non habet aliud: ergo &c.

Dices ergo iam in specie erunt plures differentiæ.

Respondet Aegid. Differentias in specie non esse plures realiter: sed tantum virtualiter: quia superius in inferiori est realiter idem quod inferius.

Dubitatur 9. *An differentia importet concretum, vel abstractum?*

Resp. cum Aegid. in hoc cap. importare concretum, & proinde rationale, & non rationalitatem esse differentiam hominis. Ratio est, quia differentia debet prædicari de illo, cuius est differentia; sed de homine non prædicatur rationalitas, benè tamen rationale, quia rationalitas cum significet formam præcisè,

sè non potest de toto, & composito prædicari, benè tamen rationale, quod implicat totam essentiam, & quidditatem hominis; ergo rationale erit differentia, & per consequens hæc importabit concretum.

Dubitatur 10. *An differentia habeat rationem actualitatis, seu dicat quid in actu?*

Resp. cum Aegidio 7. met. pag. 37. affirmatiuè; & ratio est, primò, quia quod distinguit habet rationem actus, & formæ, quia omnis distinctio est à forma: sed differentia distinguit: ergo habet rationem actus.

Secundò, quia complemētum definitionis habet rationem actus; sed differentia est complementum definitionis: ergo habet rationem actus.

Tertiò, quia differentia sumitur non à toto, sed à parte, alias si sumeretur à toto, de ea posset prædicari genus, cum totum de toto prædicari possit, qua ratione genus prędicatur de specie: sed non sumitur à parte materiali: ergo à formali: ergo differentia habet rationem actus & formæ.

Dubitatur 11. *An differentia cadat in recta linea prædicamentali?*

Resp. cum Aegidio 7. met. loc. cit. negatiuè, & ratio est, quia quę cadunt in recta linea sumuntur vniformiter à tota natura: sed differentia non sumitur à tota natura: sicut sumitur genus, & species: ergo non cadit in recta linea.

Secundò, quia in recta linea non possunt poni nisi ea, quæ prædicantur essentialiter, non verò quæ prædicantur denominatiuè: sed differentia prædicatur denominatiuè: ergo non potest poni in recta linea: primò quia differentia sumitur à forma, quæ est pars, ideo sumpta significatiuè non potest de toto prædicari, nisi denominatiuè; sumpta autem concretiuè, sic cum implicet totum potest de eo prædicari: ergo differentia sumpta formaliter tantum denominatiuè prædicatur.

Dubitatur 12. *An differentia det definitioni vnitatem?*

Resp. cum Aegidio 7. met. loc. cit. affirmatiuè, & ratio est, quia vnitas definitionis est ab vnitate naturæ; sed differentia dicit vnitatem naturæ; sumitur enim à forma, quæ dicit vnitatem naturæ: ergo differentia dat vnitatem definitioni.

Dubitatur 13. *An differentia in omnibus sumatur à tota natura, vel à parte?*

Resp. cum Aegid. 2. sent. dist. 3. p.p. q.p. a. 3. quod in Angelis differentia sumitur à tota natura, sicut sumitur genus, & species, non tamen eodem modo nam essentia Angeli concepta, vt dicit rationem vniuersaliorem, & modum essendi magis potentialem, est id, ex quo sumitur ratio generis, cum genus essentialiter dicat quid in potentia: concepta vt dicit esse speciale per modum actus, est id, ex quo sumitur ratio differentiæ: & tandem concepta vt dicit esse speciale per modum compositi ex potentia, & actu, est id, vnde sumitur ratio differentiæ; ergo in Angelis differentia sumitur à tota natura quatenus dicit esse speciale per modum actus: vnde & dicit totum per modum partis actualis.

In rebus autem compositis differentia sumitur à forma; & ratio est quia composita ex materia, & for-

ma

ma differunt inter se, & non differunt ratione materiæ, vel ratione totius compositi, sed tantum ratione formæ: differentia enim est quę distinguit, & qua differunt à se singula, & ista differunt per formam: ergo in rebus compositis ex materia & forma, differentia non sumitur à tota natura, sed à forma.

Ex hoc colligit Aegid. quod differentia in Angelis in quinque differt à differentia in compositis ex materia, & forma. Primò differt quod in Angelis differentia dicit totum sicut genus, non tamen sub eadem ratione; at in compositis genus dicit totum, differentia vero dicit partem. Secundò differt, quia differentia in Angelis caderet in recta linea, cum dicat totum, & de ea essentialiter prædicetur genus: in compositis vero cadit à latere, cum de ea non prædicetur genus essentialiter; totum enim non prædicatur essentialiter de parte. Tertiò differt quia in eis de differentia prædicatur genus essentialiter, non tamen in istis. Quartò differt, quia in eis differentia prædicatur de specie essentialiter, cum dicat totum quod dicit species; in istis vero differentia prædicatur denominatiuè; nam cum in istis dicat partem, essentialiter de specie, quæ est totum prædicari non potest; homo enim non est anima, sed est animatus. Quintò differt, quia in eis coniungendo differentiam generi esset nugatio, & idem bis repeteretur, non tamen in istis; & ratio Aegidij est, quia tunc committitur nugatio quando vnum quod est idem essentialiter cum altero, aut est de intellectu primario alterius, alteri immediatè coniungitur; tunc enim, id quod apponitur, bis intelligitur, semel quidem in eo, cui apponitur, cum sit de intellectu eius primario; iterum vero in se ipso; vnde si dicamus homo animal, est nugatio; quia cum in homine intelligatur animal, bis dicitur animal; sed in Angelis differentia est idem essentialiter ac genus, atque adeò in eorum differentia semper intelligitur genus, siuè apponatur, siuè non apponatur; ergo in Angelis coniungendo differentiam generi committitur nugatio; cæterum in istis corporalibus cum differentia non dicat idem essentialiter quod genus, ideo in istis addendo differentiam generi, nulla committitur nugatio.

Dices ex Aegid. p. 5. d. 25. q. 3. differentia dicit totum quod dicit species; ergo semper dicit totum.

Resp. Quod Aegid. ibi se explicat, dum ait quod dicit totum, non significatiuè, sed implicatiuè, & concretiuè; hic autem loquitur significatiuè.

Dubitatur 14. *An differentia sit perfectior genere?*

Resp. ex dictis cum Aegidio genus secundum modum prædicandi esse perfectius differentia; tùm quia genus prædicatur in quid, & differentia in quale: tùm quia genus dicit totum, & differentia dicit partem: at secundum modum essendi, differentia est perfectior genere: tùm quia differentia sumitur ab actualitate, & à forma, genus vero habet similitudinem cum materia: tùm quia differentia contrahit potentialitatem generis, & gradus vniuersaliores, ac imperfectiores per genus importatos, vt videre est

apud

apud Aegid. loc. cit. dub. 13. tùm quia à parte rei dat vnitatem, distinctionem, & complementum perfectionis: ergo ex Aegidio differentia secundum modum essendi, quem habet, & exercet à parte rei, est perfectior genere. Ità quidem colliges ex doctrina præmissa cum Aegidio in his dubitationibus, quam vbi attente contemplatus fueris, si fortè postea legeris Bonherbam pag. 339. somniantem ex Aegidio (locum tamen non citat) genus in statu physico perfectius esse differentia, in statu autem logico, imperfectius; rogo te iterum, ac tertiò, vt ei parcas. Et videas Aegid. 1. post. pag. 71. col. 3. & 4. docentem genus apud intellectum esse formalius specie; et Bonherbam à somnio euigiles.

Dubitatur 15. *An differentia sit formalior specie?*

Resp. cum Aegid. 1. post. pag. 71. col. 4. differentiam esse formaliorem specie, saltim in ordine ad generandam scientiam: nam ista tria se habent per ordinem genus, species, & definitio tota: intellectus enim intelligens aliquid in genere, vel intelligens ipsum genus, est valde imperfectus; intelligens verò speciem, est perfectior: intelligens autem definitionem, est perfectissimus: sed hæc perfectio habetur ex vi differentiæ, & per ipsam completur; & si habet esse per genus, hoc est, prout specificatur per differentiam: ergo differentia formalior erit nedum genere, sed etiam specie.

CAPVT VNDECIMVM.
De Proprio.

§. 1.
Explicatio Textus.

TExtus. *Proprium verò quadrifariam diuidunt &c.*

Intentum Porphyrij in hoc capite est agere de proprio, quod est quartum prædicabile, & prædicatur in quale conuertibiliter.

Diuiditur hoc caput in duas partes: in prima ponit quatuor acceptiones proprij, & tacitæ obiectioni respondet: in secunda comparat proprium quarto modo cum alijs.

Quantum ad primam partem, proprium sumitur quatuor modis; primò pro eo quod inest alicui soli speciei, sed non omni indiuiduo illius speciei: vt esse grammaticum, vel medicum conuenit soli speciei humanæ, non tamen omni indiuiduo talis speciei. Et bene dicit esse medicum, vel grammaticum in actu non inest omni homini: quia in potentia, & aptitudine omni homini inest: cùm omnes homines natura scire desiderent.

Secundò sumitur proprium pro eo, quod inest omni contento sub illa specie; sed non cõuenit soli speciei, sed etiam alijs: vt esse bipedem inest omni homini, sed non soli, quia etiam inest auibus. Et licet homo aliquando non habeat duos pedes, est tamen semper aptus eos habere; quod satis est ad proprium secundo modo acceptum.

Tertiò sumitur pro eo quod conuenit omni, & soli; sed non semper, vt canescere inest omni homini, &

 soli

soli homini; nõ tamen semper, quia non inest nisi in senectute.

Quartò sumitur pro eo quod inest omni, soli, & semper, vt risibile inest omni homini, soli homini, & semper: & licet homo non semper rideat, tamen semper aptus natus est ad ridendum: risibile enim quod est proprium quarto modo non dicit actum ridendi, sed aptitudinem ad ridendum.

Quantum ad secundam partem comparat proprium quarto modo cum alijs, & dicit, quod illa dicuntur propriè propria, quæ conuertuntur, vt quidquid est hinnibile est equus; & quidquid est equus est hinnibile.

Quod si dicas, si quidquid est hinnibile est equus, cum equa sit hinnibilis, equa erit equus, quod est falsum.

Respondet Aegidi quod equus vno modo est nomen determinati sexus; & sic equa non est equus: alio modo equus est nomen speciei, sicut etiam est homo: & sic equa est equus, asina est asinus, & ita de similibus.

§. 2.

Quædam notæ.

Circa literam noto primo quod isti modi possunt ad inuicem coincidere, aut secundum actum, & aptitudinem: aut secundum subiectum, v.g. & si risibile sumptum secundum aptitudinem sit proprium quarto modo: sumptum tamen secundum actum est proprium primo modo; sic etiam esse medicum sumptum secundum actum est proprium primo modo, sumptum tamen secundum aptitudinem, est proprium quarto modo. Ex parte etiam subiecti modi isti possunt coincidere: quia proprium vel est æquale subiecto, vel inæquale, sit æquale, est proprium quarto modo; si inæquale, aut excedit subiectum, aut exceditur à subiecto: si excedit subiectum est proprium secundo modo: si exceditur à subiecto, est proprium primo modo, v.g. risibile potest comparari ad hominem, vt dicendo homo est risibilis; ad Sortem vt dicendo Sortes est risibilis, & ad animal, vt animal est risibile: si comparetur ad hominem, est proprium quarto modo; quia homo, & risibile conuertuntur: si comparetur ad Sortem, quia risibile in plus se habet, quam Sortes; est proprium secundo modo: & si comparetur ad animal, quia animal in plus se habet, quam risibile, est proprium primo modo.

Noto 2. quod risibilitas oritur in homine ex eo, quod cum homo sit animal rationale, & intellectiuum per principia essentialia; est de visis, & auditis admiratiuus, ad cuius admirationem sequitur aliquando risus, & aliquando fletus: si enim ea, quæ repræsentantur sensui accipiantur cum delectatione; tunc calor, & spiritus concurrunt ad faciem, in qua sunt sensus exteriorum sensibilium percepti, & ex tali concursu dilatatur facies, & sic sequitur risus: si verò sensibilia præsentata sensui accipiantur cum tristitia; tunc calor, & spiritus retrahuntur ad cor, ad quam retractionem sequitur faciei, & cerebri constrictio, constricto autem cerebro, sequitur humidi lachrymabilis expressio per os, nasum, sed maximè per oculos, & hac de causa dicitur homo flere: & quia ad-

admiratio de appræhensis per sensum, nulli conuenit, nisi homini, ideo solus homo ridet, & plorat. Ex principijs ergo naturę humanę prouenit aptitudo ad admirandum, inde sequitur aptitudo ad ridendum, & flendum, ex admiratione verò sequitur risus, & fletus. Ita ex Auicenna.

Noto 3. Ex Veneto quod proprium fluit à principijs speciei; hoc autem contingit dupliciter, nam vel fluit secundum materiam, vel secundum formam: si secundum formam, sic est proprium quarto modo: si secundum materiam, aut fluit æqualiter, & sic est proprium tertio modo: aut inæqualiter, & tūc vel proprium est in plus, quam species; & sic est proprium secundo modo: aut est in minus; & sic est proprium primo modo.

Noto 4. cum Aegidio in hoc cap. frigiditatem esse causam albedinis, qua de causa in regionibus vbi maximè frigiditas viget, omnia sunt alba, ex hoc autem quod est causa albedinis, est etiam consequenter causa canitiei: Duplex est autem frigiditas; alia essentialis, alia accidentalis; accidentalis est quæ oritur ex capite flegmatico; quia enim flegma est humidum, & frigidum, ideo & caput flemmaticum est humidum, & frigidum accidētaliter, & ex hac frigiditate oritur canities accidentalis: Frigiditas essentialis est, quæ oritur in homine ex defectu caloris naturalis, & ex hac oritur canities essentialis, quæ non est nisi in senibus, in quibus est causa per se eius, .s. defectus caloris. Porphyrius loquitur de secunda, non de prima. Nec facit quod aliqui senes non canescant: nam licet in quibusdam citius deficiat calor naturalis, quam in alijs, & sic quidam citius canescant, quam alij: tamen omnes si diù viuerent necessariò canescerent, quia necessariò in omnibus deficeret calor.

Dices etiam lupi canescunt: ergo hoc non erit proprium hominis.

Resp. Aegidius in lupis propriè non esse canitiem, sed quamdam albationem, quia canities est accidens appropriatum capiti humano, et exigit causam insinuatam.

§. 3.

Dubia quædam resolno.

IN hoc capite. Dubitatur primò. *An proprium sit prædicabile distinctum à reliquis?*

Resp. cum Aegid. in hoc cap. affirmatiuè: & ratio est, quia propriū prædicatur de pluribus distincto modo, ac prædicentur alia prædicabilia: proprium enim prædicatur de indiuiduis illius speciei, à qua dimànat, in quale conuertibiliter; quo pacto nullum aliud prædicabile de suis inferioribus prædicatur.

Dubitatur 2. *An solum proprium quarto modo acceptum cōstituat hoc prædicabile?*

Resp. affirmatiuè, pro qua re noto cum Aegidio in hoc cap. quod duplex est accidens; quoddam enim habet causam determinatam in subiecto, & sequitur, seu dimanat à forma specifica subiecti, vt est risibile respectu naturæ humanæ; & tale accidens est propriè proprium, & cum subiecto conuertitur: aliud est accidens, quod in subiecto habet causam communem, vt album respectu

 ho-

hominis, & tale non cõuertitur cum subiecto. Quo notato dico solum proprium quarto modo sumptum constituere hoc prædicabile. Ratio est, quia illud est verè, & simpliciter proprium, quod habet causam determinatam in subiecto, seu fluit à principijs essentialibus, & cum eis conuertitur: sed tantum proprium quarto modo est huiusmodi: ergo tantum illud est verè, & simpliciter proprium.

Confirmatur, quia propriũ quod fluit à principio formali, seu ab essentia specifica, conuenit omni indiuiduo talis speciei, cum omni cõueniat essentia specifica, participatione enim speciei omnes homines sunt vnus homo; conuenit semper, quia habet causam determinatam, quæ naturaliter, & necessario est radix talis proprietatis: & conuenit soli speciei, sicut conuenit, & forma specifica constitutiua speciei, à qua proprium dimanat.

Dubitatur 3. *An sit vniuersale respectu speciei à qua dimanat, vel respectu inferiorum?*

Resp. esse vniuersale tantum respectu inferiorum .s. indiuiduorum, & ratio est, quia respectu speciei nõ est superius, nec species inferior, sed est æquale; respectu autem indiuiduorum est superius: ergo est vniuersale tantum respectu horum: vniuersale enim dicit essentialiter habitudinẽ superioris ad inferiora.

Dubitatur 4. *An proprium prædicetur vniuocè de suis inferioribus?*

Resp. cum Aegidio in hoc cap. proprium vniuocè prędicari de hoc, vel illo proprio, v. g. risibile prædicatur vniuocè de risibilitate Sortis, & de risibilitate Platonis: & ratio est, quia prædicatur secundum nomen, & secundum definitionem; omnes enim homines sunt risibiles, & omnes nati apti sunt ad ridẽdum. Aduerto tamen quod sub ista ratione non est quartum prædicabile, sed potius secundum; quartum verò est, quatenus prædicatur de subiectis, seu de ipsis naturis indiuidualibus in quale conuertibiliter.

Rogas. *Quomodo definiatur proprium, vt est prædicabile?*

Resp. quod proprium primo intentionaliter acceptum definitur sic. Est illud quod conuenit vni, soli, & semper, & fluit à principijs specificis: at proprium secundo intentionaliter definitur sic. Est vnũ aptum natum prædicari de pluribus in quale conuertibiliter.

Dubitatur 5. *Quomodo accidens differat à proprio?*

Resp. cum Aegid. 1. post. pag. 33. col. 4. quod accidens, vel habet causam necessariam in subiecto; vel nõ habet; & si habet, vel illa pertinet ad principia speciei; vel ad principia indiuidui. Si non habet causam necessariam est accidens separabile: si habet causam necessariam, & sequitur principia indiuidui, est accidens inseparabile: sed si causa est necessaria, & oritur ex principijs speciei, sic est proprium: ex quo patet quomodo differat ab accidente separabili, & ab accidente inseparabili.

Dubitatur 6. *Quomodo proprium secundum intellectum differat ab his accidentibus?*

Resp. cum Aegidio 1. post. pag. 33. col. 4. quod licet proprium conueniat cum his accidentibus in hoc, quod sicut potest intelligi subiectum non intellecto accidente siue sepa-

ra-

rabili, siue inseparabili: ita potest intelligi non intellecto proprio: differt tamen in hoc, quia accidens tam separabile, quam inseparabile potest intelligi abesse, & contrarium eius inesse subiecto, absque subiecti corruptione; non tamen potest intelligi proprium abesse, & contrarium eius inesse subiecto absq; subiecti corruptione: vnde intellectus potest intelligere subiectum nedum sine accidente inseparabiili, sed etiam cum contrario illius; vt potest intelligere coruum cum nigredine; non tamen potest intelligere subiectum cum contrario proprij: hoc autem sic declaratur; nam nigredo, quæ est inseparabilis à coruo, non oritur ex principijs corui, quia non oritur ex principijs speciei, sed oritur ex principijs huius corui; quia forma corui habet esse in tali materia sic complexionata, & ideo eam comitatur nigredo; & quia non possum intelligere coruum non intelligendo principia corui; cum accidens inseparabile non pertineat ad principia corui: siuè intelligam huiusmodi accidens abesse: siuè intelligam contrarium eius inesse, quantum ad principia communia nō variabitur conceptus, quem habeo de coruo, nec propter hoc intelligam coruum corruptum: sed quia proprium corui, quodcumque sit illud, pertinet ad principia corui, non possum intelligere huiusmodi proprium abesse, nisi intelligam abesse, & ipsa principia: quia non potest separari proprium rei à re, nisi separentur ab ea, & ipsa principia, ex quibus propriū sumit ortum: & non possum intelligere contrarium proprij inesse, nisi haberet contraria principia: intelligere autem, propria principia à re abesse, & contrararia inesse, est intelligere rem corruptam esse. Ita Aegid. loc. cit.

CAPVT DVODECIMVM.

De Accidente.

§. 1.

Explicatio Textus.

TExtus. *Accidens est quod adest, & abest præter subiecti corruptionem &c.*

Intentum Porphyrij in hoc cap. est agere de Accidente, quod est vltimum prædicabile.

Diuiditur hoc caput in duas partes: in prima definit accidens: in secunda ipsum diuidit, & quoddam dubium remouet.

Quantum ad p. p. definit accidens primo sic. Accidens est quod adest, & abest præter subiecti corruptionem. Sensus ex Aegidio est. Accidens est illud, quod adest præter subiecti constitutionem, et abest præter subiecti corruptionem: nam ait D. P. Aug. quod accidens est illud, cuius præsentia subiectum non constituit, & cuius absentia non destruit.

Secundo definit sic. Accidens est illud, quod contingit eidem subiecto inesse, vel non inesse.

Tertio definit sic. Accidens est quod neque est genus, neque species, neque differentia, neque proprium, semper autem inest subiecto.

Quantum ad 2. p. Accidens aliud est separabile, vt dormire; aliud inseparabile, vt nigredo in coruo: nam licet nigredo non possit separari à coruo quantum ad esse; potest tamen

men separari quantum ad intelligi; & sic omne accidens potest adesse, & abesse, & nulla est repugnantia inter definitionem accidentis, & diuisionem.

§. 2.

Dubia propono.

IN hoc cap. Dubitatur 1. *An nigredo possit separari à Coruo?*

Resp. Aegid. posse separari per intellectum, quia cum essentia corui, & nigredinis differant, potest intellectus simpliciter intelligere vnum sine altero.

Dubitatur 2. *An accidens sit vniuersale?*

Resp. Aegid. quod accidens comparatum ad inferiora, vt color, ad albedinem, & nigredinem non est vniuersale distinctum à reliquis, sed vel est genus, vel species: comparatum vero ad subiecta, sic est vniuersale distinctum à reliquis, & est de illis subiectis prædicabile in quale non conuertibiliter.

Dubitatur 3. *An mors sit accidens hominis, & combustio sit accidens domus?*

Resp. cum Aegidio in hoc cap. quod verba posita in definitione accidentis .s. adest, & abest: sunt diuersa verba, & ideo habent diuersas terminationes; nam adest habet pro termino constitutionem subiecti; abest vero corruptionem: vnde sensus definitiones est iste. Accidens est quod adest præter subiecti constitutionem, & abest præter subiecti corruptionem, & sic ly adest, respicit præter subiecti constitutionem; & ly abest, respicit præter subiecti corruptionem. Hoc notato dico quod mors, & combustio sunt accidentia; quia licet quando adsunt corrumpant subiectum; adesse tamen in accidentibus determinat cõstitutionem subiecti, abesse vero corruptionem; & quia mors quando adest non constituit subiectum; & quando abest non destruit subiectum; ideo mors erit accidens subiecti. Idem dico de combustione respectu domus.

CAPVT XIII.

De Aequiuocis, Vniuocis, & Denominatiuis.

§. 1.

Proœmium ad lib. Prædicamentorum Arist.

PRædicamenta pertinent ad primam operationem intellectus; de eis ergo in hac parte breuiter pertracto.

Intendit Arist. in hoc libro agere non de vocibus tantum, quia considerare puras voces spectat ad grammaticum; nec tantum de rebus, quia considerare puras res spectat ad artifices reales .i. ad Physicum, Mathematicum, & Metaphysicum: sed de rebus prout vocibus significãtur; & ratio est, quia coordinatio prædicamètalis consurgit ac rebus, quatenus medijs vocibus significantur.

Obiectum huius libri est Prædicamentum in communi consideratum, prout nempe omnes coordinationes prædicamentales sub se comprehendit; prædicamentum enim sub ista ratione consideratum sub se proximè continet omnia, quę in hoc libro tractantur: ergo debet esse eius subiectum.

Magna est vtilitas huius libri: nam in primis est vtilis ad definitionem: quia cùm omnis definitio constet ex genere, & differentia, & iste liber rerum omnium genera, & differentias ordinet, ad ipsam definitionem vtilis erit. Est vtilis ad diuisionem; quia cum potissima diuisio sit generis in species, & iste liber ostendat, quænam sint vtriusque generis species, vtiquè ad diuisionem vtilis erit. Est vtilis ad demonstrationem, quia est vtilis ad definitionem, quæ debet esse medium demonstrationis.

Diuiditur hic liber in tres partes. Prima pars continet quædam præludia necessaria ad ipsa prædicamenta, & vocatur Anteprædicamentum. Anteprædicamentum autem, sic definitur. Est documentum quoddam necessario requisitum ad habendam cognitionem prædicamentorum. Secunda pars continet decem prædicamenta, & appellatur Prædicamentum, quod sic definitur. Est coordinatio plurium prædicabilium secundum sub, & supra in recta linea prædicamentali, & à latere. Tertia pars continet quædam communia omnibus prædicamentis, & vocatur Postprædicamenta. Postprædicamentum sic definitur. Est documentum perficiens prædicamentorum doctrinam.

§. 2.

Explicatio Textus.

TExtus. *Aequiuoca dicuntur quorum solum nomen &c.*

Intentum Arist. in hac prima parte est præmittere quædam communia ad tria ista, quę in prędicamentis possunt considerari .i. ad modum prædicandi, ad substantiam, & ordinem. In hoc autem capite intendit tradere triplicem modum prædicandi .i. Aequiuocum, Vniuocum, & denominatiuum.

Diuiditur hoc caput in tres partes secundum tres insinuatos modos prædicandi.

In prima parte tradit definitionē Aequiuocorum, quæ est ista. Aequiuoca dicuntur aliquorum æquiuocatorum, quorum nomen est commune, & secundum illud nomen ratio est diuersa; vt est animal respectu veri, & picti: nam habent tantum hoc nomen animal, commune; ratio vero ipsorum, qua sunt animalia est diuersa: nàm animalis veri ratio est substantia animata sensibilis: animalis autem picti ratio est similitudo substantiæ animatæ.

In secunda parte definit vniuoca sic. Vniuoca dicuntur illa, quorum nomen commune est, & secundum illud nomen eadem est substantiæ ratio: vt homo, & Leo conueniunt in nomine animalis, & secundum tale nomen habent eamdem definitionem, quia si quis assignet rationem, quid vtrumquè sit? assignabit eamdem rationem, qua sunt animalia.

In tertia parte tradit definitionē Denominatiuorū, quæ est ista. Denominatiua dicuntur illa, quæ habent appellationem ab aliquo secundum nomen, vt iustus à iustitia, & sunt differentia ab illo solo casu, .i. sola cadentia, quæ est ex parte modi significandi: nàm albedo differt ab albo per modum significandi; quia albedo significat, vt quid, album vero vt quale: hinc notat

Aegi-

Aegidius quod non oportet, vt denominatiua semper differant in fine: nam cùm dicitur ista mulier est grammatica, est prędicatio denominatiua, & tamen non differt in fine ab hoc abstracto, quod est grammatica.

Notat autem Aegidius quod Aequiuoca sunt in duplici differentia: alia enim sunt æquiuoca ęquiuocantia; alia æquiuoca æquiuocata: æquiuoca æquiuocantia sunt nomina, æquiuoca æquiuocata sunt res; & quod Arist. definit æquiuoca æquiuocantia, non vero æquiuoca æquiuocata, sic etiam dicendum est de vniuocis, vniuoca vniuocantia sunt nomina, vniuoca vniuocata sunt res.

§. 3.

Quædam Dubia breuiter resoluo.

IN hoc capite Dubitatur 1. *Quomodo definiantur æquiuoca, cum ex Arist. solum vniuocum sit definibile?*

Resp. ex Aegidio in hoc capit. quod licet æquiuocum per respectum ad sua significata sit æquiuocum, tamen hoc nomen æquiuocum ad omnia æquiuoca est vniuocum, nam secundum vnam rationem prædicatur de ipsis, & ideo sub ista ratione est definibile.

Dubitatur 2. *Quare prius determinet de æquiuocis, quam de vniuocis?*

Respondeo ex Aegidio, quod prius sunt extirpanda vitia, antequam inserantur virtutes; æquiuoca autem sunt veluti vitia, cùm non cadant in prædicamento; vniuoca autèm sunt veluti virtutes, ideo prius de æquiuocis agendum erat.

Dubitatur 3. *Cur definit æquiuoca in plurali?*

Respondet Aegid. quod hoc facit ad denotandum quod æquiuocum debet habere plura æquiuocata .i. significata.

Dubitatur 4. *Cur dicit, quorum solum nomen commune est; nam sic videtur innuere, quod solum in nominibus sit æquiuocatio?*

Resp. ex Aegidio quod hoc in loco nomen accipitur pro voce, vel signo; sicut in lib. perhier. dicit quod verba secundum se dicta sunt nomina, .i. signa. Sic etiam ratio sumitur pro definitione, vel descriptione substantiæ, & essentiæ: atquè adeo nomen hic sumitur prout compræhendit verbum, participium, & alias partes orationis, in quibus inueniri potest æquiuocatio; ideo Arist. dixit, quorum solum nomen commune est.

Dubitatur 5. *Quare dicit æquiuoca dicuntur, & non dicit, sunt?*

Resp. ex Aegidio, quod hoc fecit ad significandum quod definiuntur æquiuoca æquiuocantia: ista enim sunt illa, quæ dicuntur de æquiuocatis, quorum æquiuocatorum nomen est commune, & secundum illud nomen definitio est diuersa. Addit autem secundum illud nomen, quia si sumantur secundum aliud nomen, possunt esse vniuoca; licet enim hoc nomen canis sit æquiuocum respectu cœlestis, terrestris, & marini, quia definitio horum est diuersa; tamen secundum aliud nomen potest esse omnium eadem definitio, vt si definiantur, non secundum quod conueniunt in nomine canis, sed in nomine corporis.

Du-

Dubitatur 6. *Cur non definiat æquiuoca æquiuocata, & vniuoca vniuocata?*

Resp. id fecisse, tùm quia res ipsæ secundum se non dicuntur æquiuocè, vel vniuocè, sed quatenus nominibus significantur; atque adeo primario definit æquiuoca æquiuocantia, ratione quorum in rebus est æquiuocatio: tùm quia Logicus non habet pertractare de rebus; sed de conceptibus, & de vocibus, prout rebus applicantur, & ideo definit æquiuoca æquiuocantia.

Dubitantur 7. *An termino æquiuoco semel sumpto contingat vti æquiuocè?*

Resp. cum Aegid. p. Elench. pag. 11. quod nomen plura quidem, & æquiuoce significare potest, quia cum non significet ex sua natura, sed ex impositione, si sit impositum ad plura, & æquiuoca significanda, ea quidem significare poterit: ipso tamen nomine semel sumpto non potest intellectus vti æquiuocè: & ratio est, quia intellectus non potest simul diuersa, vt diuersa intelligere, atque adeo non potest simul, & semel terminum æquiuocum referre in omnia sua significata: ergo termino semel sumpto non potest vti æquiuocè.

Dubitatur 8. *An æquiuocum contineat sua sinificata copulatiue, vel disiunctiua?*

Resp. cum Aegid. p. Elench. pag. 11. quod nomen æquiuocum dupliciter ad sua significata comparari potest: primo vt importat illa per impositionem: secundo vt per intellectum ad illa refertur: & primo modo habet ea copulatiuè, quia simul, & semel plura significat, sicut copulatiua simul habet suas partes: at secundo modo habet ex disiunctiuè, quia non habet ea simul; cum nomine æquiuoco non contingat vti æquiuocè.

Dubitatur 9. *Quomodo nomen æquiuocum possit plura significare?*

Resp. cum Aegidio loc. cit. quod in significatione nominis tria est considerare: primo ipsam impositionem; nam nomina non significant ex natura sua, sed ex hominum impositione; secundo ipsam prolationem, quæ imponitur ad significandum; tertio relationem per intellectum in sua significata; loquendo primo modo nomen æquiuocum potest plura significare, quia est impositum ad ea significanda; sic etiam secundo modo, quia cum sit vna prolatio non variata, ex vi suæ prolationis actu, & simul habet sua significata; at tertio modo non potest simul plura significare, quia simul intellectus non potest referre vnum nomen in plura significata.

Dubitatur 10. *An oratio, vbi ponitur nomen æquiuocum, sit distinguenda?*

Resp. cum Aegidio loc. cit. quod oratio, in qua est æquiuocatio est distinguenda: nam, & si in vtroque sensu sit vera: adhuc tamen est distinguenda, non quidem ne concludatur nobis, sed ad cautelam fatuitatis, ne .s. videamur fatui, & ignorantes, quia si non distingueremus ipsam forte crederemur ignorare virtutem vocabulorum: quando autem nomen æquiuocum in vno sensu est verum, in altero falsum: tunc est distinguendum, nedum ne videamur ignorantes: sed etiam ne fiat nobis Elenchus: hæc

Aegidius; qui etiam addit, quod si non distingueremus terminū æquiuocum, tunc aduersarius, cum possit vti termino æquiuoco ad quodcunque significatum voluerit; si eam concederemus, referret eam ad sensum falsum; si negaremus referret eam ad sensum verum, vt ergo non fiat nobis Elenchus debemus terminum æquiuocum distinguere. Aliam etiam rationem in hanc rem reddit; sed si vis, ipsum lege.

CAPVT XIV.

De Diuisionibus Prædicamentorum cognitioni inseruientibus.

§. 1.

Explicatio Textus.

TExtus. *Eorum verò quæ dicuntur, alia quidem secundum complexionem dicuntur, &c.*

Intentum Arist. in hoc cap. est tradere duas diuisiones, quæ inseruiunt cognitioni prædicamentorum.

Diuiditur hoc caput in duas partes in prima tradit diuisionem inseruientem cognitioni prædicamentorum quantum ad conditionem: in secunda tradit aliam diuisionem inseruientem cognitioni prædicamentorum, quantum ad substantiam.

Quantum ad primam partem, diuisio est huiusmodi. Eorum, quæ dicuntur, alia dicuntur sine complexione, vt homo per se sumptus: alia dicuntur cum complexione, vt homo currit. Ista diuisio valet ad cognoscendum, quæ debeant collocari in prædicamentis; quia in illis tantum sunt ponenda ea, quæ sunt incomplexa.

Quantum ad secundam partem, ponit in ea aliam diuisionem; diuisio autem est ista. Eorum, quæ sunt, quædam dicuntur de subiecto, & in subiecto non sunt: vt genera, & species de prædicamento substantiæ: quædam sunt, quæ sunt in subiecto, & non dicuntur de subiecto, vt particularia accidentia, vt hæc grammatica, hæc albedo: quædam sunt, quæ dicuntur de subiecto, & sunt in subiecto; vt genera, & species de prædicamentis accidentium; vt scientia dicitur de grammatica, & de logica, & est in anima tanquam in subiecto: quædam tandem sunt, quæ non dicūtur de subiecto, nec sunt in subiecto, vt sunt induidua prædicamēti substantiæ, vt Sortes, & Plato. Addit autem Aristoteles, quod esse in subiecto est esse in aliquo, non vt pars illius, & impossibile est esse sine eo in quo est.

§. 2.

Quædam nota ex Aegidio circa literam.

IN hoc capite not. primo ex Aegidio, quod secunda diuisio inseruit cognitioni prædicamentorum quantum ad substantiam, .i. quantum ad eorum essentias, vt cognoscatur nimirum, quæ sit essentia vnius, & quæ alterius prædicamenti, & quæ in prædicamentis secundum substantiam sint collocanda: nam per non esse in subiecto, insinuatur prædicamentum substantiæ: per esse in subiecto, insinuantur prædicamenta accidentium: per dici de subiecto, & non esse in subiecto, insinuatur quod in prædicamento substantiæ debent poni substantiæ vniuersales: per non esse in subiecto,

& non dici de subiecto, insinuantur substantiæ particulares: per esse in subiecto, & non dici de subiecto, insinuantur accidentia particularia.

Not. 2. quod quando dicitur quędam sunt in subiecto, & quædam dicuntur de subiecto: non accipitur subiectum eodem modo, sed in prima parte sumitur pro subiecto inhęsionis; in secunda verò pro subiecto prædicationis.

Not. 3. quod substantiæ vniuersales non sunt in subiecto, quia sunt substantiæ; substantia autem non est in subiecto, sed est subiectum, cui inhærent accidentia: dicuntur tamen de subiecto, I. prædicationis: quia habent sub se inferiora, de quibus prædicari possunt: vt animal prædicari potest de homine, & leone. Substantiæ particulares non sunt in subiecto, quia sunt substantiæ: non dicuntur autem de subiecto, quia non habent sub se inferius, de quo prædicari valeant, vt Sortes. Accidentia vniuersalia sunt in subiecto inhæsionis, quia sunt accidentia, quorum esse, est substantiæ, & subiecto inesse: dicuntur tamen de subiecto, .s. prædicationis: quia habent sub se inferiora, vt scientia habet grammaticam, logicam, philosophiam. Accidentia particularia, vt hæc grammatica, sunt in subiecto, quia sunt accidentia, at non dicuntur de subiecto, quia non habent sub se inferius.

§. 3.

Quædam dubiola resoluo.

IN hoc capite dubitatur 1. *An forma substantialis sit in subiecto; nam cum sit in materia, & non sit pars essentialis eius, & non possit esse sine ea (quæ sunt conditiones requisitæ ad esse in subiecto) videtur, quod sit in subiecto.*

Resp. cum Aegidio in hoc cap. quod esse in subiecto, est esse in aliquo ente actu formaliter, & substantialiter, quo pacto intelligendus est Arist. quia autem forma non est in materia, tanquam in aliquo ente actu, sed potentia solum: nam quando forma substantialis aduenit materiæ, materia non habet esse actu, sed potentia tantum: ideo forma substantialis non est in subiecto; bene tamen accidentalis, quæ aduenit materiæ actuatæ per formam.

Dubitatur 2. *An ad esse in subiecto requiratur quod non possit res, quæ est in subiecto, esse sine subiecto? Odor enim pomi est in subiecto, & tamen separatur ab illo, vt cum de pomo transit ad manum.*

Resp. Aegid. Odorem numquam esse sine subiecto: nam manus est corpus porosum, & in poris ipsius relinquitur quędam formalis euaporatio, quæ est corpus subtilissimum, & in illa formali euaporatione reperitur postea odor tãquã in subiecto.

Dubitatur 3. *An corpus sit in loco, & tempore vt in subiecto?*

Resp. cum Aegidio neg. quia esse in subiecto, est esse in aliquo, non vtcumque, sed per veram inhæsionem; nam esse in subiecto significat, quod de essentia illius sit in alio existere; licet autem corpus sit in loco, & tempore, & non sit pars, nec possit esse sine eis; non tamen ob id est in subiecto, quia non est in loco, & tempore per veram inhæsionem, sed tantum est in eis, vt à quibus extrinsecè mensuratur.

CAPVT XV.
De Regulis prædicamentorum cognitioni inseruientibus.

§. 1.
Explicatio Textus.

TExtus. *Quando alterum de altero prædicatur, vt de subiecto, &c.*

Intentum Aristotelis in hoc capite est tradere duas regulas inseruientes cognitioni prædicamentorum.

Diuiditur hoc caput in duas partes: in prima tradit regulam inseruientem cognitioni prædicamentorum quantum ad ordinem eorum, quæ in eodem prædicamento collocantur: in secunda tradit aliam regulam inseruientem cognitioni prędicamentorum quãtum ad ordinem eorum, quæ sunt in diuersis prædicamentis.

Quantum ad primam partem, regula est huiusmodi. Quando aliquod prædicatur de aliquo, vt de subiecto, quidquid prædicatur de prædicato, vt de subiecto, etiam prædicatur de subiecto: vt homo prædicatur de Petro, vt de subiecto, & animal de homine, ideo animal etiã prædicabitur de Petro.

Quantum ad secundam partem, altera regula est ista. Diuersorum generum non subalternatim positorum, diuersæ sunt species, & differentiæ. Vocantur genera subalternatim posita, quando vnum sub altero continetur, vel ambo sub tertio; secus autem vocantur genera non subalternatim posita: sic animal, & scientia, cùm sint diuersa genera, & non subalternatim posita, habent diuersas species, & differentias: nàm species animalis sunt homo, & leo; differentiæ verò sunt gressibile, volatile, & aquatile: Species autem scientiæ sunt grammatica, logica, philosophia; differentiæ verò sunt naturale, rationale, & sermocinale. Dicit autem non subalternatim positorum: quia si sint subalternatim posita, bene habent easdem differentias: nam quæcunque sunt differentiæ superiorum, sunt etiam inferiorum.

Dices. Si prima regula esset vera, valeret hoc argumentum. Sortes est homo; sed homo est species: ergo Sortes est species.

Resp. Aegid. neg. sequelam, quia species non prædicatur de homine, vt de subiecto.

§. 2.
Dubia propono, & resoluo.

IN hoc capite dubitatur primò. *An de prædicamẽtis sit scientia?*

Resp. Aegid. affirmatiuè, tùm quia Aristoteles nobis hanc scientiam tradidit: tùm quia de omni eo est scientia, circa quod contingit rectè agere, & errare: sed circa prædicamenta contingit rectè agere, & errare: ergo de prædicamentis est scientia.

Dices scientia est per causas; sed prædicamenta non habent causas: ergo non possunt esse scita, & per consequens de eis non poterit esse scientia.

Resp. ex Aegid. dist. ma. scientia conclusionum, quæ est scientia demonstratiua, est per causas, concedo maiorem: scientia principiorum est

est per caussas, nego: principia enim cognoscimus in quantum terminos cognoscimus, & ideo principiorum scientia habetur ex vi cognitionis terminorum.

Dubitatur 2. *Quid intelligat Aristoteles per genera subalternatim posita?*

Resp. cum Aegidio in hoc capite intelligere tàm illa, quorum vnum continetur sub alio: quam ea, quæ continentur sub vno tertio: per genera verò non subalternatim posita, intelligere ea genera, quæ continentur sub diuersis prædicamentis, vt sunt animal, & scientia; & sensus regulæ est, quod ea genera, quorum vnum continetur sub alio, vt animal, & viuens; vel ambo sub vno tertio, vt animal, & planta, quæ continentur sub viuenti tanquam sub vno tertio, sunt subalternatim posita; & ista genera habent easdem species, & differentias; nam quæcunque sunt differentiæ superiorum, sunt etiam differentiæ inferiorum. Intelligitur autem (vt colligitur ex Aegidio) de differentijs constitutiuis, & diuisiuis generis superioris, non verò de differentijs constitutiuis, & diuisiuis generis inferioris: differentiæ enim, quæ conueniunt viuenti, conueniunt etiam animali, & plantæ, quæ sunt duo genera contenta sub tertio: differentiæ verò animalis, & plantæ, & sic differentiæ inferiorum, sunt inter se diuersæ, & per cōsequens in inferioribus, quæ continentur sub tertio, differentia constitutiua vnius, vt v. g. animalis, non est differentia constitutiua alterius, v. g. plantæ; & differentia diuisiua animalis, non est differentia diuisiua plantæ. Dato etiam quod genera cōtenta sub aliquo tertio, possent habere easdem differentias materiales, & accidentales; non tamen possunt habere easdem formales, & essentiales.

CAPVT XVI.
De Prædicamentis in generali.

§. I.
Explicatio Textus.

TExtus. *Eorum, quæ secundum nullam complexionem dicuntur, &c.*

Intentum Aristotelis in hoc capite, est agere de prædicamentis in generali, eorumquè numerum assignare.

Diuiditur hoc caput in duas partes; in prima ponit diuisionem habentem decem membra; in secunda probat, quod quodlibet membrum est incomplexum.

Quantum ad primam partem diuisio est huiusmodi. Eorum, quæ secundum nullam complexionem dicuntur, singulum, vel significat substantiam, vt homo: vel quantitatem, vt bicubitum; vel qualitatem, vt album; vel ad aliquid, vt duplum; vel vbi, vt in foro; vel quando, vt heri; vel habitum, vt armatum esse; vel actionem, vt secare; vel passionem, vt secari: & quia incomplexa non sunt plura, nec pauciora, quam sint enumerata: ideo incomplexa erunt decem, & sic decem erunt prędicamenta, s. Substantia, Quantitas, Qualitas, Relatio, Vbi, Quando, Situs, Habitus, Actio, & Passio.

Quantum ad secundam partem probat Arist. duplici ratione, quod quodlibet prædicamentum est incom-

complexum; & prima ratio est ista. Illud, ex cuius complexione cum alio fit affirmatio, vel negatio, est incomplexum, & non est affirmatio, vel negatio: sed ex complexione cuiuslibet prædicamenti cum alio fit affirmatio, vel negatio: ergo quodlibet prædicamentum est quid incomplexum.

Secunda ratio est ista. Omnis affirmatio est vera, vel falsa; sed nullum prædicamentum de se significat verum, vel falsum: ergo nullum prædicamentum de se est affirmatio, vel negatio, & per consequens quodlibet eorum est incomplexum.

§. 2.

Dubia quædam propono.

IN hoc capite dubitatur primò. *An in prædicamentis per se sint reponenda entia rationis?*

Resp. cum Aegid. de mensura angelor. q. 3. in prædicamentis per se tantum esse reponenda entia realia, quatenus dicunt reales essentias, & quidditates. Ratio Aegidij est, quia prædicamenta sunt modi essendi principales non reducti in alios, & in quos immediatè descendit ens: sed entia rationis non sunt modi essendi principales non reducti in alios, nec in ipsa immediatè descendit ens: sunt enim tantum entia diminuta, & primas intentiones supponentia: ergo prædicamenta per se non possunt constare ex entibus rationis.

Dices prædicamenta considerantur à logico: ergo dicunt entia rationis; hæc enim tantum à logico considerantur.

Resp. cum Aegid. in prol. Elench. dist. ant. considerantur à Logico, vt dicunt conceptus rationis vel secundas intentiones concedo: vt dicunt essentias reales supra quas fundantur conceptus rationis, & secundæ intentiones, quo etiam pacto diuidunt ens, & sunt modi essendi principales, nego per se, & primo: concedo tantum fundamẽtaliter, & remote. Eodem modo dico pro alio argumento, prædicamenta vt formaliter dicunt secundas intentiones ordinatas secundum sub & supra; sunt entia rationis: vt tamen dicunt modos essendi, & prædicata in eis ordinata, sunt entia realia.

Dubitatur 2. *An res sint ponendæ in prædicamentis sub nominibus abstractis, vel concretis?*

Resp. cum Aegid. c. de substantia dub. penult. In prædicamento substantiæ res ponendas esse sub nominibus concretis: in prædicamentis vero accidentium ponendas esse sub nominibus abstractis. Ratio primæ partis est, quia in prædicamento sunt constituendæ res completæ: sed nomina abstracta non significant substantias completas, sed incompletas: nomina vero concreta significant substantiam completam: ergo res sunt constituendæ in prædicamento substantiæ sub nominibus concretis, non sub abstractis, mi. patet ex dictis de prædicatione.

Ratio secundæ partis est; cum ex Arist. 3. top. c. p. dicente iustitiam esse in genere, non verò iustum; tùm quia concreta accidentium significant res diuersorum prædicamentorum, nempe subiectum, et formam accidentalem, qua de causa ab Arist. 7. met. t. 25. excluduntur à ge-

genere; ergo huiusmodi concreta non possunt pertinere ad aliquod prædicamentum, et per consequens in prædicamentis accidentium res collocandę erunt sub nominibus abstractis, non sub concretis.

Confirmatur ex Aegid. quia sicut ex materia, et forma fit vnum essentialiter; ita ex subiecto, et accidenti fit vnum accidentaliter, quod significatur per concretum accidentale; ergo non possunt sub istis nominibus collocari in prædicamentis, in quibus solum collocantur ea, ex quibus fit vnum ens per se.

Dubitatur 3. *An prædicamenta distinguantur realiter?*

Resp. cum Aegidio q. 4. de mensura Angel. et 2. sent. dist. 2. p. 2. omnia prędicamenta ad inuicem distingui formaliter ex natura rei; non tamen omnia distingui formaliter eodem gradu distinctionis formalis; sed tria prima formaliter simpliciter; reliqua vero formaliter tantum secundum quid; Ratio autem est quia omnia prædicamenta sunt modi essendi rerum principales non reducti in alios modos formaliter; ergo omnia distinguuntur formaliter: modi enim essendi non reducti formaliter in alios, non possunt non distingui formaliter, et quidem formaliter simpliciter attendendo tria prima prædicamenta; reliqua vero formaliter secundum quid; eo quia ordo ille, habitudo, siue respectus, à quo sumitur eorum ratio formalis, est tantum formalitas secundum quid.

Quod si dicas prędicamenta sunt primo diuersa: ergo non conueniunt in aliqua entitate reali. Respondet Aegid. dist. ant. sunt primo diuersa formaliter concedo ita vt non possint conuenire in eadem ratione formali: sunt primo diuersa realiter, ita vt non possint conuenire in eadem entitate reali: nego; nam actio, & passio est eadem entitas realis, & tamen facit duo prædicamenta.

Dubitatur 4. *An prædicamenta sint tantum decem?*

Resp. cum Aegidio de mensura Angel. q. 4. & 2. sent. dist. 2. p. 2. affirmatiuè: ratio autem Aegidij est, quia Prædicamenta sunt modi essendi principales, non reducti in alios modos essendi formaliter: ergo quot sunt tales modi essendi principales, tot erunt prædicamenta; sed huiusmodi modi essendi sunt tantū decem; ergo & decem erunt prædicamenta: prob. mi. quia vel huiusmodi modi essendi dicunt ipsam rē, vel ordinem, vel rem sub ordine: si dicunt ipsam rem, vel dicunt rem, quę habet modum per se existendi, & sic est substantia: vel dicunt rem existentem in alio, & extendentem illud, seu multiplicantem, & sic est quantitas, cuius est extendere subiectum, vel ipsum multiplicare: vel dicunt rem existentem in alio, & perficientem ac informantem illud, & sic est qualitas, quæ cum sequatur formam, habet perficere subiectum, sicut & ipsa forma: & sic sunt tria prædicamenta dicentia rem, .s. substantia, quantitas, & qualitas; quæ sunt ad inuicem diuersa propter diuersos modos essendi formaliter sibi conuenientes: substantia enim ex sua linea habet per se esse, non tamen habet esse extensum ex sua linea formaliter: quantitas vero non habet ex sua linea per se esse, sed tan-

tantum habet per se extendere; qualitas vero ex sua linea neutrum habet; sed tantum habet perficere subiectum. Si vero dicunt ordinem, sic est relatio, quæ ex sua linea tantum ordinem dicit, vnde non significat rem, quæ sit aliquid, sed quæ sit ad aliquid: hic autem est diuersus modus se habendi, & principalis. Si dicunt rem sub ordine, sic sumuntur reliqua sex prædicamenta: nam vel dicunt rem sub ordine, quia scilicet dependet ab alio, nempe ab agente, vel quia dependent ex tempore, vel ex loco: si dicunt rem in ordine ad agens, sic sumuntur duo prædicamenta .i. Actio, & Passio; Passio quidem ex eo quod actio recipitur in passo: actio vero ex eo quod est ab agente: hi autem sunt duo modi essendi non reducti in alios formaliter; licet reduci possint in alios causaliter. Si dicunt rem in ordine ad tempus, sic est quando: si in ordine ad locum, sic sunt tria prædicamenta, .s. vbi, Situs, & Habitus: nam locus vel habet locatum secundum se: vel habet ipsum secundum ordinem ad partes: si secundum se, sic est vbi: vbi enim est ordo locati ad locum secundum se: vnde non est aliud, quam circumscriptio corporis à loci circumscriptione proueniens: si locus habet locatum in ordine ad partes, vt puta, quia locatum circumscribitur tali ordine partium, vt habeat eas erectas, vel curuatas: sic est Situs, vel Positio: & tandem si ex loco continente sumatur ordo conuersus, prout .s. contentum habet continens, & prout corpus v.g. habet vestem; sic est vltimum prædicamentum, nempe habitus: ergo tantum erunt decem prædicamenta, cum non sit alius modus essendi principalis non reductus in alium formaliter ab istis decem enumeratis.

Rogas cur Accidens non faciat vnum prædicamentum, sicut facit substantia; vel cur substantia non faciat nomen prædicamenta, sicut facit accidens.

Resp. ex Aegid. q. 4. de mensura Ang. quia modus essendi substantiæ nō potest esse formaliter nisi vnus; cæterum modi essendi accidentium non reducti formaliter in alios, non possunt esse vnus; sed necessario sunt nouem, vt patet ex dictis.

Dubitatur 5. *An de prædicamentis sit vna scientia?*

Resp. ex Aegid. in cap. de substantia affirmatiuè: ratio autem est, quia scientia est vna, vel quia est vnius subiecti; vel quia omnia determinata in tali scientia vni attribuuntur; sed vtroque modo scientia de prædicamentis habet vnitatem: ergo &c. pr. mi. quia omnia nouem prædicamenta accidentiū attribuuntur substantiæ, vt subiecto; ergo iam erit vna per attributionem. Item est vna, quia est vnius subiecti, quatenus omnia prædicamenta conueniunt in vna ratione communi; non quidem in vna ratione naturæ, sed rationis.

CAPVT XVII.
De Substantia.

§. I.

Explicatio Textus.

TExtus. *Substantia autem, quæ propriè, principaliter, & maxime dicitur, &c.*

In-

Intentum Arist. in hoc capite est explicare naturam substantiæ, quæ est primum prædicamentum.

Diuiditur hoc caput in tres partes: in prima (innuendo substantiæ diuisionem in primá, & secundam) definit tam primam, quam secundam substantiam: in secunda comparat secundas substantias inter se, & ad accidentia: in tertia enumerat proprietates substantiæ.

Quantum ad primam partē (præsupposita diuisione substātiæ in primam, & secundam) dicit, quod substantia prima est illa, quæ nec est in subiecto, nec dicitur de subiecto: hoc autem probat tali ratione. Illud, de quo omnia alia dicuntur, & in quo omnia alia sunt: non dicitur de subiecto, nec est in subiecto: sed prima substantia est talis, vt omnia dicantur de illa, & sint in illa: ergo prima substantia erit, quæ nec dicetur de subiecto, nec erit in subiecto. Declarat minorem, quia omnia, quę dicuntur de subiecto, & non sunt in subiecto, prædicantur de subiecto .s. de prima substantia nomine, & definitione: eorum verò, quæ sunt in subiecto, vt sunt accidentia, quædam nec prædicantur de subiecto nec secundum nomen, nec secundum rationem: vt abstracta: quæ iam vero prædicantur de subiecto secundum nomen, non tamen secundum rationem, vt concreta: ergo omnia alia aut dicuntur de prima substantia; aut sunt in prima substantia, & per consequens prima substantia est illa, quæ nec est in subiecto, nec dicitur de subiecto.

Hoc idem, nempe quod omnia alia, aut dicantur de primis substantijs, aut sint in eis, manifestat inductione, & ait, hoc manifestum esse in omnibus: nam animal prædicatur de homine: ergo, & de aliquo homine; si enim de nullo aliquorum hominum, nec omninò de homine prædicaretur; quod etiam verificatur inducendo in omnibus alijs; ergo omnia alia aut dicuntur de primis substantijs; aut sunt in primis.

Colligit ex hoc, quod destructis primis substantijs, impossibile sit aliquid aliorum .s. accidentium, & secundarū substantiarum, remanere.

Definit etiam secundas substantias dicens, quod secundæ substantiæ sunt genera, & species, in quibus primæ substantiæ insunt; vt homo, & animal sunt secundæ substantiæ, in quibus primæ substantiæ .s. indiuidua insunt, tamquam inferiora in suis superioribus, vt explicat Aegidius.

Quoad 2. p. comparat primò secundas substantias, quæ sunt species ad secundas substantias, quæ sunt genera, & docet quod species sunt magis substantiæ quam genera. Probat hoc duplici ratione, primò: Illa dicitur magis substantia, quæ est propinquior primæ substantiæ; sed secunda substantia, quæ est species, est propinquior primæ substantiæ, quam sit genus: nam si quæratur quid est Sortes, conuenientius respondetur quod sit homo, quam quod sit animal; quia homo est magis proprium, animal est magis commune: ergo species erit magis substantia, quam genus.

Secundò, sicut se habent primæ substantiæ ad omnia alia, sic se habet species ad genus: sed primæ substantiæ dicuntur tales eo quod sub-

stant omnibus alijs: ergo cum species pluribus substet quam genus; substat enim ipsi generi, & non è conuerso; species erit magis substantia quam genus.

Comparat exinde secundas substantias, quæ sunt species inter se, & ait quod vna non est magis substantia, quam alia, vt homo non est magis substantia quam Leo: quod etiã asserit verum esse in primis substantijs; vna enim non est magis substantia, quam altera.

Tandem comparat secundas substantias ad accidẽtia, & docet quod solum genera, & species debent dici secundæ substantiæ, quod probat duplici ratione.

Primo. Solum illa quæ indicant quidditatem, & essentiam primæ substantię debent dici secundæ substantiæ; sed solum genera, & species indicant quidditatem, & essentiam primæ substantiæ; ergo solum genera, & species debent dici secundæ substantiæ, prob. mi. quia si petatur quid est Sortes, & assignetur aliud quam genus, & species; assignabitur aliquid extraneum, vt si dicatur quod currit, vel quod est albus; hæc enim non pertinent ad essentiam Sortis, sed sunt extranea ab ea.

Secundo. Sicut se habent primæ substantiæ ad omnia alia; ita se habent genera, & species ad omnia alia; sed primæ substantiæ dicuntur ex hoc primæ, quia substant omnibus alijs; ergo genera, & species ex quo secundo substant, debent dici secundæ substantiæ.

Quantum ad 3. p. enumerat Aristoteles sex proprietates substantiæ, quæ sunt istæ. Prima proprietas est. Tam prima, quam secunda substantia non est in subiecto. De prima probat, quia prima substantia est, quæ nec est in subiecto, nec dicitur de subiecto; ergo prima substantia (per locum à toto copulato) non est in subiecto; valet enim argumentum dicendo, Sortes currit, & disputat; ergo Sortes disputat. Probat de secunda; quia nulla ex his, quæ sunt in subiecto, prædicantur nomine, & ratione, sed omnis secunda substantia prædicatur nomine, & ratione; ergo nulla secunda substantia est in subiecto.

Secunda proprietas (quæ conuenit tantum secundis substantijs, & differentijs) est vniuocè prædicari de prima substantia. Probat hoc, quia prædicari vniuocè est prędicari nomine, & ratione: sed secundę substantiæ, & differentiæ prædicantur de prima substantia nomine, & ratione .i. quidditatiue, & essentialiter: ergo &c.

Tertia proprietas (quæ conuenit tantum primæ substantiæ) est Proprium est primæ substantiæ significare hoc aliquid; secundæ vero substantiæ tantum habent significare quale quid.

Quarta proprietas substantiæ nihil est contrarium. Hæc conuenit tam primæ, quia secundæ substantię; non tamen conuenit soli substantiæ, sed etiam quantitati.

Quinta proprietas. Substantia non suscipit magis, & minus: nam vnus homo secundum sui essentiam non est magis homo, quam alius: nec est magis homo se ipso vno tempore, quam alio; vbi vnus homo est magis albus, quam alius, & aliquando est magis albus in vno tem-

tempore se ipso, quam in alio.

Sexta, & vltima proprietas, quæ tantum conuenit substãtiæ est; quod cum sit vna, & eadem numero, sit susceptiua contrariorum: nam vnus, & idem homo aliquando est frigidus, aliquando est calidus; aliquando albus, aliquando niger.

Quod si dicas eadem oratio aliquando est vera, aliquando est falsa: ergo hæc proprietas conuenit alijs à substantia.

Respondet Aristoteles, quod est disparitas, quia substantia secundum sui mutationem suscipit contraria: nam cum aliquis est niger, & fit albus, fit in eo mutatio: oratio verò nunc est vera, nunc est falsa sine sui mutatione, per solam .s. mutationem factam in re significata: nam ab eo quod res est, vel non est; oratio dicitur vera, vel falsa.

§. 2.

Quædam noto ex Aegidio.

CIrca literam noto primo ex Aegidio, quod cum Aristoteles dicit. Substantia, quæ propriè, principaliter, & maximè, etc. per has particulas non definit primam substantiam, sed tantum circumscribit, quam substantiam intendat definire, et sic circumloquitur primam substantiam. Dicit autem propriè, ad differentiam accidentium, dicit principaliter, ad differentiam secundarum substantiarum, quæ sunt species: dicit maximè, ad differentiam secundarum substantiarum, quę sunt genera. Definitio autem huius substantiæ circumlocutæ est ista. Prima substantia est illa, quæ nec in subiecto est, nec de subiecto dicitur.

Noto 2. quod quando Aristoteles dicit. Quædam accidentia prædicantur de homine secũdum nomen, non autem secundum definitionem: per ly secundum definitionem intelligit prædicationem vniuocam: accidentia autem non prædicãtur vniuocè de substantia, sed tantum denominatiuè: vnde si dicatur. De quo prædicatur definitum, prædicatur etiam definitio: ergo si album prædicatur de homine, de eo etiam prædicabitur ratio albi.

Resp. quod album sicut prædicatur de homine, ita etiam prædicatur definitio albi; album autem prædicatur denominatiuè, non verò vniuocè: secundum ergo negat Aristoteles, non primum.

Noto 3. quod primæ tres proprietates conueniunt substantiæ vt est quid rationis; tres verò sequentes conueniunt ei, vt est quid rei.

§. 3.

Dubia circa substantiam ex Aegidio propono, & resoluo.

IN hoc capite. Dubitatur primò. *An accidens prædicetur de subiecto secundum nomen; non tamen secundum rationem?*

Resp. ex Aegid. in hoc cap. quod accidens potest considerari duobus modis; vel secundum essentiam, & hoc pacto est diuersum à subiecto, & significatur substantiuè: vel secundum esse, & hoc pacto est accidentaliter idem cum subiecto, & significatur concretiuè; primo modo non prædicatur de subiecto, bene tamen secundo modo. Ratio est, quia eo modo aliquid de aliquo prędicatur, quo modo est idem cum il-

lo; sed accidens non est idem cum subiecto secundum essentiam, seu essentialiter; benè tamen secundum esse, seu accidentaliter: ergo accidens non prædicatur de subiecto secundum essentiam, sed tantum secundum esse, vel accidẽtaliter, quod est prædicari secundum nomen, non verò secundum rationem.

Dices. Si non prædicatur albedo, nec prædicabitur album, cùm albedo, & album idem significent.

Respond. Aegid. neg. sequelam, quia licet idem significent, non tamen eodem modo: & licet non sit prædicatio modi de modo; est tamen prædicatio rei de re quatenus stat sub modo.

Dubitatur 2. ***An verum sit quod destructis primis substantijs impossibile sit aliquid aliorum remanere.***

Resp ex Aegidio in hoc cap. affirmatiuè. Ratio est, quia alia à prima substantia, vel sunt secundæ substantiæ, vel accidentia; sed destructis primis substantijs destruuntur secundæ substantiæ, & etiam accidentia: ergo destructis primis impossibile est aliquid aliorum remanere; prob. mi. quia destructis primis, destruuntur secundæ substantiæ, cùm de primis essentialiter prędicentur: destruuntur etiam accidentia, cùm accidentia sint in primis substantijs.

Dices. Destructo corruptibili non oportet, quod destruatur incorruptibile; sed primæ substantiæ sunt corruptibiles, secundæ verò sũt incorruptibiles, vt puta vniuersales: ergo &c.

Resp. Aegidius dist. ma. si loquamur de incorruptibili, quod nec per se, nec per accidens est in corruptibili, concedo maiorem; si loquamur de incorruptibili, quod est in corruptibili, nego ma. secundæ autem substantiæ, licet sint incorruptibiles per se; quia tamen sunt in primis, quæ sunt corruptibiles: ideo saltim per accidens dicuntur corrumpi.

Dices iterum. Destructo posteriori non destruitur prius: sed vniuersalia sunt priora, & singularia sunt posteriora: ergo destructis singularibus non destruuntur vniuersalia.

Resp. Aegid. quod vniuersalia quantum ad intellectum sunt priora singularibus: quantum autem ad sensum singularia sunt priora, & vniuersalia sunt posteriora; & sic diuersis modis vnum est prius altero, vnde benè potest ex destructione vnius colligi destructio alterius, & è conuerso.

Dubitatur 3. circa id, quod ait Arist. nempè album solam qualitatem significare, & dubitatur. ***An nomen accidentis in concreto acceptum significet substantiam?***

Respond. Aegid. affirmatiuè. Ratio est, quia sicut ex materia, & forma fit vnum essentialiter: ita ex subiecto, & accidẽte fit vnum accidentaliter: ergo secundum quod accidentaliter fit vnum, constituunt intellectum vnum, & significãt vnum, & per consequens accidentia in concreto imponuntur ad significandum aggregatum ex subiecto, & accidente. Significant autem subiectum non sub propria forma subiecti: sed quatenus est informatum accidente. Quando autem Aristoteles dicit album solam qualitatem significare, loquitur de significatione sumpta ab eo, à quo nomen impo-

ponitur; & album imponitur à qualitate; & sic solam qualitatem significat; non verò de significatione intellectum constituente, quia sic significat totum aggregatum; cum ista concreta, album, nigrum, &c. constituant intellectum pro subiecto informato tali forma accidentali. Quia verò non significant subiectum sub propria forma, sed sub forma accidentali: ideo dicendo, homo albus, non committitur nugatio. Hæc ex Aegidio ibi. Quomodo autem hæc doctrina alteri doctrinæ eiusdem Aegidij non contrarietur; constat ex dictis in superioribus.

Dubitatur 4. *Quenam sit ratio formalis constitutiua prædicamenti substantia?*

Resp. cum Aegid. p.s. d. 23. p. p. qu. 1. & 2. quod licet substantia secundum nominis ethymologiam dicatur à verbo, *substo*, quod significat esse sub alijs tanquam eorum fulcimentum: tamen ex hoc est imposita ad significandam rem triplicem habitudinem importantem ad accidentia, quibus subest. Prima est, quod talis res non indiget accidentibus ad hoc vt sit; sed ex sui natura habet per se esse, accidentia verò indigent hac re, seu substantia ad hoc, vt in esse conseruentur: & sic substantia dicit per se esse, vel per se existere. Secunda est, quod substantia ex eo, quod per se sit, habeat esse fulcimentum accidentium, eisque subesse. Tertia est, quod substantia propriè est; accidentia verò propriè non sunt, sed insunt, & sic substantia est idem, ac essentia.

Ex his prima habitudo importat perfectionem positiuam, ratione cuius substantia habet primariò per se esse, & secundariò negationem dependentiæ ab accidẽtibus, vt à conseruantibus. Secunda vltra per se esse importat habitudinem fundamenti ad accidentia in ea inhærentia: hæc tamen habitudo, licet supponat primam, est tamen nobis notior, qua de causa passim dicitur substantia ab eo, quod est esse sub alijs. Tertia dicit ipsam perfectionem essendi, quia verò hæc ad rem non facit, ideo pro nunc dimittitur; & de substantia primo, vel secundo modo accepta: quo pacto dicit substantiam creatam, & completam, quæritur per quid constituatur? Quo prænotato.

Resp. quod substantia sic accepta non constituitur in sua essentiali ratione per negationem essendi in alio: nec per substare accidentibus; sed per esse per se, vel per se stare ex Aegid. loc. cit. & 2.s. d. 2. p.2. & de mensura ang. q. 4.

Ratio p. p. est, quia nullum ens reale potest constitui in sua essentiali, & quidditatiua ratione per solam negationem, alias pura negatio esset natura aliqua positiua, & quidditas, quod repugnat ex Aegid. p.s. d.28. p.p. q.2. sed substantia est ens reale positiuum, & perfectissimum: ergo &c.

Confirmatur, quia essentia (vtpotè radix cœterorum) est omnium prima in re ipsa: sed negatio non potest esse prima omniũ eorum, quę inueniuntur in substantia; quia ex Aegid. p.s. d.28. cit. negatio constituit intellectum per affirmationem; & semper in non facere intelligitur facere: ergo &c.

Ratio 2. p. est, tum quia prius est

rem

rem esse in se, & per se; quam esse fulcimentum aliorum: tum etiam quia non ideo substantia per se est, quia substat, sed è contra: ergo &c.

Ratio 3.p. est, quia ex dictis prius est per se esse, quam subesse: ergo ratio essendi per se erit constitutiua substantiæ.

Dubitatur 5. *Quodnam sit diuisum in diuisione substantiæ in primam, & secundam?*

Resp. & dico 1. substantia secundum suum esse quidditatiuum, seu vt dicit per se esse, non est diuisum in hac diuisione: sed potius est fundamentum diuisionis. Ita colligo ex Aegid. p.s. d.25. q.1. ex quo.

Probatur primo, quia ratio per se essendi non participatur à membris diuidentibus; .s. à prima, & secunda substantia: ergo diuisum in hac diuisione non potest esse ratio per se essendi: hoc enim debet à membris diuidentibus participari: pr. ant. ex Aegid. ibi dicente nullum commune est substantia, quia nullum commune per se existit, sed existit in alijs: vnde genera, & species, & omnia communia non propriè dicuntur substantiæ; & si competit eis tale nomen, hoc est secundario propter, quod Philosophus eas appellat secundas substantias. Ita Aegidius: ergo ratio per se essendi non participatur à secundis substantijs; & dato quod participetur, hoc non erit primario, sed secundario, quatenus .s. existunt in prima: ergo diuisum non est illa ratio. Dato autem quod esset, tunc diuisio esset diuisio analogi in analogata, quia per prius diceretur de prima, & per posterius, & secundario de secunda.

Confirmatur ex Aegidio loc. cit. quia per se existere non dicit habitudinem ad commune, vt dicunt secundæ substantiæ: ergo conceptus per se existendi non poterit esse diuisum: nam de ratione diuisi est dicere habitudinem ad membra diuidentia per quæ euacuatur; prob. ant. quia genera, & species dicunt habitudinem ad communitatem; cũ sint nomina secundæ intentionis; per se autem existere non dicit huiusmodi habitudinem, sed dicit id, cui tales habitudines competunt.

Dico 2. Diuisum in hac diuisione est substantia, vt abstrahit à diuersis modis essendi, nempe à modo essendi primæ substantiæ, & à modo essendi secundæ substantiæ.

Probatur, quia diuisũ est id, quod per se, & per omnem modum collocatur in recta linea huius prædicamenti: sed hoc non est proprietas aliqua substantiæ, aut secunda intentio, sed ipsa essentia substantiæ: ergo &c. pr.mi. ex Aegid. p. s. d. 8. p. p. q. 3. dicente, quod substantiæ compositæ, & quæ habent potentialitatem in natura secundum rectam lineam, & per omnem modum sunt in genere: ergo ipsa essentia substantiæ habentis has conditiones erit in recta linea, non verò secunda intentio, aut proprietas substantiæ.

Probatur altera pars, quia differentiæ veluti diuidentes addunt supra ipsam essentiam substantiæ diuersos gradus, & modos essendi: nam prima substantia addit supra substantiam, vt sic esse actuale, & conditiones materiæ; secunda verò addit supra essentiam substantiæ modum essendi, seu gradum essendi magis, vel minus vniuersalem; vt con-

constat ex his, quæ insinuaui cap. de genere: ergo substantia, vt præscindit ab istis modis erit diuisum, membra enim diuidentia tantum hos modos addunt.

Rogas. *Qualis sit hæc diuisio?*

Resp. quod vel est subiecti in accidentia, quia modi isti habent rationem accidentium respectu rationis quidditatiuæ substantiæ. Vel est analogi in analogata quatenus vnus modus essendi est realis: alter verò est formalis secundum quid.

Dubitatur 6. *An definitio primæ substantiæ sit rectè assignata?*

Resp. affirmatiuè, quod vt probem suppono cum Aegid. p.s. d.28. p.p. q. 3. quod numquam de aliquo, quod est in rerum natura negatur aliquid; nisi quia de illo aliquid affirmatur: quia negatio ex affirmatione sumit robur, & per cõsequens negatio numquam dicitur de aliquo, nisi ratione alicuius positiui; vnde cum in definitione primæ substantiæ dicitur, quod non est in subiecto, nec dicitur de subiecto: huiusmodi negatio dicitur de substantia ratione alicuius positiui, quod non est aliud, quam esse per se in natura substantiali, aut stare in se, quod tantum conuenit primæ substantiæ. Hoc præmisso.

Probatur, quia illa est exacta definitio, quæ explicat naturam rei quatenus in se est, & quatenus ab omni alio distinguitur: sed per non esse in subiecto, nec dici de subiecto exactè manifestatur natura primæ substantiæ, & vt in sua linea constituitur, & vt à reliquis distinguitur: ergo &c. pr. mi. quia per negationem non essendi in subiecto, manifestatur illa positiua perfectio, quæ in se est: per non dici de subiecto manifestatur eadem perfectio, vt contracta ad primam substantiam, & vt distinguitur à secundis substantijs: ergo &c.

Dubitatur 7. *An definitio secundæ substantiæ sit rectè assignata?*

R. cũ cõmuni sentẽtia affirmatiuè, quia omnis secunda substantia dicit gradum genericum, vel specificum stantem sub secunda intentione generis, vel speciei: ergo bene dicitur quod substantiæ secundæ sint genera, & species: sicut enim dictum est cum Aegidio cap. de genere quod natura generica vt stans sub secunda intentione genereitatis est, quæ in definitione generis definitur; ita gradus ille substantialis vniuersalior, vel minus vniuersalis, est qui definitur in hac definitione; definitur tamen non secundum se, sed quatenus stat sub intentione vniuersalitatis, & proinde bene dicitur quod sunt genera, & species. Additur in quibus primę substantiæ insunt: quia vt dictum est cum Aegidio in explicatione textus, primæ substantiæ continentur in secundis tamquam inferiora in suis superioribus.

Dubitatur 8. *An substantiæ sit aliquid contrarium?*

Noto cum Aegidio in cap. de subst. dub. vult. quod duplex est contrarietas: alia generis prædicabilis alia generis subijcibilis, vel susceptibilis: prima est quælibet oppositio differentiarum substantiarum diuidentium idem genus prædicabile, & talis est oppositio, quæ reperitur inter rationale, & irrationale, quatenus sunt incompossibilia in eadem specie: secunda est oppositio

inter

inter illa, quæ mutuo se expellunt, & circa idem subiectum simul esse non possint. Quo notato.

Resp. Quod substantia considerata secundum suam essentiam non habet contrarium contrarietate generis susceptibilis, quæ est propria contrarietas; sed tantum habet contrarium contrarietate generis prædicabilis, quæ non est propria contrarietas.

Ratio p. p. est, quia contrarietas generis susceptibilis est illa, qua aliqua duo se mutuo expellunt ab eodem subiecto: sed substantia considerata secundum suam essentiam non expellit aliam substantiam ab eodem subiecto, cum non sit in subiecto, sed sit subiectum: ergo &c.

Ratio 2. p. est, quia rationale, & irrationale, & vniuersaliter omnes differentiæ diuidentes genus sunt incompossibiles in eadem specie, cum quælibet sit constitutiua suæ speciei: ergo substantia habet hanc contrarietatem: tales enim differentiæ sunt substantiæ, & sunt incompossibiles.

Dubitatur 9. *An substantia suscipiat magis, & minus?*

Resp. Cum Aegidio p. 5. d. 3. p. p. p. 2. q. 2. a. 3. ad 3. vbi ait. Ad tertium dicendum quod magis, & minus in essentialibus potest intelligi dupliciter: vel quantum ad gradus in esse: vel quantum ad gradus in essentia: primo modo reperitur magis, & minus solum in accidentibus, quæ intenduntur, & remittuntur: sed secundo modo inuenitur magis, & minus etiam in substantia: in quantum vna species substantiæ habet rationem maioris numeri, quam alia. Primum magis, & minus est sub eadem specie; secundum verò sub eodem genere. Ita Aegidius; ex quo patet quod hoc magis, & minus repertum in substantia est secundum formam generis, non verò est secundum formam speciei.

Aegidius etiam lib. de gener. q. 18. ait. Quod forma substantialis specifica non habet magis, & minus nec secundum gradus in essentia; quia cum essentia pertineat ad definitionem, ex variatione cuiuslibet talis gradus variaretur definitio, & per consequens essentia, & natura rei, ac species: & de istis gradibus Aristoteles 8. met. t. 4. docet, formas, & definitiones esse sicut numeros. Nec secundum gradus in esse; quia forma substantialis dat esse specificum, ideo non potest esse variatio in tali esse, quin pariter sit in specie.

Addit tamen quod substantia secundum formam generis necessario habet gradus in esse: quia non dantur duæ species essentialiter differentes, in quibus æqualiter reperiatur entitas: nam species sunt sicut numeri, & sicut isti non æqualiter participant, vel accedunt ad vnitatem: ita & species non æqualiter accedunt ad vnitatem, & entitatem primi principij; & ideo oportet quod vna sit magis ens, quam alia.

Dubitatur 10. *An Deus directè, vel reductiuè sit in prædicamento substantiæ?*

Resp. Cum Aegidio p. 5. d. 8. p. 2. p. p. q. 3. negatiuè. Probatur ex eodem, quia quod est directè in genere est determinatum ad aliquid, habet naturam compositam, & habet quidditatem distantem ab esse, seu ha-

habet potentialitatem in natura: sed Deus non est determinatus ad aliquam perfectionē, sed ei competit omnis perfectio; non est cōpositus, sed summe simplex, nec habet quidditatē distantem ab esse, sed est ipsum esse: ergo Deus non erit directè in genere. Nec erit reductiuè, cum non sit quid tantum determinatum, sicut sunt materia, & forma, quæ hac ratione dicuntur esse reductiue in genere, quia .s. solum dicunt quid determinatum, ex eo quod causalitas eorum non se extendit ad omnia genera.

Dubitatur 11. ***An in Deo possimus aliquo modo ponere omnia prædicamenta?***

Resp. Cum Aegidio 3.5.d.9. p.2. q. 2. a. p. ad 3. pag. 370. nos posse saluere omnia prædicamenta quantum ad prædicationem, non quantum ad proprietatem generis, quatenus possunt accipi perfectiones omnium generum sine suis generibus à quibus potest denominari, & denominatur Deus, & quę denominatiue possunt prædicari de Deo.

In primis ex Boetio in diuinis admittuntur duo prædicamenta, vt dicunt perfectiones sine generibus .s. substantia, & relatio: nam deitas est in prædicamento substantiæ Pater vero est in prædicamento relationis, & secundum hæc duo prædicamenta saluamus prædicationem denominatiuam, essentialem, & identicam: quia pater est persona diuina, quantum ad prædicationem denominatiuam: vnum enim prædicamentum propriè non prædicatur de altero, nisi denominatiue. Insuper Pater est Deus quantum ad prędicationem essentialem; & Pater est deitas quantum ad prædicationem per identitatem. Nam deitas non est Pater prædicatione formali, cum Pater sit in prædicamento relationis, & deitas sit quid absolutum: sed deitas est Pater, & è conuerso, prædicatione per identitatem.

Deinde possumus saluare prædicationem denominatiuam, quantum ad prædicamenta ibi non posita. Nam cum perfectiones omnium generum sint in Deo, secundum alia octo prædicamenta possunt accipi perfectiones sine suis generibus, à quibus potest denominari, & denominatur Deus. Nam licet in Deo non sit qualitas, est tamen in eo bonitas, à qua denominari potest bonus, quæ bonitas in creaturis potest pertinere ad prædicamentum qualitatis. Et licet in Deo non sit quantitas, est tamen in eo magnitudo, à qua denominari potest magnus. Sic etiam de alijs sex, quæ secundum proprietatem generis possunt dici non esse ibi. Habet enim hoc veritatem de actione, vt de creare, quod est agere; & quia creatio est actio transiens, cum actio transiens videatur esse propter indigentiam, quod est imperfectionis: dicere debemus, Deum esse sine indigentia creatorem. Sic etiam, quia præsidere pertinere potest ad prædicamentum situs, quando in vno toto vna pars situatur supra aliam, debemus hanc perfectionem, quæ est præsidere; concedere Deo sine suo genere, & dicere, Deum esse sine situ præsidentem. Sic quia ad prædicamentum habitus videtur pertinere hæc perfectio, quæ est continere, quia vestis continet vestitum, debemus hanc perfectionem concedere Deo sine

genere, & dicere, ipsum esse sine habitu omnia continentem. Sic quia esse vbique pertinet ad prędicamentum vbi, quod sumitur secundum locum, quia vbi est circumscriptio corporis à loci circumscriptione prouenięns, debemus hanc perfectionem, quæ est esse vbique totum, concedere Deo sine loco, dicendo ipsum esse sine loco vbique totum. Similiter ad hanc perfectionem, quæ est sempiternitas, quæ pertinet ad prædicamentum quando, cum prædicamentum quando sumatur ex adiacentia temporis, quia quando relinquitur ex adiacentia temporis, debemus hanc perfectionem .s. sempiternitatem, concedere Deo sine tempore dicendo, ipsum esse sine quando sempiternum. Tandem prædicationem pertinentem ad prædicamentum passionis debemus concedere Deo sine passione, & motu dicendo, ipsum sine passione possibilia facere, & sine motu mutabilia.

Hoc est autem, quod ait D.P. August. lib. 5. de Trinit. c. 1. dum ait. *Intelligamus Deum quantum possumus sine qualitate bonum, sine quantitate magnum, sine indigētia creatorem, sine situ præsidentem, sine habitu omnia continentem, sine loco vbique totum, sine tempore sempiternum, sine vlla mutatione mutabilia facientem, nihilque patientem.* Hæc Aegidius ferè ad verbum.

Dubitatur 12. *An Angeli sint per se, & directè in prædicamento substantia.*

Resp. cum Aegidio 3. sent. dist. 7. p.p. q. 1. a. 2. quod substantia quæ est genus non est materia, neque forma, sed compositum ex his ex Boetio; & ideo materia, & forma non sunt per se in genere, cum non habeant per se esse; sed tantum sunt per reductionem, & tanquam principium: si autem sunt aliquæ formę, quæ de se non sunt perfectiones materiæ, vt sunt intelligentiæ, quæ habent per se esse, poterunt per se esse in genere, & tamen dicentur aliquandò tales formæ carere genere, quia fortè non sunt in genere substantiæ: quod non sic est intelligendum, ita vt intelligentiæ non determinentur ad genus substantiæ, sed quia substantia non est vnum prædicamentum naturale, licet possit dici vnum prędicamentum logicum, secundum quem modum non sunt nisi decem prædicamenta, & substantia non constituit nisi vnum prædicamentum. Naturalis tamen Philosophus fortè diceret, prædicamentum substantiæ esse tria prædicamenta, quia vnum tale prædicamentum constituit corpora corruptibilia; aliud corpora incorruptibilia: tertium autem prædicamentum substantiæ constituit intelligentias, quæ sunt formæ separatæ, quia non sunt corpora, nec perfectiones corporum. Ita Aegidius.

Hac præmissa doctrina. Dico Angelos esse directè in prædicamento substantiæ logicè considerato; non tamen naturaliter, & physicè, sed sic esse in proprio prædicamento; Idem assero de corporibus cœlestibus.

Ratio primæ partis est, quia ex Aegidio p.s.d.8. p.2.q.3. supremum genus substantiæ logicè acceptæ est substantia determinata, seu limitata, habens quidditatem distantem ab esse: in hoc enim generalissimo conceptu cōuenire possunt omnes substantiæ completæ finitæ, & limitatę;

sed

sed Angeli habent naturam determinatam, & quidditatem distantem ab esse: ergo sunt in prædicamento substantiæ logicè considerato. Dicitur hoc genus generalissimum logicè considerari, quia vt substantiæ sensibiles conueniant in hac ratione suprema, quæ etiam sit angelis communis, oportet quod abstrahantur per intellectũ à sensibilitate, à compositione ex materia, & forma, & tantum consideretur in eis, & etiam in corporibus cœlestibus ratio substantiæ completæ, & determinatæ habentis quidditatem distantem ab esse, & sic potentialitatem à qua sumitur prima ratio generis.

Ratio secundæ partis est, quia physicè, & à parte rei vltima resolutio stat ad materiam, & formam, ex quibus sumitur ratio potentialitatis physicæ, quæ tamen non est in angelis, ideo angeli in esse physico differunt genere à substantijs sensibilibus, & per consequens in tali esse habent distinctum prædicamentum. Idem seruata proportione dicendum est de corporibus incorruptibilibus. Primam partem docet Aegidius p. s. loc. cit. secundam verò tradit in cap. de substantia pag. 19. quam etiam probat, quia ex 3. met. corruptibili, & incorruptibili nihil est commune vniuocum, & vtramque simul docet 3. s. loc. citato.

Dubitatur 13. *An esse, & æuum pertineant ad prædicamentum substantiæ?*

Resp. cum Aegidio 2. s. d. 2. q. 1. a. 5. pag. 131. Quod aliquid potest esse in prædicamento substantiæ quinque modis. Primò tanquam aliquid, quod est ipsa substantia: secundò tanquam aliquid, quod est pars substantiæ: tertiò tanquam aliquid, quod est actus substãtiæ: quartò tanquam aliquid, quod est habitudo fundata in ipsa substãtia: quintò tanquam habitudo fundata in actu substantiæ. Primo modo sunt in prædicamento substantiæ illa, de quibus prædicatur substantia, & quæ sunt directè in prædicamento. Secundo modo sunt in prædicamento substantiæ materia, & forma. Tertio modo est in prædicamento substantiæ esse, quod est actus substantiæ. Quarto modo est in prædicamento substantiæ nunc æui, quod dicit habitudinem fundatam in ipsa substantia. Quinto modo est in prædicamento substantiæ ipsum æuum, quod dicit habitudinem fundatam in ipso esse, quod est actus substantiæ. Non tamen propriè loquendo esse, æuum; & alia sunt substantia, quia nõ oportet, quod quidquid est in prædicamento substantiæ sit substantia, sicut quidquid est in prædicamento quantitatis non est quantitas: nam punctus est in prædicamento quãtitatis, & tamen non est quantitas, sed terminus quantitatis: ita esse est in prædicamento substantiæ, non tamen suscipit prædicationem substantiæ, quia tantum est in eo, vt actus substantiæ. Nec sequitur quod intrinsecè sit accidẽs; sed tantum quod habeat modum quemdam accidentis, & sit accidens secundum dici. Ita de alijs.

CAPVT XVIII.
De Quantitate.

§. I.
Explicatio Textus.

TExtus. *Quantitatis autẽ aliud est continuum, aliud discretum, & aliud quidem ex habentibus positionem ad se inuicem constat.*

Intentum Aristotelis in hoc capite est agere de prædicamento quantitatis, cui primum locum post prædicamentum substantiæ in hoc libro concedit.

Diuiditur hoc caput in tres partes; in prima parte determinat de quantitate quantum ad substantialia prædicamenti quantitatis, nempe quantum ad genera, & species, ex quibus hoc prædicamẽtum substantialiter cõstituitur, & potissimè agit de quantitatibus per se. In secunda agit de quantitatibus per accidens. In tertia tandem proprietates, tam communes, quam proprias assignat.

Quoad primam partem, quantitatis aliud est continuum, aliud discretum: Insuper aliud constat ex partibus habentibus positionẽ, aliud ex partibus non habentibus positionem; vnde quantitas diuiditur in continuam, & discretam: & in quantitatem habentem positionem partium, & in quantitatem non habentem positionem partium. Quantitas discreta diuiditur in numerum, & orationem; vnde duæ sunt species quantitatis discretæ, scilicet, numerus, & oratio. Quantitas continua diuiditur in lineam, superficiem, corpus, tempus, & locum; & sic quinque sũt huius quãtitatis species.

Quod verò numerus, & oratio sint species quantitatis discretę probat hoc pacto: quia illa est quantitas discreta, cuius partes non copulantur ad aliquem terminum communem; sed partes numeri non copulãtur ad aliquem terminum communem, ergo numerus est quantitas discreta; probatur minor: quia quinque vnitates sunt partes numeri denarij, & non copulantur ad aliquem terminum communem, sed vna est diuisa ab altera: sic etiam tria & septem, quæ sunt partes numeri denarij non copulantur ad aliquem terminum communem, ergo &c. Sic etiã oratio est species quantitatis discretæ: nam in primis est quantitas, quia illud est quantitas, quo mensuratur syllaba breuis, vel longa, sed per orationem mensuratur syllaba breuis, vel longa, ergo &c. Quod verò sit quantitas discreta, probat: quia illa est quantitas discreta, cuius partes non copulantur ad aliquem terminum communem; sed partes orationis, quæ sunt syllabæ, ad nullum terminum communem copulantur; ergo oratio est quantitas discreta, &c.

Quod autẽ quinque species enumeratæ de quantitate continua sint quantitas continuæ, probat hoc pacto: Illæ dicuntur quantitates continuæ, cuius partes copulantur ad aliquem terminum communem; sed partes lineæ, superficiei, corporis, temporis, & loci copulantur ad terminum communem; ergo &c. probatur minor: quia partes lineæ copulantur ad punctum: partes superficiei copulantur ad lineam: partes corporis ad superficiem: partes temporis ad nunc, & ad illud idem instans,

ſtans, quod terminat præteritum, & inchoat futurum: & partes loci copulãtur ad eundem terminum communem, ad quem copulantur corporis particulæ, &c.

Ex his autem omnibus ſpeciebus quantitatis, ſiue diſcretæ, ſiue continuæ; quædam ſunt, quæ habent poſitionem partium, vt linea, ſuperficies, corpus, & locus: quædam verò non, vt numerus, & oratio: Quod probatur hoc pacto: Illud, de cuius partibus potes aſſignare vbi ſitæ ſint, & habes vnde ſumas, & ad quẽ terminum copulantur, eſt quantitas habens poſitionem partium: ſed de partibus lineæ, ſuperficiei, corporis, & loci, potes aſſignare vbi ſint ſitæ, vnde ſumas, & ad quem terminum copulantur: quod facere non potes in partibus orationis, & numeri; ergo illæ erunt ſpecies quantitatis habentis poſitionem, iſtæ verò non; probatur minor quoad primam partem: quia de partibus lineæ potes dicere vbi ſint ſitæ, & potes aſſignare vnde ſumas eius mediam partem, vel tertiam; & ſic de alijs; ergo &c. probatur quoad ſecundam partem: quia hæc non potes facere in partibus numeri, nec in partibus temporis, & orationis: nam licet partes horum trium habeant ordinem ad inuicẽ; quia vnus numerus eſt prior altero, vt binarius ternario; & præſens eſt prius futuro: & ſyllaba quæ modo profectur ſit prior illa, quæ ſubſequitur; non habent tamen poſitionem, cum non habeant permanentiam: nam partes temporis ſunt in tranſitu, & quod ſemel dictum eſt amplius ſumi non poteſt; ergo &c.

Quantum ad ſecundam partem, docet Ariſtoteles, quod omnes ſpecies quantitatis tam continuæ, quam diſcretæ ſunt quantitates per ſe; cæteræ verò, quibus conuenit ratio quantitatis ſunt tales per accidens: nam album eſt multum, quia ſuperficies eſt multa, & actio eſt longa, quia tempus eſt longum; & ſic de alijs, quibus conuenire poteſt ratio quantitatis.

Quantum ad tertiam partem, aſſignat Ariſtoteles tres proprietates quantitatis, quarum prima, & ſecunda conueniunt etiam alijs prædicamentis, & ſic ſunt communes; tertia verò eſt propria quantitatis.

Prima proprietas eſt: quantitati nihil eſt contrarium; bicubito enim vel tricubito nihil contrariatur.

Dices: magnum, & paruum ſunt quantitates continuę, & tamen contrariantur: & multum, & paucum ſunt quantitates diſcretæ, & tamen ſunt contraria; ergo quantitati eſt aliquid contrarium.

Reſpondet Ariſtoteles primò: magnum & paruum, multum et paucum non eſſe quantitates, ſed relatiua: nam non ſunt talia per ſe, ſed in ordine ad aliud; quia granum milij, & mons per ſe non ſunt magna, vel parua, ſed in comparatione ad aliquod maius, vel minus; & ſic dicendum eſt de multo, & pauco; nam homines qui ſunt in vico, vel in theatro ſecundum ſe non ſunt multi, vel pauci, ſed in comparatione ad plures, vel pauciores in alijs locis exiſtentes; quare cum iſta ſecundum ſe non ſint quantitates, ſed relatiua; benè poteſt eis aliquod eſſe contrarium; cum relatiuis ſit aliquid contrarium.

Reſpondet ſecundò, quod etiamſi ma-

magnum et paruum sint quantitates, non tamen sunt contraria; tum quia magnum & paruum, multum & paucum non dicuntur per se, sed in sola relatione ad aliud, & ideo non habent contrarium: tum quia si essent contraria, sequeretur quod duo contraria essent in eodem, vel idem esset contrarium sibi ipsi; nam vnus mons cōparatus ad maiorē dicitur paruus, comparatus verò ad minorem dicitur magnus; & ità cum idem mons sit paruus & magnus, si hæc essent contraria, tunc duo contraria essent in eodem, quod est impossibile: nam in substantia, quæ magis videtur susceptiua contrariorum, idem homo non potest esse simul sanus & æger; ergo multò minus in alijs à substantia possibile erit, quod duo contraria sint simul in eodem. Insuper cum idem mons possit dici magnus & paruus, vt dictum est, si ista essent contraria, idem esset contrarium sibi ipsi, quod est impossibile, ex quo patet quod quantitati nihil est contrarium.

Dices 2. Locus sursum contrariatur loco deorsum, cum inter se maximè distent, sed locus est quantitas; ergo quantitati est aliquid contrarium.

Respondeo, quod Aristoteles non soluit istam obiectionem, quia ridiculosa est, & procedit ex falsa intelligentia; contraria enim maximè distant distantia formali, non verò distātia locali, vt supponit obiectio. Item locus sursum, & deorsum non sunt in eodem corpore vicissim, & simul; quare non sunt contraria.

Secunda proprietas quantitatis est, quod non suscipiat magis et minus; vnum enim bicubitum non est magis bicubitum, quam aliud, nec aliqua tria sunt magis tria, quam alia &c.

Tertia proprietas, quæ soli quantitati conuenit, est, quod secundum eam aliqua dicuntur æqualia, vel inæqualia; duo enim numeri, vel duo corpora ratione quantitatis, et per eam solum dicuntur æqualia, vel inæqualia &c.

§. 2.

Quædam noto ex Aegidio.

IN hoc capite notandum est primò ex Aegidio, quod partes numeri aliæ sunt aliquotę, aliæ non aliquotæ; partes aliquotæ sunt illæ, quę aliquoties sumptæ reddunt suum totum, vt bis quinque reddunt decem; partes non aliquotæ sunt illæ, quæ aliquoties sumptæ non redduut suū totum, vt septem & tria, aliquoties enim sumptæ non possunt reddere decem.

Notandum 2. quod numerorum alius est perfectus, alius diminutus, alius superabundans; perfectus est ille, cuius omnes partes aliquotæ simul sumptæ reddunt suum totum neque plus neque minus; vt sex. Diminutus est ille, cuius partes aliquotæ simul sumptæ non possunt reddere suum totum, vt octo. Numerus superabundans est ille, cuius partes aliquotæ aliquoties simul sumptæ plus reddunt quam suum totum; vt septem.

Notandū 3. quod oratio in mente non est quantitas, nec oratio in scripto, nec etiam oratio in prolatione; istæ enim sunt qualitates; sed oratio quæ est mensura orationis prolatæ est species quantitatis; & hæc

hæc est quædam mora, prout multum vel paucum moramur in prolatione illius vocis; & sub ista ratione oratio est quantitas, & ideo Aristoteles in textu ait. Dico autem orationem prolatam cum voce &c.

Notandum 4. Quod locus est vltima superficies corporis ambientis immobilis, & est in corpore ambiente, vt in subiecto. Hæc autem superficies dicitur vltima, in quantum per eam corpus terminatur; dicitur autem locus, prout locatum continet; & ita cum eadem sit superficies & locus, benè dicitur quod partes loci copulentur ad lineam; & partes corporis immediatè copulantur ad superficiem mediatè autem ad lineam; vnde sensus Aristotelis est, quod partes loci copulantur ad eundem terminum immediatè, ad quem partes corporis copulantur mediatè, scilicet, ad lineam. Ita ex Aegidio.

§. 3.
Dubia expedio.

IN hoc capite. Dubitatur primò: *An Genus generalissimum huius prædicamenti sit quantitas in abstracto, an in concreto.*

Respondeo cum Aegidio cap. de Quantitate, quod supremum genus huius prædicamenti est quantitas in abstracto; & pro intelligentia notandum est, quod omne prædicamentum accidentale dupliciter prædicari potest, primò in quid, & hoc est respectu suorum inferiorum; secundò in quale, & hoc est respectu primæ substantiæ. Penes primum modum constituuntur in esse prædicamenti, et vnum prædicamentaliter, et essentialiter ab altero distinguitur: penes secundum distinguuntur in ordine ad communicandum suas formalitates primæ substantiæ: cum enim omnia accidentia sint propter exornandam, et complendam substantiam, omnia ad eam ordinatur, eique suos effectus communicant. Insuper primus modus prædicandi conuenit accidentibus in abstracto, secundus verò conuenit accidentibus in concreto.

Quo notato probatur conclusio ex Aegidio, quia illud est supremum genus alicuius prædicamenti accidentis quod essentialiter de suis inferioribus prędicatur; sed sola quantitas in abstracto prædicatur essentialiter de suis inferioribus; ergo &c. probatur minor, quia accidendentia in concreto non prædicantur essentialiter, sed tantum denominatiuè, ideo dicit Aegidius, quod hæc propositio est essentialiter falsa, linea est quanta; quia linea est quid simpliciter; quantum vero dicit aggregatum ex subiecto & accidente, ideoque non potest essentialiter prędicari, cum implicet aliquid, quod sit extra suum genus, seu extra essentiam sui prædicamenti.

Confirmatur ex Aristotele 7. met. tex. 25. dicente. Quod autem natura accidens dicitur, vt album, propterea quod duplex significat, non est verum dicere quod quid erat esse; & reddit rationem, quia cum significent res diuersorum prædicamentorũ, non sunt vnius quidditatis & essentiæ, nec faciunt vnum per se, & per consequens non ponuntur in prædicamento, cuius essentia est cum altero impermixta, & ex entibus per se coalescit; ergo &c.

Con-

Confirmatur quia accidens & subiectum non sunt vnius quidditatis & essentiæ; ergo non possunt conuenire sub eodem genere, vel prædicamento. Hinc Aristoteles 3. top. cap. 1. docuit iustitiam esse in genere, non autem iustum; ergo &c.

Dubitatur 2. ***An essentia quantitatis consistat in ratione mensuræ, aut diuisibilitatis proximæ, aut extensionis.***

Pro resolutione noto cum Aegidio quodl. p. q. 7. & theor. 29. de corp. Christ. quod extensio est moles illa, quam intelligimus in substantia corporea quantitate affecta. Noto 2. ex Aegidio theor. 6. & 12. quod extensio duplex est; alia est in ordine ad se, seu ad totum, & hæc consistit in hoc quod vna pars sit extra aliam, & vna non sit alia, vt quod caput non sit pectus, pectus non sit bracchium, &c. alia est extensio in ordine ad locum; & hæc consistit in hoc, quod .s. totum corpus occupet totum locum, & pars corporis occupet partem loci, ita vt vna pars non occupet locum alterius.

Dico essentiam quantitatis tantum consistere in extreitare, seu extensione partium in ordine ad se.

Ratio Aegidij est, quia sine tali extensione non potest esse quantitas, nec intelligi: ergo talis extensio est essentia quantitatis: pr. ant. tùm quia si definiretur quantitas definitione non per additamentum, extensio in ordine ad se poneretur in definitione quantitatis: tùm quia punctus ideo non est quantitas, quia non habet talem extensionem: ergo sine extensione non potest esse quantitas nec intelligi intellectione expressiua suæ quidditatis.

Colligo non consistere in extensione in ordine ad locum, quia ex Aegidio theor. 6. & 12. & quodl. p. q. 4. potest esse vera quantitas sine extensione in ordine ad locum: nam in Sacramento Altaris est vera quantitas corporis Christi, quæ tamen non est extensa in ordine ad locum.

Confirmatur ex Aegid. theor. 12. ordo partium in ordine ad locũ variari potest inuariata essentia quantitatis: ergo &c. pr. ant. ordo partium ad locum sumitur ex maiori, vel minori approximatione ad cœlum, vt illæ dicantur partes superiores, quæ magis appropinquant cœlo: illæ vero inferiores, quæ magis distant: ordo vero partium in ordine ad totum est inuariabilis; nam sumitur ex eo quod os sit in capite, caput supra pectus, pectus supra ventrem &c. & proinde caput dicitur pars superior, pectus inferior, &c. sed potest esse quod pars superior in ordine ad totũ, sit inferior in ordine ad locum; vt si homo ponat caput supra terram, et pedes eleuet in altum: tunc enim pedes qui sunt partes inferiores in ordine ad totum, erunt superiores in ordine ad locum; et sic de facto est in plantis, nam radices sunt partes superiores in ordine ad totum, sunt tamen inferiores in ordine ad locũ: ergo manente inuariato ordine partium ad totum, variatur ordo earumdem ad locum; ergo in tali ordine non poterit consistere essentia quantitatis, quæ semper permanet inuariata.

Colligo secundo non consistere in ratione mensuræ, quia aptitudo

ad

ad mensurandum supponit extreitatem partium; ideo enim res est mensuratiua, quia habet extreitatem partium, & hac de causa punctus non est mensurabilis nec potest mensurare.

Colligo 3. non consistere in diuisibilitate, quia quod non habet partes diuidi non potest, & ob id punctus est indiuisibilis: ergo ideo aliquid est diuisibile, quia habet partes.

Dubitatur 3. ***An quantitas secundum rem distinguatur à substantia secundum rem?***

Noto cũ Aegidio theor. 27. quod prædicamenta possunt considerari vel secundum rem, vel secundum modum: secundum rem sunt impermixta, vnde id quod est substantia secundum rem, non potest esse quantitas secundum rem: at secundum modum permiscentur, & sibi ad inuicem communicant suos modos: duplex ergo datur substantia alia secundum rem; alia secundum modum; sic duplex datur quantitas, alia secundum rem, alia secundum modum, & sic de alijs. Tunc.

Dico cum Aegidio substantia secundum rem distinguitur à quantitate secundum rem. Et non dico an realiter simpliciter, vel realiter secundum quid, an formaliter.

Ratio autẽ est, quia quodlibet habet quod sit hæc res, vel illa à sua forma; quælibet enim forma dat rei quod sit hæc, & non sit alia ab illa; cum quælibet forma sit vnitas quædam, & vnitas conuertatur cum entitate: sed forma qua constituitur substantia est diuersa à forma, qua constituitur quantitas: vna enim dicit esse per se, alia entitatem partium: ergo substantia secundum rem distinguitur à quantitate secundum rem.

Dubitatur 4. ***An substantia præcisa quantitate habeat partes entitatiuas?***

Resp. cum Aegidio theor. 29. & 30. neg. Ratio est, quia effectus formalis essentialiter conueniens vniformæ, non potest conuenire subiecto ante receptionem talis formæ: nam quia albedo formaliter habet reddere album, non potest subiectum esse album ante albedinem: sed extreitas partium est effectus formalis conueniens essentialiter quantitati: ergo non potest conuenire subiecto, .s. substantiæ ante aduentum quantitatis. Licet autem aliqua substantia præcisa quantitate habeat partes physicas, vt materiam, & formam: vel metaphysicas, vt genus, & differentiam: non tamen habere potest extreitatem partium sine beneficio quantitatis.

Dubitatur 5. ***An Linea, Superficies, & Corpus sint species quantitatis continua?***

Resp. cum Aegidio c. de quant. affirmatiuè. Ratio est, quia linea, superficies, & corpus essentialiter habent partes: nam à se ipsis, et non ex alterius beneficio habent extensionem, & diuisibilitatem: ergo sunt veræ, & propriæ species quantitatis.

Confirmatur, quia partes lineæ copulantur punctis: partes superficiei copulantur lineis: et partes corporis copulantur superficiebus: ergo nedum sunt quantitates, sed etiam sunt quantitates continuæ.

Secundò, linea ita habet partes copulatas termino communi .s. puncto; vt vna pars non sit nisi post aliam, in quo consistit quidditas li-

 neæ.

neæ. Superficies ita habet partes copulatas termino communi, vt vna pars superficiei non solum sit post aliam, sed etiam circa aliam, in quo cõsistit formalitas superficiei. Corpus verò ita habet partes copulatas suo termino communi, vt vna pars non solum sit post aliam, et circa aliam, sed etiam sub alia, in quo cõsistit formalitas corporis: ergo erunt tres species quantitatis continuæ, formaliter, et quidditatiuè distinctę. Et licet superficies includat lineam, et corpus includat superficiem: hæ tamen inclusiones non pertinent ad rationes formales, et principaliter significatas per superficiem, et corpus; sed tantum ad rationes implicatas, vel materiales: vnde superficies implicat lineam, et sic materialiter eam includit; formaliter tamen tantum dicit partes circa alias: corpus implicat superficiem, formaliter verò dicit tantum profunditatem. Sic album implicat subiectum, formaliter tamen dicit solam albedinem, et ideo formaliter nedum specie, sed etiam genere distinguitur à subiecto; ita pariter erit de superficie, et corpore, quia licet habeant implicantiam in eodem genere; hæc tamen non est formalis, ideo adhuc saluatur diuersitas specifica.

Dubitatur 6. *An motus sit species quantitatis?*

Resp. ex Aegid. cap. de quant. pag. 21. neg. quia motus non habet continuitatem ex se, sed tantum à spatio, & magnitudine: ergo per se non potest esse quantitas continua, sed tantum per accidens, & ratione alterius.

Dubitatur 7. *An tempus sit quantitas continua?*

Resp. cum Aegidio quodl. 5. q. 20. quod tempus formaliter est numerus, & quantitas discreta; materialiter verò est quantitatis continuæ. Ratio est, quia tempus formaliter est numerus numeratus ab anima secundum prius, & posterius: nam prius, & posterius in motu, quatenus sunt numerata ab anima complent rationem temporis: sed numerus formaliter est quantitas discreta: ergo &c. Quia verò huiusmodi numerus tanquam in subiecto habet esse in re continua; ideo tempus ratione subiecti, .s. ratione motus primi mobilis, qui est vniformis, & continuus, habet continuitatem.

Dubitatur 8. *An locus sit species quantitatis continua?*

Resp. cum Aegidio q. 4. de mensura angelorum affirmatiuè. Et noto quod sicut linea clauditur duobus punctis, quorum vnum est initiatiuum, alterũ verò terminatiuum, sic corpus continetur in loco à duobus superficiebus, quarum vna est concaua, vt est superficies corporis circumscribentis aliud corpus, altera est conuexa, vt est superficies corporis circumscript. Superficies cõcaua est locus, conuexa verò tantum dicitur superficies; vnde locus supra superficiem tãtum addit continentiam, vel ordinem ad corpus contentum.

Ratio autem est, tum quia ab Aristotele cõnumeratur inter tales species: tùm etiam quia ex Aegidio in explicatione textus, partes loci copulãtur ad eumdem terminum communem, ad quem copulantur corporis particulæ.

Dubitatur 9. *An vnitas, quæ est principiũ numeri cõuertatur cũ ente?*

Resp.

Resp. ex Aegidio p. s. d. 24. qu. 2. & 4. met. q. 5. negatiuè. Probatur tùm quia hæc vnitas est in prædicamento quantitatis saltim reductiuè; & ideo non potest transcendere limites quantitatis, & conuerti cum ente: tùm quia hæc vnitas consideratur ab Arithmetico; vnum verò quod conuertitur cum ente consideratur à metaphysico.

Dubitatur 10. ***An vnitas, quæ est principium numeri dicat quid positiuum?***

Resp. cum Aegidio 4. met. qu. 9. & p. s. dist. 24. q. 3. Ratio est, quia quantitas dupliciter rem perficit etiam positiuè. Vno modo perficit rem in se consideratam; alio modo per comparationem ad partes: vt perficit rem in se, dicitur vnitas: vt perficit eam in comparatione ad partes, dicitur continuum, & sic ex illa eadem re, ex qua habet aliquod vt sit continuum, habet etiam quod sit quid vnum, quod est principium numeri: sed continuum dicit quid positiuum: ergo & vnum quod est principium numeri. Vide Aegidium si nunc plura cupis.

Dubitatur 11. ***An vnitas, quæ est principium numeri, sit quantitas?***

Resp. cum Aegidio 4. met. qu. 11. quod supremum genus prædicatur de illis, quæ intra suos limites continet aliquando vniuocè; & aliquando analogicè: aliquando nullo modo: nam de illis, quæ ponuntur directè prædicatur vniuocè; sic substantia prædicatur de corpore, viuenti, animali, & homine; de illis autem quæ ponuntur per reductionem vt principia, non prædicatur nisi analogicè; & sic substantia dicitur analogicè de materia, & forma: aliquãdo verò nullo modo de aliquibus prædicatur, vt de illis quæ reducuntur ad genus, vt actus, vel habitudo substantiæ: & sic non prædicatur aliquo modo de esse, de æuo, & de nunc æui: ita etiam dicendum est de quantitate: hæc enim prædicatur vniuocè de quantitatibus, quæ directè sub suo prædicamento collocantur: de illis verò, in quibus non saluatur simpliciter ratio quantitatis, sed tantum secundum quid; prædicatur analogicè: at de illis, in quibus nullo modo reperitur ratio quãtitatis, & sunt in ea vel vt principium, in quo non saluatur ratio extensionis, vel vt terminus quantitatis, nullo modo prædicatur in recto, sed tantum in obliquo, ideo non dicitur punctus, et vnitas sunt quantitates; sed in obliquo sunt principium, vel terminus quantitatis.

Dubitatur 12. ***An numerus sit ens reale extra animam?***

Resp. cum Aegidio cap. de quantit. in explicat. textus affirmatiuè. Ratio autem est tùm quia ab Aristotele diuiditur quantitas in continuam, & discretam; quantitas autem est ens reale extra animã: ergo &c. Tum etiam quia quantitas discreta est eadem realiter cum quantitate continua: & tantum distinguitur, vt perficit rem in se, & vt perficit in ordine ad partes: sed quantitas continua est ens reale extra animam: ergo &c.

Dubitatur 13. ***An numerus sit vnus, vel multiplex?***

Resp. cum Aegidio cap. de quant. dub. 2. numerum esse vnum. Ratio est primò, quia numerus est quantitas: ergo est ens: sed ens, & vnum conuertuntur: ergo numerus erit

vnus. Secundò, quia illud quod semel est id, quod ipsum est, vnum est: sed numerus semel est id, quod ipsum est: ergo numerus vnus est.

Addit tamen quod numerus est vnus secundum formam, & speciem suam: est autem multus secundum partes integrales: vnde bene potest stare, quod aliquid sit vnum secundum formam; sit autem multa secundum partes materiales, vt patet in homine, & in domo; sic etiam in numero.

Dices. Ex duobus entibus in actu non fit tertium: sed vnitates sunt actu existentes: ergo ex ipsis non potest fieri vnus numerus.

Respondet vnitates omnes in numero habere se ratione materiæ, & in potentia excepta vltima, quæ habet se ratione formæ.

Dices. Ex non quantis non potest fieri quantum; sed vnitates non sunt quantæ: ergo ex eis non potest fieri vna quantitas, & sic nec vnus numerus.

Respondet dist. ma. ex non quantis nullo modo quantis concedo: ex non quantis in actu, quantis tamen in potentia non fit quantum nego: licet autem vnitates non sint quantæ actu; sunt tamen in potentia.

Dubitatur 14. *An numerus reperiatur in Angelis?*

Resp. cum Aegidio 4. met. q. 10. & 2. s. d. 3. p. p. q. 2. a. 2. quod si loquamur de numero constituto ex vnitatibus substantialibus: sic in angelis est numerus, quia in eis sunt plures vnitates substantiales, siue accipiantur huiusmodi vnitates secundum formam, siue secundum formam signatam. Sed si loquamur de numero constituto ex vnitatibus quantitatiuis; sic in angelis non est numerus: hic enim est ille numerus de quo considerat Arithmetica, & qui causatur ex diuisione continui; vnum enim quod est principium huiusmodi numeri, est idem quod continuum, & quia angeli non habent quantitatem, ideo nec habent numerum quantitatiuũ. Habent etiam numerum constitutum ex vnitatibus qualitatiuis: quia in vno, & eodem angelo sunt multę qualitates, vt multæ naturales potentiæ, vel multæ operationes. Vnde in eis non est numerus propriè; quia hic tantum est species quantitatis; est tamen numerus large, vt dicitur de omni multitudine vnitatum substantialiũ, vel qualitatiuarum.

Dubitatur 15. *An Numerus, & Oratio differant specie?*

Resp. cum Aegidio cap. de quantit. dub. 3. affirmatiuè: differunt enim in duobus, primò quia numerus mensurat res permanentes; & non successiuas, nisi etiam in quantum habent permanentia. Differunt secundò, quia numerus non determinat sibi aliquam materiam, sed habet indifferenter omnia mensurare: sed oratio determinat sibi vocem prolatam, quam habet solummodo mensurare.

Dices. Numerus, & Oratio tantum differunt ratione materiæ, vt quia oratio mensurat successiua; numerus verò permanentia: at hoc est differre tantum materialiter, non verò formaliter, & specificè: ergo: &c.

Respondet quod sicut permanentia, & successiua differunt formaliter; sic etiam illæ differentiæ differunt formaliter.

Du-

Dubitatur 16. *An numerus, & tempus differant formaliter?*

Resp. cum Aegidio loc. cit. affirmatiuè: quia oratio mensurat ratione discretorum; tempus autem ratione continuorum; & sic habent diuersam rationem mensurandi.

Dubitatur 17. *An quantitati sit aliquid contrarium?*

Resp. cum Aegidio cap. de quantitate dub. vlt. quod duplex est contrarietas s. generis prædicabilis, & generis subijcibilis: contrarietas generis prædicabilis est inter differentias oppositas sub eodem genere: sed contrarietas generis subijcibilis est prout contraria sunt vicissim in eodem, & sic sumuntur hic contraria: & hoc pacto quantitas non suscipit contraria: sed solum qualitas, & illa quæ causantur à qualitate.

Dubitatur 18. *An Aristoteles bene probet magnum, & paruum non esse contraria, ex eo quod vnus mons respectu vnius potest esse magnus, & respectu alterius, paruus, vnde si essent contraria, duo contraria possent esse simul in eadem?*

Respondet Aegidius affirmatiuè, nec ratio Aristotelis peccat per ignorantiam Elenchi, immò bene valet: nam contraria nec eodem respectu, nec diuersis possunt esse in eodem: sed magnum, & paruum possunt esse in eodem diuersis respectibus: ergo &c. Neque est ibi fallacia ignorantiæ; nam fallacia ignorantię fit in negatiua, non in affirmatiua: bene enim sequitur, quod iste est pater illius, & filius alterius: ergo est pater, & filius: sed si arguerem negatiuè, non valeret argumentum: nam non sequitur, non est pater illius: ergo non est pater. Ratio autem quare non valeat in negatiua est, quia cum dicitur non est pater istius, negatur pater ab illo: cum autem dicitur, non est pater; simpliciter negatur pater; sed in affirmatiua cum dicitur; iste est pater illius, bene sequitur: ergo est pater; nam non affirmatur pro quolibet esse patrem; & quia Aristoteles arguit affirmatiuè, ideò non committit fallaciam Elenchi.

Dubitatur 19. *An magnum, & paruum sint quantitates?*

Respondet Aegid. cap. de quantit. in fine, quod magnum, et paruum significant magnitudinem, & paruitatem, quæ sunt quantitates; tamen istæ quantitates dicuntur in comparatione; & sic dico quod principaliter significant quantitates comparatas, & ita ex consequenti sunt relatiua, quia ex quo quantitatem comparatam significant, dicuntur ad aliquid.

Dubitatur 20. *An omnibus quantitatibus competat proportionabiliter commensurari?*

Resp. cum Aegidio 1. post. pag. 30. quod proportio est aliqua certa habitudo vnius quantitatis ad aliam: proportionalitas verò est similitudo proportionum; & vt probatur 10. Geometriæ. aliquæ quantitates relatæ ad alias sunt omnino surdæ, & incommensurabiles, & actu, & potentia; immo si velimus rectè loqui; licet omnes numeri sint ad inuicem proportionabiles: non tamen omnes quantitates continuæ proportionantur ad inuicem, immò quælibet quantitas continua habet quantitates simetras, & commensurabiles; aliquas verò assimetras, & surdas. Cum ergo quæritur, an omni-

ni-

nibus quantitatibus competat &c. Dici debet quod conuenit omnibus quantitatibus, non secundum quod quantitates sunt, nec vt accipiuntur simpliciter,& comparantur ad quascunque quantitates: sed vt comparantur ad quantitates sibi proportionabiles, quia nulla quantitas est, quæ non habeat aliquam quantitatem sibi proportionabilem. Hæc Aegidius ibi. At de quantitate satis.

CAPVT XIX.
De Ad Aliquid.

§. 1.
Explicatio Textus.

TExtus. *Ad aliquid vero talia dicuntur, quæcunque hoc ipsum quod sunt, &c.*

Intentum Aristotelis in hoc capite est determinare de prædicamento relationis.

Diuiditur hoc caput in duas partes principales in prima agit de hoc prædicamento secundum opinionē antiquorum tum quoad substantialia: tùm quoad accidentalia: in secunda illam opinionem corrigit, & ex propria sententia agit de relatione, tùm quoad substantialia; tùm quoad accidentalia.

Quantum ad primam partem dicit quod ea dicuntur ad aliquid .s. relatiua, quæcumque hoc ipsum quod sunt aliorum esse dicuntur .i. in genitiuo: vel quomodolibet aliter .i. in alijs casibus. In genitiuo quidem, vt maius minoris maius (Græcè loquendo hi enim carent ablatiuo) scientia rei scibilis scientia, habitus rei habentis habitum habitus; dispositio alicuius dispositio; positio rei positæ positio. Et ne quis crederet, quod sicut positio, sessio, & statio sunt relatiua; ita etiam sint talia positum esse, sedere, & stare; ait quod sedere, & stare non sunt ad aliquid, nec positiones: sed denominatiuè dicuntur à positionibus denominatiuum autem nō est idem cum illo, à quo denominatur, ideo positum esse est prædicamentum situs, positio vero est in prædicamento relationis. In alijs autem casibus, vt similis simili similis, mons magnus ad montem paruum, & maius minori maius. Affert autem Aristoteles exempla de habitu, & scientia, quæ sunt de genere qualitatis, cum primo significent qualitatem, vt tacitè ostendat hanc definitionem non esse relatiuorum secundum esse; sed secundum dici.

Inde agit de proprietatibus dicens, quod proprium est relatiuorum habere contrarium, vt virtus, & vitium sunt contraria: licet enim virtus, & vitium secundum esse sint de genere qualitatis: cum primo significent qualitatem: tamen prout supra illas res fundatur ratio contrarietatis sic sunt ad aliquid. Hæc proprietas non conuenit cuilibet relationi: nam pater et filius, duplum & dimidium non habent contrarium.

Secunda proprietas est suscipere magis, & minus; vt simile, & dissimile, æquale & inæquale dicuntur magis, & minus talia. Neque hæc conuenit omnibus; nam duplum, & dimidium non dicuntur magis, & minus talia.

Tertia proprietas est dici ad conuertentiam: vt pater filij pater; & filius patris filius. Addit tamen hanc

con-

conuertentiam non semper fieri in eodem casu, sed aliquando in eodem, aliquando in diuerso. In eodem quidem, vt exemplificatum est de patre, & filio; in diuerso vero, vt disciplina disciplinati disciplina; sed si conuertatur, conuersio erit in casu diuerso .s. in ablatiuo, vt disciplinatum disciplina disciplinatum; & idem est in sensu, & scientia; dicitur enim in genitiuo, scientia alicuius scibilis scientia: sed quando fit conuersio dicitur in ablatiuo. Scibile aliqua scientia scibile. Et quia relatiua aliquoties non videntur dici ad conuertentiam vt si dicatur; ala auis ala; non sequitur auis alæ auis: cum multa animalia, quæ non sunt aues alas habeant, vt quidam serpentes: ideo asserit ad ęqualem conuertentiam necesse esse aliquando nomina fingere accipiendo ea à principalioribus, vt ab ala alatum, à remo remitum, à capite capitatum, & tunc erit recta conuertentia: nam istæ conuertuntur. Caput capitati caput, remus rei remitæ remus, & ala alari ala: quæ tamen non conuerterentur, si caput assignaretur animali: cum multa sint animalia sine capitibus: si remus naui, & ala aui assignaretur; cum multæ sint naues sine remis, multæ alę sine auibus. Vnde si conueniens assignatio fiat, semper relatiua dicentur ad conuertentiam. Quod autem si fiat conueniens assignatio omnia relatiua dicantur ad conuertentiam, probat Aristoteles, quia certum est quod Dominus, & seruus dicuntur ad conuertentiam; tamen si seruo pro correlatiuo assignaretur homo, vel bipes, tunc seruus non posset conuerti; quia non esset verum dicere, homo serui homo; & seruus hominis seruus; vnde vt bene assignetur, oportet quod assignetur aliquid, ad quod seruus referatur, vt Dominus v.g. & tunc conuertetur, seruus enim Domini seruus est; ex quo patet ad veram assignationem requiri vt assignetur correlatiuum.

Ratio autem Arist. est, quia tunc est vera assignatio correlatiui, quando id, quod pro correlatiuo assignatur est tale, vt circumscriptis omnibus alijs per intellectum, adhuc relatio maneat: tunc vero non est conueniens assignatio correlatiui, quando circumscriptis omnibus alijs per intellectum, & ipso manente, non manet relatio, vt si seruo assignaretur Dominus, tunc circumscriptis omnibus alijs à Domino, vt esse bipedem, album, &c. adhuc manet relatio serui ad ipsum; si vero assignaretur homo, tunc ablatis alijs per intellectum non manet relatio; nam ablato Domino, & remanente homine tollitur relatio serui: ergo solus Dominus est verum correlatiuum serui, ad quem relatio reciprocatur, non tamen ad alia: ergo quando fit recta assignatio semper relatiua dicuntur ad conuertentiam.

Quarta proprietas est, esse simul natura .i. naturali intelligentia: vel simul natura .i. aliqua natura communi, quæ est quidam respectus. Probat, quia illa sunt simul natura, quæ posita se ponunt, & perempta se perimunt: sed relatiua sunt huiusmodi: ergo &c. pr. mi. quia simul est duplum, & dimidium: seruus, & Dominus, & si est seruus, est Dominus: & si non est duplum non est dimidium, & è conuerso: ergo &c.

Contra hanc proprietatem multi-plici-

pliciter insurgit Aristoteles, non tamen obiectiones soluit ob rationem quam in fine capitis adducit, &

Primo sic scibile, & scientia sunt relatiua, & tamen non sunt simul natura, quia scibile est prius scientia: ergo proprietas non est vera de omnibus: pr. ant. omne quod accipitur ab alio, posterius est illo à quo accipitur: sed scientia accipitur à scibili: ergo scientia est posterior, & scibile est prius: pr. mi. quia nos accipimus scientiam ex pluribus rebus prius existentibus.

Secundo illud quod interemptum interimit aliquid, & non è conuerso, dicitur esse prius: sed scibile interemptum interimit scientiam, & nō è conuerso: ergo scibile est prius scientia: ma. patet, quia destructo priori destruitur posterius, & non è conuerso. Minor quoad primam partem patet .s. quod scibile interemptum interimat scientiam; pr. vero quoad secundam. Primo quia quadratura circuli est scibilis, & tamen eius scientia non est: ergo interempta scientia non interimitur scibile. Secundo sublato animali aufertur scientia, quia omnis scientia est in anima; & tamen non aufertur scibile; nam possunt alia plura esse scibilia, vt elementa: ergo sublata scientia non aufertur scibile.

. Tertio sensibile, & sensus sunt relatiua, & tamen sensibile praecedit sensum: ergo non sunt simul natura. Probatur ant. tùm quia destructo sensibili destruitur sensus, nam animali destructo destruitur sensus, qui est in animali: animali tamen destructo non destruitur sensibile: tùm etiam quia quando aliqua sunt simul quidquid praecedit vnum, praecedit & reliquum: sed sensus, & sensatum sunt simul: ergo &c. sed sensibile praecedit sensatum; nam sensatum est animal, & sensibile praecedit animal, quia animal est compositum ex quatuor elementis, quae sunt sensibilia: ergo &c.

Quantum ad secundam partem, vt ostendat datam definitionem de relatiuis non esse bonam mouet difficultatem de substantia, an .s. sit ad aliquid, & ait quod si vera est data definitio, aliqua substantia erit ad aliquid: licet enim substantia totalis vt homo, vel bos non sit ad aliquid: nam homo non dicitur alicuius homo, nec bos alicuius bos: substantia tamen partialis videtur ex data definitione dici ad aliquid: nam caput dicitur alicuius caput, & manus dicitur alicuius manus. Si ergo illa definitio data sit bona, aut nimis difficile, aut impossibile erit soluere propositam de substantia difficultatem. Quod si relatiua definiantur sic. Relatiua sunt, quorum hoc ipsum esse est ad aliud quodammodo se habere; tunc planum erit quod nulla substantia dicitur ad aliquid. Quod si quis asserat primā definitionem cōuenire omnibus relatiuis; ergo est bona. Respondet Arist. quod etsi conueniat, non tamen bene in ea ponitur, ly hoc ipsum quod sunt aliorum dicuntur: quia omnia relatiua non dicuntur ad aliud secundum illud quod sunt: sed quodam modo .i. in respectu.

Ex his colligit proprietatem relatiuorum maxime propriam, per quam etiam respondet ad difficultatem de substantia; & ait quod relatiua sunt simul cognitione distincta: nam qui definite nouit vnum relatiuo-

uorum, nouit & reliquum: vt qui definitè, & distinctè cognoscit aliquod esse duplum, necesse est, vt definitè, & distinctè etiam cognoscat aliquid esse dimidium, & è conuerso: et si distinctè aliquis cognoscat alium, vt patrem, necesse est vt filium quoque distinctè cognoscat, et si vnum confusè, ita et alterum. Hinc soluit difficultatem de substantia partiali dicendo: posse aliquem cognoscere distinctè quid est manus, et caput, etiam si non cognoscat distinctè cuius est manus, vel caput; et ideo substantiæ illæ non dicuntur ad aliquid. Ex quo etiam infertur relatiua secundum dici non esse simul cognitione. Addit autem quod de hoc prædicamento, et non de alijs, determinauit disputando; quia de huiusmodi rebus difficilè est determinare, nisi summopere fuerint pertractata; et dicit quod dubitare de singulis cum rationibus ad vtramque partem, nō est inutile.

§. 2.

Quædam circa literam noto.

Circa literam noto primò ex Aegidio, quod Aristoteles determinat de relatione in concreto, non in abstracto, quia relatio inter omnia entia habet debilius esse; ita vt quidam existimauerint relationem esse ens rationis, et non naturæ; hoc tamen est falsum, vt videbitur: quia ergo debilius esse habet, idcircò determinat in concretione de relatiuis, et non de relatione: concreta enim magis cadunt in cognitione nostra, quam abstracta.

Noto 2. quod habere contrarium non competit omnibus relatiuis, duplum enim, & dimidium sunt relatiua, & tamen non habent contrariū: Ratio autem est, quia relatiua cum per se non sint, sed fundentur in alijs prædicamentis, sequuntur naturam prædicamenti, in quo fundantur: vnde si relatio fuerit fundata in qualitate habebit contrarium: vt virtus, & vitium: si in substantia, vel quantitate, non habebit contrarium; & ideo duplum, & dimidium, quia fundantur in quantitate, non habent contrarium. Non est autem intelligendum, quod relatiuum sit contrarium alteri correlatiuo; vt virtus habenti virtutem: sed alicui alteri rei, vt virtus vitio; ambo enim sunt relatiua, sed non ad se inuicem.

Noto 3. circa alteram proprietatem relatiuorum, nempe circa suscipere magis, et minus, quod Aristoteles asserit æquale, et inæquale suscipere magis, et minus, quod tamen non videtur verum; tum quia æqualitas fundatur in quantitate, quæ non suscipit magis, et minus: tùm quia æqualitas consistit in indiuisibili, citra quod, et vltra quod inæqualitas est; ideo non potest dici magis, vel minus æquale.

Porphyrius circa hanc difficultatem asserit, quod æquale, et inæquale non sunt species quantitatis, sed proprietates; proprietates autem non sunt in eo prædicamento, cuius sunt proprietates, vt risibilitas est proprietas hominis, et tamen non est substantia, sed accidens: ideo æquale, et inæquale possunt habere magis, et minus, quia nō sunt quantitates, sed passiones quantitatis.

Ammonius ait non posse reuera æquale dici magis, et minus æquale, ideo vel delenda esse illa verba Ari-

ftotelis; vel si admittantur, dicendum erit Aristotelem pingui minerua locutum esse, et secutum esse ipsum loquendi abusum, quod in hoc libro non est inconueniens.

Dicendum tamen est cum Aegidio, quod æquale, et inæquale possunt considerari, vel in eadem dimensione; et sic æquale non dicitur magis, et minus: nam æqualitas in puncto consistit, vel in diuersis dimensionibus, et sic dicitur magis, et minus: nam inæqualitas, quæ est secundum longitudinem, et latitudinem, magis contraria est, quam illa, quæ est solum secundum longitudinem.

Noto 4. quod dici ad conuertentiam nō est proprietas relatiuorum quarto modo; quia licet competat omnibus relatiuis, non tamen competit solis; nam homo, et risibile dicuntur ad conuertentiam inter se, et tamen non sunt relatiua, quia nec homo refertur ad risibile, nec risibile ad hominem. Aristoteles tamen nihil de hac re dicit, quia non ex propria sententia, sed ex antiquorum opinione loquitur.

Noto 5. quod relatiua, seu ea, quę sunt ad aliquid, in plurali numero dicuntur, quia duo sunt, quæ inter se mutuam relationem habent, vt pater, et filius; dominus, et seruus. Relatio est ille respectus medius inter ista duo, et ideo relatiua duo sunt, relatio autem vna. Duorum autem relatiuorum alterum vocatur fundamentum, alterum verò terminus: fundamentum vocatur illud, à quo denominatur relatio; vt si respectum qui est inter patrem, & filium appellemus paternitatem, pater est fundamentum huius relationis, filius verò est terminus: si verò eumdem appellemus filiationem, filius erit fundamentum, & pater erit terminus: fundamentum autem, vel est proximum, & semper est aliquod accidens, vel remotum, & est ipsum subiectum à quo denominatur relatio. Correlatiuum est id, quod non tantum refertur ad aliud; sed etiam terminat relationem sui relatiui, & distinguitur in hoc à relatiuo, quod relatiuum tantum habet referri ad aliud, abstrahendo ab eo quod terminet, vel non terminet relationem alterius. Terminus purè, & præcisè, vt terminus differt à correlatiuo, quia de ratione puri termini non est, quod sit relatiuus, vel absolutus; de ratione verò co relatiui est simul terminare, & referri.

Noto 6. ex Aegidio 1. sent. d. 30. p.p. q.1. & ex quodl.4.q.8. quod de relatione communiter fiunt duæ distinctiones, quarum vna est, quod quædam sunt relatiua secundum esse; quædam verò sunt relatiua secundum dici. Dicuntur relatiua secundum esse illa, quæ secundum id, quod sunt pertinent ad prędicamentum relationis, & ideo relatio secundum esse, à qua denominantur relatiua secundum esse, erit illa, quæ importat habitudinem ipsam; vt cum nomen imponitur ad significandam habitudinem relatiuam, vt est paternitas, filiatio, similitudo, & æqualitas. Relatiua secundum dici dicuntur illa, quæ secundum id, quod sunt pertinent ad alia prædicamenta; habent tamen ipsa quemdam modum relatiuum; sicut sciētia est relatiuum secundum dici, quia ipsa secundum se pertinet ad prædicamentum qualitatis, cum sit habitus quidam; habet

bet tamen quemdam modum relatiuum, quia habet quamdam dependentiam, & respectum ad scibile.

Secunda distinctio est, quod quędam sunt relatiua secundum rem; quædam secundum rationem. Relatiua secundum rem sunt illa, quę realiter dependent ab illo, ad quod referuntur, vt scientia nostra refertur realiter ad scibile, quia realiter dependet ab ipso. Relatiua secundum rationem sunt illa, quæ referuntur ad alia, non per relationem, & dependentiam, quæ sit in ipsis, sed quę sit in alijs, sic scibile refertur ad sciétiam, non per relationem, quæ sit in ipso, sed quæ est in scientia. Nam nō possumus intelligere, quod scientia referatur ad scibile, nisi intelligamus, quod etiam scibile referatur ad scientiam: vnde propter relationem, quæ est in scientia secundum rem, est relatio in scibili secundum rationem. Ex his autem prima distinctio applicari potest etiam ad alia prædicamenta, vt dicatur quod alia est substantia secundum esse, alia secundum dici: alia quantitas secundum esse, alia secundum dici; alia qualitas secundum esse, alia secundum dici, vt videre est apud Aegidium quodl. citato. Secunda verò distinctio tãtum relationi competit.

Noto 7. ex Aegidio quodl. cit. quod membra harum distinctionũ non coincidunt ad inuicem, vt putarunt aliqui; sed se habent sicut excedentia, & excessa; nam relatiuum secundum rem potest esse secũdum esse, & secundum dici; & relatiuum secundum rationem potest esse secundum esse, & secundum dici; & quodlibet membrorum alterius distinctionis, sic se habet ad aliam distinctionem. Nam tam relatiuum secundum esse, quam secundum dici, potest esse secundum rem, & secundum rationem: scientia enim, & scibile sunt relatiua secundum dici, cùm sint in alijs prędicamentis à relatione; quia scientia est in prædicamento qualitatis, scibile verò potest esse in quolibet prędicamento; & sic vtrunque est relatiuum secundum dici; scientia tamen est relatiua secundum rem, scibile verò secundum rationem. Sic etiam relatiuum secundum esse, potest esse secundum rem, & secundum rationem, nam dominus, & seruus sunt relatiua secundum esse, quia sunt in prædicamento relationis, tamen dominus dicit relationem secundũ rationem, seruus verò secundum rem.

Ex hac doctrina colligo relatiua transcendentalia esse relatiua secundum dici: nam relatiua transcendẽtalia simpliciter dicunt perfectionem absolutam, habentem tamen quamdam habitudinẽ ad aliud; hæc autem ab Aegidio dicuntur relatiua secundum dici, vnde vtraque relatiua habent eamdem definitionem; sunt enim illa, quæ secundum id, quod sunt, sunt in alio prædicamento à relatione, habent tamen quemdam modum respectiuum ratione cuius dicuntur relatiua secundum dici. Dicuntur autem transcendentalia, quia vagantur per alia prædicamenta, sicut vagari solent modi prædicamentales.

Noto 8. quod ex his relationibus aliæ sunt mutuæ, aliæ non mutuæ: relatio mutua est illa cuius terminus iterum respicit fundamẽtum vel eadem, vel distincta relatione, vt est relatio similitudinis inter duo alba,

quorum vtrumque relatione similitudinis ad alterum refertur, & inter patrem, & filium. Relatio non mutua est illa, cuius terminus nulla relatione refertur ad fundamentum, sed tantum vnum extremum ex illis relatum dicitur, aliud verò tantum est terminus; vt relatio inter creatorem, & creaturam; hæc enim refertur ad creatorem, Creator tamen non refertur ad creaturam. Relatio mutua subdiuiditur; nam alia est æquiparantiæ, vt quando vtrumque extremum eodem modo refertur, sicut duo alba, quorum vtrumque simile dicitur. Alia est disquiparantiæ, & est quando extrema in quibus est mutua relatio, diuerso modo se respiciunt, vt pater respicit filium per paternitatem, & filius respicit patrem per filiationem. Item relationes secundum esse ex Aristotele 5.met.t.20.& Aegidio p.s. præcipue dist. 30. p.p. q. 2. ad tres modos reducuntur; nam vel sunt relatiua modo numeri, vt duplum ad dimidium; triplum ad subtriplum, & vniuersaliter totum ad partem, & è conuerso: vel sunt modo potentiæ, vt calefaciens ad calefactum, ædificans ad ædificatum, et vniuersaliter agens ad patiens, & mouens ad motum: vel sunt modo mensuræ, vt scibile ad scientiam, intelligibile ad intellectum, sensibile ad sensum, & vniuersaliter mensura ad mensuratum; ex his autem relatiua primi, & secundi modi habent relationem realem ad inuicem ex parte vtriusque extremi; at relatiua tertij modi realiter ponunt aliquid tantum in vno extremo in alio verò, quid rationis tantum; nam scientia realiter refertur ad scibile; scibile verò refertur ad scientiam tantum secundum rationem.

Item ex Aegidio p. s. pag. 65. relationes aliæ sunt similes, vt duæ paternitates; aliæ disparatæ, vt paternitas, & similitudo; aliæ oppositæ, vt paternitas, & filiatio.

Item ex Aegidio 1. sent. pag. 160. col. 2. alia sunt relatiua dissimilium nominum, vt sunt relatiua modo numeri, modo potentię, & modo mensuræ: sunt enim dissimilium nominum, quia duplum, & dimidium; agens, & actum; mensura, & mensuratum non important simpliciter idem nomen. Alia sunt similium nominum, vt sunt illa, quæ accipiuntur secundum vnitatem. Vnitas autem triplex est .s. in substantia, in quantitate, & in qualitate. Secundum vnitatem in substantia accipitur relatio identitatis; secundum vnitatem in quantitate accipitur relatio æqualitatis; & secundum vnitatem in qualitate accipitur relatio similitudinis.

Alia tandem ex Aegidio lib. de sex principijs est relatio intrinsecus adueniens, vt est relatio, quæ intrinsecè resultat ex positione fundamenti, & terminis: alia est extrinsecus adueniens, vt est relatio, quæ resultat ex positione extrinseci; aut quæ dicit rem sub ordine.

§. 3.

Dubia cum Aegidio expedio.

IN hoc capite dubitatur 1. *An relatio sit ens reale, vel rationis?*

Resp. cum Aegidio cap. de relat. d. 1. & 2. & quodl. 4. q. 3. & passim alibi, affirmatiuè. Probatur autem primò, quia illud quod determinat ip-

ipsum ens, & in quo saluatur forma entis, illud est ens: sed relatio determinat ipsum ens, & in ea saluatur forma entis: ergo est ens; pr. min. quia ens diuiditur per absolutum, & respectiuum, & illud respectiuum est relatio.

Secundò ex quodl. cit. quia quod habet reale fundamentum in re, & habet realem differentiam ad suum oppositum est ens reale; sed relatio est huiusmodi: ergo &c.

Tertiò, quia est similitudo est à natura; sicut enim à natura est albedo in me, & in te; ita à natura est similitudo inter me, & te: similitudo autem est relatio: ergo &c.

Dubitatur 2. *An relatio habeat proprias species, & differentias?*

Resp. cum Aegidio quodl. 2. q. 5. affirmatiuè. Probatur primò, quia diuersorum generum, & non subalternatim positorum, diuersæ sunt species, & differentiæ: sed relatio est diuersum genus prædicamentale ab alijs, nec habet supra se aliquod, quod sit genus: ergo &c.

Secundò ex eodem, relatio prędicamentalis habet quidditatem distinctam à cœteris prædicamentis: ergo etiam habet species, & differentias distinctas: sicut enim quia prædicamenta absoluta habent distinctas quidditates, habent etiam distinctas species, & differentias: ita quia relatio habet distinctam quidditatem ab omnibus absolutis, debet pariter habere distinctas species, & differentias; ant. pr. quia alia prædicamenta absoluta transeunt in diuinis in substantiam secundum esse, & secundum quidditatem: sola tamen relatio remanet secundum suum genus: ergo habet distinctam quidditatem ab absolutis. Verum tamen est quod huiusmodi species, & differentiæ innotescunt nobis per species, & differentias absolutorũ: quia ea, quæ habent multum excellens esse, & ea quæ multum deficiũt ab esse, subterfugiunt cognitionem nostram, & non per se ipsa, sed per alia à nobis cognoscuntur: & ita se habet relatio, quæ propter suum debile esse, non potest à nobis per se ipsam cognosci, & ideo per absoluta nobis manifestatur, tamquam per magis nota.

Dubitatur 3. *Quodnam sit supremum genus huius prædicamenti?*

Resp. Cum Aegidio cap. de relat. pag. 24. supremum genus huius prędicamenti non esse relatiuum in cõcreto; sed relationem in abstracto, quatenus relatio abstrahit ab hac, & illa specie relationis. Probatur p. pars, quia relatiuum est quid concretum, sed nullum concretum cadit per se in genere, sed tantum per reductionem: ergo nec relatiuum: ergo non potest esse supremum genus huius prædicamenti. Probatur 2. pars, quia illud, quod habet rationem communem communitate generis generalissimi, est genus generalissimum: sed relatio in communi abstracta ab hac, & illa specie relationis habet vnam rationem communem omnibus relatiuis .s. esse in respectu: ergo &c.

Dubitatur 4. *Quomodo relatio differat ab alijs prædicamentis?*

Resp. cum Aegidio quodl. 4. q. 3. quod relatio differt in tribus ab alijs prædicamentis. Primò differt quantũ ad quidditatẽ: quia cœtera prædicamenta secundũ quidditatem sunt aliquid, relatio vero secundũ suã quidditatem

ditatem non est aliquid, sed ad aliquid: nam alia prædicamenta à relatione dicunt ipsam rem, vel secundum se, vel sub aliquo ordine: relatio vero dicit ipsum ordinē, & quia ordo non est aliquid, sed ad aliquid: ideo relatio secundum suam quidditatem nō est aliquid, sed ad aliquid, Secundò differt quantum ad esse, quia relatio non habet aliud esse ab esse fundamenti; cœtera vero prædicamenta habēt aliquo modo aliud esse ab esse fundamenti. Tertiò differt, quia relatio non facit compositionem, sed distinctionem: nam relatio vel consideratur quantum ad suum esse; & sic non habet aliud esse ab esse fundamenti: vt similitudo non habet aliud esse, nec aliud inesse ab esse albedinis, ideo quantum ad esse nullam compositionem facit supra suum fundamentum; non est enim quis compositior ex eo quod est albus, & similis, quam ex eo quod est albus tantum. Vel consideratur relatio quantum ad suam quidditatem, & sic nihil ponit in eo, de quo dicitur, sed totum suum esse est ad aliud se habere; & sic non facit compositionem in aliquo, sed distinctionem ab alio, cum hoc modo non dicat aliquid in aliquo, sed dicat aliquid ad aliquid, vel ad aliud; at alia prædicamenta cum dicant aliquid in aliquo, vel aliquid sub aliquo, faciunt compositionem vel ex his, vel sub his, aut huic.

Dubitatur 5. *An relatio possit aduenire alicui subiecto sine sui mutatione?*

Resp. cum Aegidio quodl. 5. q. 14. affirmatiuè, & probatur ex eodem primò, quia relatio non prædicat aliquid de eo, de quo dicitur, sed totum eius esse est ad aliud se habere; ergo ex solo defectu alterius potest deficere quidditas relationis: v. g. tota quidditas similitudinis est ad aliud se habere, & ideo si aliquid sit album, & aliud non sit album, non dicitur istud simile illi; sed si illud non album, fiat album, incipiet hoc esse simile per mutationem factam in alio, vt quia illud aliud factum est album: ergo ei, quod prius erat album deficiebat similitudo, non quia deficeret sibi aliquid, sed quia deficiebat sibi ad aliquid: ergo sufficit quod sit facta mutatio in illo respectu cuius hoc dicitur ad aliquid, ad hoc quod istud incipiat esse ad aliquid, & habere relationem, quæ est ad aliquid, quam prius non habebat.

Secundò pr. quia relatio non facit compositionem cum fundamento in quo est: ergo potest ei aduenire sine aliqua mutatione facta in eo.

Confirmatur, quia defectus similitudinis potest contingere ex solo defectu qualitatis in alio, ergo acquisitio similitudinis in vtroque potest contingere ex sola mutatione facta in alio, & inde est quod ex 5. Ph. t. 10. ad relationem non datur per se motus, quia potest aliquid relationem acquirere ex sola mutatione facta in alio.

Dubitatur 6. *An inter ens, & non ens sit relatio realis?*

Resp. cum Aegidio quodl. 5. q. 12. & cap. de relat. pag. 23. col. 4. & p. 5. dist. 30. p. p. q. 3. inter ens, & non ens non reperiri relationem realem, sed rationis.

Noto ex Aegid. p. 5. d. 30. cit. quod ad relationem realem inter ali-

aliqua duo tria requiruntur. Primò, quod vtrumque habeat rationem entis; quia nihil ad aliquid, vel alicuius ad nihil non poteſt eſſe realis dependentia. Secundò, quod vtrumque habeat eſſe diſtinctum ab altero, quia ordo realis poſtulat realem diſtinctionē. Tertiò requiritur, quod vnum realiter ordinetur ad aliud; & quodcunque ex iſtis deficiat, non eſt relatio realis, ſed rationis. Propter primum deficit relatio futuri ad futurum; vel præſentis ad futurum, quia in tali relatione, vel vtrumque, vel alterum eſt non ens. Propter ſecundum deficit à relatione reali relatio eiuſdem ad ſeipſum, quia quodlibet à ſeipſo eſt realiter indiſtinctum. Propter tertium deficit à relatione reali, quando vtrumque non eſt quid ordinabile, ſed vnum eſt quid ordinabile, aliud eſt ipſe ordo, & ſic relatio patris ad paternitatem non eſt realis, & vniuerſaliter relatio relatiui ad ſuam relationem, quia relatiuum eſt quid ordinabile, relatio vero eſt ipſe ordo. Deficit etiam quando vnum extremum eſt quid ordinabile, aliud vero non eſt ordinabile, ſed eſt terminus ordinis; & ſic relatio Dei ad creaturas, ſcibilis ad ſcientiam &c. non eſt realis.

Probatur ergo reſponſio, quia relatio realis creata requirit realem dependentiam vnius extremi ab altero; ſed entis à non ente non poteſt eſſe realis dependentia: ergo nec realis relatio.

Secundò ex quodl. cit. quia eſſe, & quidditas relationis conſiſtit in ad aliud ſe habere: ergo ſi ly ad aliud non eſt aliquid ſecundum rem, ſed tantum ſecundum rationem, relatio non erit ſecundum rem, ſed tantum ſecundum rationem.

Dubitatur 7. *An relatio diſtinguatur a fundamento?*

Reſp. Cum Aegidio p. 5. d. 2. q. vltima; & diſt. 11. p. p. q. 2. & 3. & diſt. 33. q. 2. & 3. & diſt. 34. q. p. & quodl. p. q. 6. relationem non diſtingui à fundamento ſecundum eſſe, ſeu realiter; ſed tantum ſecundum quidditatem, ſeu formaliter ex natura rei. Quod vt probem reddo verba Aegidij quodl. cit. Propter quod ſciendum quod relatio non diſtinguitur à fundamento quantum ad eſſe, ſed ſolum quantum ad rationem quidditatis, vt ſi ſimilitudo fundatur in albedine non erit aliud eſſe albedinis, & ſimilitudinis: quia ſimilitudo ſi adderet aliquod nouum eſſe ſupra albedinem cum non poſſit eſſe in aliquo aliud, & aliud eſſe abſque compoſitione, eſſet aliquid compoſitionis ex eo quod eſſet album, & ſimile; quam ex eo quod eſſet album ſolum: quod patet falſum eſſe: realiter igitur nō eſt aliud eſſe relationis, & fundamenti eſt tamen alia ratio quidditatis, quia ſecundum rationem quidditatis reponitur res in prædicamento, quare cum relatio faciat aliud prædicamentū à fundamento, oportet quod habeat aliam rationem quidditatis. Ita Aegidius. Vide Aegidium locis citatis.

Ex hoc autem probatur p. pars relatio non facit compoſitionem cū fundamento: ergo non diſtinguitur realiter à fundamento. Probatur 2. p. Ea diſtinguūtur formaliter ex natura rei, quę diſtinguuntur quidditatiuè: quidditas .n. eſt forma: ſed relatio diſtinguitur quidditatiuè à fundamen-

mento tum ob rationem adductam; tum quia ex dist. 11. cit. referri, & esse non se includunt, sed dicunt quidditates alias: ergo &c.

Secundò ex eodem dist. 33. q. 2. cit. relatio in diuinis distinguitur formaliter ex natura rei ab essentia: ergo & in creatis: pr. ant. quia alias sequeretur duplex inconueniés, primum est, quod tunc relatio in diuinis non maneret quantum ad suum genus; alterum est, quod relationes constituentes personas non facerent realem differentiam inter personas, sed tantũ rationis: sed vtrumque est falsum: ergo &c. pr. mi. quia relatio ex D. P. Aug. lib. 11. de Trinit. c. 5. manet quantum ad suum genus, nam esse patrem, & esse filium non dicuntur secundum substantiam. Probatur altera pars, quia relationes non distinguerentur nisi per conceptum rationis: ergo personę essent tres secũdum rationem, & sic esset Trinitas imaginaria, & per rationem. Ita Aegidius. Hac ratione postea vsus est Scotus, & vtuntur Scotistæ.

Tertiò ex Aegid. quodl. 2. q. 5. ad primum. Ea non distinguuntur realiter, sed tantum quidditatiuè, & formaliter ex natura rei; quæ habent eamdem realitatem, hęc tamen realitas secundum quidditatem non est illa: sed fundamentum, & relatio habent eamdem realitatem, & diuersam quidditatem, quia quidditas vna est relatiua, alia est absoluta: ergo &c.

Dubitatur 8. *An relatio dicat perfectionem?*

Resp. Cum Aegidio in prol. p. sent. p. 1. q. 2. & dist. 11. p. p. q. 2. & dist. 34. p. p. q. 2. lit. M. relationes secundum suum esse Ad, & ratione eius quod relatiuè exprimunt, non dicere in sua linea perfectionem relatiuam. Probatur p. ex eodem, quia omnis perfectio sumitur ex esse: sed relatio vt præcise dicit Ad, non dicit esse, sed ad esse, & referri: ergo vt sic non dicit perfectionem: ma. pr. quia ex hoc sapientia dicit perfectionem in habente, quia dat ei esse sapiens: & bonitas dicit perfectionem, quia dat habenti esse bonum, & sic de alijs: mi. pr. quia relatio secundum esse Ad, non dicit esse, sed referri: referri autem secundum suam rationem formalem, habet esse diuersum ab esse.

Secundò ex dist. p. p. p. q. 2. & ex dist. 33. p. p. q. 3. relationes diuinæ vt præcisè dicunt Ad, non dicunt perfectionem: ergo nec relationes creatæ: pr. ant. quia relationes diuinæ, vt præcise dicunt Ad, non sunt tres bonitates relatiuæ: ergo nec tres perfectiones relatiuæ: pr. ant. quia bonitas diuina est bonitas finis, non est bonitas ordinis: ergo licet relationes diuinæ dicant diuersas quidditates relatiuas, non tamen dicent tres bonitates, & perfectiones relatiuas. Accedit quod Pater, Filius, & Spiritus Sanctus non sunt tres bonitates, sed vna bonitas ex 5. de Trinit. c. 4. Neque ens, & bonum conuertuntur quantum ad significata: sed tantum quantum ad supposita, i. quatenus ens habet esse in suppositis.

Dubitatur 9. *An relatio fundetur in substantia?*

Resp. Cum Aegidio quodl. 4. q. 8. quod relatio secundum dici potest immediatè fundari in substantia, vt patet ex explicatione textus: relatio

tamen

tamen ſecũdum eſſe non poteſt immediatè fundari in ſubſtantia: quia relatio non eſt accidens ex eo quod relatio; alias non eſſet in diuinis: ſed eſt accidens ex fundamento, vt quia fundatur in accidente: ergo nulla relatio creata fundabitur immediatè in ſubſtantia, ſed tãtum in accidente. Nec facit quod ſubſtantia habeat realem ordinẽ ad aliquid; quia eſſe relatiuum ſecundum rem, non eſt eſſe relatiuum ſecundum eſſe.

Dubitatur 10. ***An relatio fundetur in quantitate, qualitate, relatione, &c.?***

Reſp. ex Aegid. loc. cit. §. 2. not. 8. quaſdam relationes fundari immediatè in quantitate, & qualitate, vt patet ex ibi dictis: nulla tamen immediatè fundatur in relatione, vt præcisè dicit Ad. Hæc pars pr. ab Aegid. quodl. 4. q. 3. quia ſicut quod differt differentia differt, iſta autem differentia ſecundum quod huiuſmodi differt ſeipſa, & etiam ſi principiata diſtinguuntur per principia, ipſa principia diſtinguũtur ſe ipſis: ſic et ſi relatiua referantur per relationes; ſi ipſæ relationes referantur, hoc poterit eſſe ſeipſis, & non per alias relationes: at fundamentum refertur per relationem: ergo relatio, quæ ſe ipſa eſt talis, & ſe ipſa refertur, nõ poterit eſſe fundamentum relationis.

Dubitatur 11. ***An relatio, quæ eſt inter duo extrema ſit eadẽ numero?***

Reſp. cum Aegidio in cap. de relat. pag. 24. col. 1. negatiuè. Ratio eſt, quia quæ ſunt eadem numero ſunt eadem ſpecie, & genere: ergo à deſtructione conſequentis, quæ non ſunt eadem ſpecie, non erunt eadem numero: ſed relatio quæ eſt inter patrem, & filium, per quam pater comparatur ad filium, & filius ad patrem .ſ. paternitas, & filiatio differunt ſpecie: nam ſunt duæ ſpecies relationis: ergo &c. Et ſicut albedo, quæ eſt in me, & albedo quæ eſt in te non ſunt albedo vna in numero, ſed diuerſæ: ſic ſimilitudo per quam dicor ſimilis tibi, & ſimilitudo per quam diceris ſimilis mihi, non eſt vna ſimilitudo numero.

Dubitatur 12. ***An eadem relatio numero ſit in pluribus, vt in ſubiecto?***

Reſp. cum Aegid. c. de relat. pag. 24. col. 1. negatiuè; quia eadem relatio numero eſt in vno tanquam in ſubiecto, in alio verò tanquam in termino: ergo &c.

Dubitatur 13. ***An relationes ſpecificentur ex terminis?***

Reſp. cum Aegidio p. ſ. d. 31. q. 2. & diſt. 33. q. 3. & diſt. 11. p. 2. q. 2. affirmatiuè, & pr. quia quidditas relationis per ſe ſumitur ex termino; q. ordo eſt ad terminum, non ad fundamentum: ergo habet vnitatem, & diſtinctionem ſpecificam à termino, quem primo, & per ſe reſpicit.

Dubitatur 14. ***An multiplicatis terminis multiplicetur relatio, vt multiplicatis filijs ab eodem patre, multiplicentur paternitates?***

Reſp. cum Aegidio p. ſ. d. 33. pag. 172. col. 1. non multiplicari paternitates, ſed tantum modos, & reſpectus eiuſdem paternitatis. Vbi Aegidius ait. Nam ſimile per vnam ſimilitudinem refertur ad omnia ſimilia; ſicut enim non ſunt duæ albedines in vno albo: ita nec ſunt duæ ſimilitudines in vno ſimili; nec duæ paternitates in vno patre, & ideo ſi

aliquid est simile pluribus, vel pater plurium, per vnam similitudinem refertur ad omnia similia,& per vnã paternitatem ad omnes filios:respectus quidem sunt aliquo modo plures; vna tamen est relatio. Idem docet dist.31.q.1. vnde à termino habent distinctionem specificã, à subiecto numericam. Genito nouo filio multiplicatur respectus, quia eadem relatio acquirit nouum modum respectiuum extensionis,non tamen nouum esse.

Dubitatur 15. ***An relatio terminetur ad absolutũ,vel ad relatiuum?***

Resp. ex doctrina Aegidij relationem secundum esse terminari ad relatiuum; relationem verò secundum dici terminari ad absolutum. Probatur 1. pars ex explicat. textus: nam si seruo pro termino assignaretur bipes, non diceretur ad conuertentiam: ergo debet assignari dominus: ergo relatio respicit terminum sub ratione relatiua, non sub absoluta: tum etiam quia relatio non dicit aliquid, sed ad aliquid,nec dicit esse, sed referri: ergo non terminatur ad id, quod est aliquid; sed ad id, quod est ad aliquid: ergo ad relatiuum. Ratio secundæ partis est, quia scientia refertur realiter ad scibile,hoc tamen nõ refertur ad scientiam: ergo relatio scientiæ terminatur ad aliquid absolutum.

Dubitatur 16. ***An relatiua sint simul natura?***

Resp. cum Aegidio cap. de relat. pag. 24. relatiua secundum dici non esse simul natura: nam scibile est prius scientia, & multa sunt scibilia, vt quadratura circuli,quorum tamen non est scientia. Nec scientia respicit scientem, vt relatum, sed vt subiectum: relatiua verò secundum esse sunt simul natura, vt patet ex textu.

Dubitatur 17. ***An vnum relatiuum sit de intellectu alterius?***

Resp. cum Aegidio p. s. pag. 117. & 1. Elenc. pag. 41. & passim alibi, vnum relatiuum non esse de intellectu primario alterius, quia conceptus obiectiuus vnius, non est conceptus obiectiuus alterius, vel eius differentia: esse tamen de intellectu secundario alterius; quatenus propter determinationem intellectus, cum vnum est in prospectu intelligentiæ, est & reliquum. At plura 2. p. afferam.

CAPVT XX.
De Qualitate.

§. 1.
Explicatio Textus.

TExtus. *Qualitatem verò dicõ secundum quam quales dicimur, &c.*

Intentum Aristotelis in hoc capite est agere de qualitate, & quali, quod dicitur reale à qualitate. Diuiditur hoc caput in tres partes;in prima qualitatem definit in abstracto eiusque species enumerat; in secunda definit qualitatem inconcreto, & datam definitionem manifestat; in tertia assignat qualitatis proprietates.

Quantum ad primam partem, qualitatem in abstracto definit sic: qualitas dicitur secundum quam dicimur esse quales, habendo scilicet istam qualitatem, vt habendo albedinem ab ea dicimur, & denominamur albi.

Dicitur autẽ qualitas multis modis,

dis, non quidem multiplicitate æquiuocationis, sed vniuocationis, cum qualitas sit genus vniuocum ad suas species.

Prima species qualitatis est habitus, & dispositio. Habitus est qualitas permanentior, & diuturnior, & ideo est de difficili mobilis à subiecto: vt scientia, iustitia, castitas. Dispositio est qualitas de facili mobilis à subiecto.

Secunda species est naturalis potentia, & naturalis impotentia. Naturalis potentia est qualitas ad facilè aliquid agere: vt pugillatores dicuntur à naturali potentia pugillandi, & cursores à naturali potentia currendi; qui verò ad hæc non sunt naturaliter apti, habent naturalem impotentiam; vndè naturalis impotentia est qualitas ad aliquid non agendum, vel patiendum. Est autem naturalis potentia, & impotentia non tantum respectu agere, sed etiã respectu nihil facilè pati; nam salubres dicuntur illi, qui habent naturalem potentiam, vt nihil à quibusdam accidentibus patiantur: insalubres verò è contrà dicuntur illi, qui impotentiam habent, idest, debilem vim resistendi, & ob id facilè in morbum incidunt. Sub hac specie ponit Aristoteles durum, & molle. Durum enim est quod habet naturalem potentiam non citò secandi; molle verò quod habet naturalem impotentiam non citò secandi.

Tertia species est passio, & passibilis qualitas. Passio est qualitas citò transiens, vt rubedo in facie ex verecundia, & pallor ex timore. Passibilis qualitas est illa, quæ oritur ab aliqua passione difficilè mobili à subiecto, sed diù in eo permanente, vt pallor, & nigredo. Vocantur hæ species passio, & passibilis qualitas, quia non sunt sine passione. Id autem est duobus modis, vel quia passionem in sensu generant, vt dulcedo, amaritudo, calor, & frigus; ista enim non dicuntur passiones, vel passibiles qualitates, quia subiecta, in quibus sunt, aliquid patiantur; sed quia passionem inferunt sensibus: vt dulcedo nõ dicitur passibilis qualitas, quia inferat passionem in melle, ità quod mel patiatur, sed quia infert passionem gustui, & in tali sensu passiõnem generat; vel quia non passionem in sensu generant, sed ex passione innascuntur; siue passio sit intrinseca, siue extrinseca: sic colores omnes dicuntur passibiles qualitates, non quia passionem in sensu visus generent; sed quia ex passione innascuntur, vel intrinseca, vt calidus naturaliter, aut naturaliter niger, vel extrinseca, vt calidus ab igne, vel à sole, & niger à sole.

Quarta species qualitatis est forma, & figura constans circà aliquid. Forma est dispositio simplex rerum mathematicarum, vt rectitudo, & curuitas. Figura est dispositio composita rerum mathematicarum: vt triangulus, quadrangulus, &c.

Alij apud Ægidium sic assignant differentiam: Figura est qualitas consequens quantitatem ratione extremitatum tantum: vt triangulatio, & quadrangulatio; Forma verò est qualitas consequens quantitatem ratione totius: vt rectitudo, & curuitas, &c.

Notat tamen Aristoteles sub hac specie non comprehendi rarum, & spissum; asperum, & lene; quia significant positionem partium inter

se, vt patet ex definitionibus eorum: nam rarum est cuius partes distant ab inuicem: spissum est cuius partes inuicem sunt propinquæ: asperum est cuius partes alia aliam excedit: lene est cuius partes omnes secundum rectitudinem positæ sunt, ità vt nulla supereminceat.

Quantum ad secundam partem, declarat quid sit qualitas in concreto, seu quid sit quale, & dicit: qualia sunt illa, quæ à supradictis qualitatibus dicuntur denominatiuè, aut quomodocunque aliter: quod addit, quia non semper quale dicitur à qualitate denominatiuè, sed etiam alijs modis. Nam aliquando dicitur quale à qualitate denominatiuè, vt quis dicitur candidus à candore: aliquando verò dicitur quis qualis nō quidem denominatiuè à qualitate, quia qualitas à qua dicitur qualis non habet nomen impositum; sic dicitur Cursor, & Pugillator, non quidem à nomine qualitatis, cum eius nomen non extet, sed ab ipsa qualitate, quam habet: aliquando dicitur quis qualis non denominatiuè, quia licet sint nomina imposita, tamen non participant illud nomen; vt studiosus dicitur à virtute non denominatiuè, quia licet sit nomen impositum, tamen studiosus non participat illud nomen.

Quantum ad tertiam partem: Prima proprietas qualitatis est habere contrarium, vt iustitia habet iniustitiam; hæc tamen proprietas non est conuertibilis, nec conuenit omnibus, nam medijs coloribus nihil est contrarium. Quod intelligitur de contrarietate perfecta, quia rubeum inquantum includit de albedine, benè contrariatur nigredini, non tamen perfectè.

Secunda proprietas qualitatis est suscipere magis, & minus. Hæc etiā non est conuertibilis, cum non conueniat iustitiæ, & iniustitiæ, seu primæ speciei, licet subiecta dicantur magis, vel minus talia; & in quarta specie forma, & figura non suscipiunt magis, & minus; quod probatur ex Aristotele, quia omnis figura, aut suscipit definitionem trianguli, vel circuli, aut non: si primum, iam figuræ illæ, quæ suscipiunt definitionem trianguli, non sunt magis, et minus trianguli, sed æquales; & quę non suscipiunt, non dicuntur magis, vel minus trianguli, sed nullo modo; ergo triangulus non suscipit magis, & minus; & sic dicēdum est de alijs figuris, & de formis, ergo quarta species qualitatis non suscipit magis, & minus.

Ex hac ratione Aristotelis colligas duo requiri ad hoc, vt aliqua dicantur suscipere magis, & minus; Primum est, vt ambo participent definitionem illius; hac de causa triangulus non est magis triangulus circulo, quia circulus non participat definitionem trianguli. Secundum est, vt alterum magis, alterum minus eam definitionem recipiat; ideo nō possumus dicere triangulum esse magis figuram quam circulum; quia licet ambo participēt definitionem figuræ, non tamen alterum magis, alterum minus, sed æqualiter.

§. 2.

Quædam noto ex Aegidio.

IN hoc capite notandum primò ex Aegidio, quod habitus dicitur qualitas permanentior quantum ad subiectum, & dicitur diuturnior quan-

quantum ad tempus; nam ſcientia perfectè habita non poteſt de facili remoueri à ſubiecto, ideo eſt permanentior in ſubiecto, & diuturnior reſpectu temporis. Addit autem Ariſtoteles, niſi grandis fiat mutatio circà ſubiectum; Hæc autē duobus modis fieri poteſt: vno modo propter ægritudinem, quæ deſtruit organum phantaſiæ, quo deſtructo fit obliuio: alio modo propter longam interpolationem temporis, vt ſi quis ſtet longo tempore, quod nō conſideret, tunc fit grandis mutatio, et ſcientia remouetur.

Notandum ſecūdò, quod hic nomine qualitatis non ſumuntur differentiæ eſſentiales, quæ dicunt prædicari in quale; nec accidentia ſiue propria, ſiue communia, quæ pariter prædicantur in quale; ſed ſumitur hoc nomen quatenus dicit particulare accidens conſtituens peculiare prędicamentum, à quo propriè, et ſimpliciter denominamur quales, et per quod reſpondetur ad interrogationem factā per quale: vt qualis eſt Petrus? Reſpondetur Albus, Niger, Dialecticus, Philoſophus, etc.

§. 3.
Dubia Expedio.

IN eodem capite dubitatur primo ex Aegidio. *An idem poſſit poni in diuerſis prædicamentis?*

Reſpondeo ex Aegid. quod vna et eadem res poteſt duobus modis conſiderari, vel ſecundum ſuam eſſentiam, vel ſecundum aliquem reſpectum ſuperadditum ſuæ eſſentiæ; Prímo modo res non poteſt poni in diuerſis prædicamentis, quia ordinationes prædicamētorum ſunt impermixtæ; at ſecundo modo, ſcilicet, ratione reſpectus accidentalis ſuperadditi poteſt eadem res accidentaliter poni in alio prædicamento: ſic diſciplina, & habitus ſecundum ſuam eſſentiam ſunt in prædicamento qualitatis; & caput, & ala in prędicamento ſubſtantiæ; ratione tamen cuiuſdam reſpectus ſuperadditi ſunt in prædicamento relationis.

Dubitatur 2. *Quodnam ſit ſupremum genus huius prædicamenti?*

Reſpondeo cum Aegidio dub. 2. cap. de qualitate, & cum communi ſententia qualitatem accidentalem, vt ſic eſſe ſupremum genus huius prædicamenti. Probatur autem ex Aegidio, quia qualitas accidentalis, vt ſic prædicatur de omnibus ſuis ſpeciebus, & prædicatur vniuocè, ergo erit ſupremum genus; antecedens probatur, quia habitus eſt qualitas, naturalis potentia eſt qualitas, &c. ergo &c.

Dubitatur 3. *An definitio qualitatis tradita ab Ariſtotele ſit optima?*

Reſpondeo cum Aegidio in hoc capite, definitionem traditam ab Ariſtotele de qualitate, ſcilicet, qualitas eſt, ſecundum quam quales eſſe dicimur; non eſſe rigoroſam, & veram definitionem, eſſe tamen congruam deſcriptionem, & explicare eſſentiam huius prædicamenti eo modo, quo per deſcriptionem explicari poteſt.

Probatur prima pars, quia vera definitio conſtat ex genere, & differentia, ſed illa non eſt huiuſmodi, ergo, &c. probatur minor, quia qualitas ſecundum gradum generaliſſimum, quo pacto eſt conſtitutiua huius prædicamenti, non habet genus, nec differentiam; atque adeo

per

per genus, & differentiam definiri non potest.

Secunda pars probatur, quia quãdo abstractum non potest habere veram definitionem, vt sunt generalissima accidentium, tunc congruè definitur, vel describitur per concretum, & per effectum suum formalem, per quem distinguitur ab omni alio; sed qualitas abstractè non potest habere veram definitionem, ergo congrue definitur per concretum, vt facit Aristoteles; probatur maior, quia concreta licet sint posteriora quoad naturam, atque adeò per ea non possit tradi rigorosa definitio, sunt tamen prima quoad nos, & sic sunt quoad nos magis nota, & per ipsa benè explicatur effectus formalis qualitatis, scilicet, qualificare; ergo congrua erit præfata Aristotelis descriptio.

Rogas. *An qualitas possit clarius describi?*

Respondeo posse quidem dicendo cum Aegidio de mens. Angel. quæst. 4. quòd qualitas est forma accidentalis absoluta perficiens subiectum in quo est. Vel qualitas est forma accidentalis absoluta disponens substantiam in seipsa; vt colliges ex Aegidio in hoc capite, dubio vltimo.

Dubitatur 4. *An diuisio qualitatis in quatuor species sit rectè assignata?*

Pro resolutione dico, quod diuisio qualitatis tradita ab Aristotele recta est, & sufficiens. Ita docet Aegidius in hoc capite, & 2. sent. dist. 2. quæst. 1. art. 4. ad 1. & de mens. Ang. quæst. 10.

Probatur autẽ quatuor rationibus, quibus locis citatis vtitur Aegidius ad ostendendã sufficientiam præfatę diuisionis; quarum prima est ex Aegidio in hoc cap. Omnis qualitas est dispositio, vel ergo est dispositio substantiæ inquantum corporea, vel inquantum animata; si primo modo, sic est quarta species; si inquantum animata, vel inquantum animata anima vegetatiua, & sic est secunda species: aut sensitiua, & sic est tertia: aut intellectiua, & sic est prima; Atqui nullo alio modo potest qualitas substantiam respicere, ergo sub ista ratione adequatè erit diuisa.

Secunda ratio sufficientiæ Aegidij in eodem capite est, quia omnis Qualitas aut exercetur per motum, aut non; si nõ sic est quarta species; si sic, aut se habet in ratione principis, aut termini; si primum, sic est secunda species; si secundũ, hoc est dupliciter, aut immediatè, aut mediatè; si immediatè, sic est tertia species; si mediatè sic est prima ergo etc.

Tertia eiusdem ratio ibidem est: Accidens habet esse in subiecto, & sic qualitas habet esse in substantia; substantia ergo vt est sub qualitate, vel comparatur ad qualitatem vt habet rationem perfectibilis, & sic est ipsa qualitas; vel vt habet rationem perfici entis, & sic est prima species; vel potest considerari inquantum substantia existens sub qualitate habet se in ratione principij actiui, & sic est secunda species; vel vt se habeat in ratione transmutationis, & sic est tertia; vel in ratione terminatiui, & sic est quarta. Rursus substantia potest perfici à qualitate, vel completè, vel incompletè; si incompletè, sic est dispositio; si completè, sic est habitus. Similiter sub ratione principij potest substantia se habere

bere, vel complete, & sic est naturalis potentia; vel incomplete, & sic est naturalis impotentia. Sub ratione transmutationis vel se habet cõplete, & sic est possibilis Qualitas; vel incomplete, & sic est passio: & tandem sub ratione terminatiui vel se habet complete, vel incomplete; vno modo est forma, alio modo figura.

Vltima ratio sufficientiæ desumitur ex Aegidio tum de mens. Angel. tum 2. sent. loco citato, & est hæc, Qualitates vel tantum sunt in corpore, vel non solum in corpore, sed etiam in anima; si primum sic est quarta species qualitatis, scilicet, forma & figura; si sunt tam in corpore, quam in anima vel sunt ab extrinsecó, & ex arte, & sic est prima species, scilicet, habitus & dispositio; vel sunt ab intrinseco, & ex natura, & tunc vel dicunt potentiam respectu actus, seu respectu perfectionis, vel dicunt defectum potentiæ; si primò modo sic est naturalis potentia; si secundo modo, & sic est naturalis impotentia; vel dicunt naturalem actum & perfectionem, & tunc est passio, & possibilis qualitas: passio quidem, si illa perfectio vel naturalis actus sit quid naturaliter transiens; passibilis verò qualitas si sit quid naturaliter permanens; Atque non sunt aliæ qualitates principales, quæ non pertineant ad has species, vel ad eas reducantur; ergo diuisio qualitatis in has species sufficiens erit & adæquata. Vnde hæ quatuor species erunt principales, & famosæ, & ad has facile erit alias qualitates reducere; & ob id Aristoteles dixit in hoc capite, quod fortè sunt alij modo qualitatis, quibus verbis indicare voluit posse quidem alijs modis qualitates diuidi, et species assignari, has tamen quatuor esse maximè nominatas et consuetas, & ad quas facile erit alias reducere.

Rogas. *In qua specie Qualitatis sint lux, & lumen?*

Respondeo ex Aegidio 2. sent. dist. 13. quæst. 2. art. 2. ad 2. quod lux solis vel ignis est qualitas solis vel ignis, & dicitur lux, vt est in fonte, lumen verò solare accipitur vt est in medio; vnde lux est qualitas realis, lumen est qualitas intentionalis, ideo lux est directè in prædicamento qualitatis; non tamen lumen, quia intentionaliá non sunt perse & directè in genere, vel specie, sed tantum per reductionem. Et si quæratur, in qua specie saltem logica sit lux & lumen? Respondetur quod lux est in tertia specie, scilicet, est passibilis qualitas, cum sit actus permanēter, et naturaliter perficiens solem. Nec facit quod lux non efficiat passionem in sole vel igne, quia Aristoteles eo loco non tradit rationem formalem tertię speciei qualitatis; sed solius impositionis vocabili, quasi dicat ex eo appellatas fuisse possibiles qualitates, quia efficiant passionem in sensibus, vel ex passione aliqua oriantur, tam & si hæc non sit ratio constitutiua talis speciei.

Rogas: *An lux solis, & ignis sint in eadem specie?*

Respondeo ex Aegidio 2. sent. loco citato, quod loquendo Logicè sunt, eo modo quo corpora inferiora, & cœlestia eorumdemque accidentia sunt eiusdem generis, & prædicamenti; non tamen physicè, quia

sic

sic lux solis est incorrruptibilis, lux ignis est corruptibilis, & corruptibilia, & incorruptibilia non sunt in eodem genere.

Rogas. ***Ad quam speciem reducatur lumen?***

Respondeo ad speciem lucis cum sit ab eodem principio, vt ibi docet Aegidius.

Rogas. ***Ad quam speciem pertineat Pulchritudo, & sanitas?***

Respondeo, quod tam pulchritudo quam sanitas est qualitas consurgens ex æquatione ac temperamento; illa quidem consurgit ex debita proportione membrorum et colorum, ista ex debito temperamento humorum; ex Aegidio de mens. Angel. q. 10. Vnde si considerentur vt consurgunt ex vi naturę pertinent ad tertiam speciem, si ex vi artis pertinent ad primam.

Rogas. ***Ad quam speciem pertineant intellectiones, & volitiones?***

Respondeo ad tertiam, scilicet, ad possibilem qualitatem, vt docet Aegidius quæst. 10. de mens. Angeli, quia sunt perfectiones intellectus, et voluntates, & etiam ex aliqua passione causantur, vt videre est apud Aegidium ibi &c.

Rogas. ***Ad quam speciem pertineat gratia, & qualitates supernaturales?***

Respondeo ex Aegidio p. sent. dist. 26. quæst. 2. art. 1. ad 1. gratiam reduci ad primam speciem qualitates, non quod sit habitus sumptus in rigore, quatenus est virtus ordinata ad actum, vel ad opus; sed quatenus sicut habitus habilitat potentiam, ita gratia habilitat, & quasi fiat animã. Dicit autem quod reducitur, quia cum sit entitas supernaturalis non fuit cognita ab Aristotele, nec potest directe pertinere ad prædicamentum, sed tantum per reductionẽ ex Aegidio loco citato. Colligas gratiam non esse habitum, sicut plurimi locuti sunt de habitibus in rigore acceptis, esse tamen ex sua excellentia, & benè animam habilitare.

Dubitatur 5. ***An Habitus & dispositio differant inter se specie necne?***

Pro intelligentia notãdum, quod hic nomine habitus intelligitur qualitas habilitans potentiam; dictus est enim habitus quia potentiam habilitat permanenter; nomine autem dispositionis non intelligitur qualitas communis ad habitum, quo pacto 5. met. tex. 25. Aristoteles definiuit habitum dicendo, est dispositio secundum quam benè vel malè disponitur subiectum, sed intelligitur qualitas de facili mobilis à subiecto. Quęritur modo quomodo distinguantur.

Pro resolutione dico, quod Habitus, & dispositio non distinguuntur interse specificè & essentialiter, sed tantum accidentaliter, sicut completum, & incompletum. Ita Aegidius in hoc capite, de mens. Angel. quæst. 10. & 2. sent. dist. 2. q. 1. art. 4. ad 1.

Probatur autem primò ex Aristotele, qui in hoc capite apertè dicit, habitum, & dispositionem esse vnã speciem qualitatis, quod verum non esset, si ad inuicem essentialiter ac specificè distinguerentur.

Secundò, quia Aristoteles ibidẽ docet dispositionem fieri habitum procedente tempore, nempè si nimis radicetur in subiecto; sed si essent

sent distinctæ species, non possent in vnam conuerti; ergo ex Aristotele erunt tantum vna species.

Tertiò probatur ratione Aegidij; quia completum, & incompletum non variant speciem, sed habitus & dispositio tantum differunt sicut completum, & incompletum ergo &c. probatur minor, quia eadem res vt per diuturnitatem temporis est completa & perfecta, seu firmiter radicata in subiecto, dicitur habitus: vt verò à principio est incompleta, & imperfecta, & de facili mobilis à subiecto dicitur dispositio, ergo solum differunt ratione diuturnitatis temporis, vel paucitatis; nam in paruo tempore non complete radicatur, sicut in diuturno, ergo &c.

Nota tamen cum Aegidio, quod dispositio non dicitur incompleta, quia sit incompleta qualitas in sua essentia, & natura; est enim completa, sicut & habitus; sed dicitur incompleta per comparationem ad subiectum; quatenus non est benè firmata, & radicata in ipso; sic etiam habitus non dicitur qualitas completa, quia in sua natura aliquam differentiam supra dispositionem habeat, vel aliquid plus, sed quia est eadem qualitas radicata tamen in subiecto.

Rogas. *Quomodo possumus enumerare qualitates, quæ vel directè, vel per reductionem sunt sub hac specie?*

Resp. quod sic: habituum varia sunt genera; nam alij sunt animi, alij corporis. Habitus animi vel sunt naturaliter acquisiti, vel diuinitus infusi: si diuinitus infusi, sic sunt gratia gratum faciēs, virtutes Theologicæ, dona Spiritus Sancti, gratiæ gratis datæ; ex quibus quæ sunt supernaturales tantum sunt per reductionem in hac specie. Si naturaliter acquisiti, vel sunt in facultatibus cognitiuis, vel in appetitiuis; si in cognitiuis aut sunt in sensibus internis in phantasia, æstimatiua, & memoria, aut in intellectu, qui vel est semper verus, vt scientia, prudentia, & ars; vel semper falsus, vt error, vel medius, vt opinio. Appetitiuarum facultatem habitus, sunt virtutes morales, aut vitia illis opposita. Si verò sunt in corpore, vel ipsum benè vel malè habilitāt, & afficiunt, idque vel in toto vel in parte. Corpus in toto benè afficit sanitas, robur, &c. Malè verò infirmitas, & imbecillitas ex parte verò illud afficiunt benè, laceratorum robur, pedum velocitas &c. malè verò vniuscuiusque membri indispositio.

Dubitatur 6. *An naturalis potentia, & naturalis impotentia differant inter se specificè, & essentialiter?*

Pro intelligentia notandum est, quod Aristoteles hoc loco nomine potentiæ intelligit principium proximum ad fortiter operandum, vel ad fortiter resistendum, quod principium est qualitas; nomine verò impotentiæ non intelligit priuationem vel negationem potentiæ: hæc enim non est qualitas, sed nihil; sed intelligit qualitatem positiuam innatam ad aliquid difficile agendum, vel resistendum seu quod idem est ad facile patiendum, vel resistendū contrarijs; difficile resistere contrarijs dicitur illud, quod facile ea admittēs suam patitur destructionem, vt quod molle est, facile cedit diuisioni,

fioni, per quam corrumpitur; et qui est debilis complexionis facilè admittit ea, quæ sunt suæ saluti nociua, atque adeo difficiliter dicitur resistere contrarijs; vnde sicut potentia naturalis est qualitas positiua ad agendum facilè, vel resistendum fortiter; ita impotentia suo modo positiua qualitas est ad difficilè agẽdum, et ægrè resistendum: atque adeò impotentia non erit negatio, vel priuatio, sed qualitas positiua.

Secundo notandum est, quod tam naturalis potentia, quam impotentia duobus modis sumi possunt; Primò, vt vtraque directè, & per se respicit actum proportionatum, & ex consequenti oppositum; secundò, vt eadem potentia respicit vnum actum, vel vnam perfectionem, & eo ipso deficit ab opposito; si primo modo considerentur, sic naturalis potentia (vt docet Aegidius in hoc capite, §. circa secundam speciem) in duro ad resistendum fortiter diuisioni, dicit complexionem partium, & naturalis impotentia in molli ad non resistendum, sed facilè cadendum, dicit raritatem partium; nam illa ratione complexionis partium directè respicit fortem resistentiam; ista ratione raritatis partium directè respicit facilem cessionem, & leuem resistentiam. Si verò secundo modo considerentur sic eadem qualitas respectu vnius actus est naturalis potentia, & respectu oppositi est naturalis impotentia; cum priuatio reducatur ad speciem habitus; & rectum iudex sit sui, & obliqui: v. g. mollities in cera est naturalis potentia, vt secetur, et est naturalis impotentia, vt resistat; et durities in lapide est naturalis impotentia ad diuisionem, et naturalis potentia, vt resistat secanti; et salubre habet naturalem potentiam, vt resistat causis morborum, et habet naturalem impotentiam ad ægrotandum. Sub ista tamen consideratione vnus tantum actus respicitur directè, oppositus verò indirectè, et ex consequenti; nam durities per se respicit resistentiam, ex consequenti verò diuisionem, et mollities per se respicit cessionem, et consequenti verò resistentiam. Prima tamen consideratio magis est de mente Aristotelis, nam semper in hoc capite affert exempla, in quibus respicitur vterque actus per se à diuersis; nam pro naturali potentia affert exemplum sanatiui, & duri: pro naturali impotentia affert exemplum ægrotatiui, & mollis. His notatis.

Dico quod naturalis potentia, & naturalis impotentia primo modo acceptæ distinguuntur inter se specie, & essentialiter; at secundo modo distinguuntur tantum accidentaliter. Ità Aegidius quoad primam partem in hoc capite, & quæst. 10. de mens. Angel.

Probatur prima pars, quia potentiæ distinguuntur per actus ad quos directè, & per se ordinantur, sed actus isti sunt specie diuersi, ergo & potentiæ; probatur minor, quia durities respicit directè resistentiam, mollities respicit directè cessionem; sed resistere, & cedere sunt actus diuersi specie; ergo & naturalis potentia.

Confirmatur primò, quia raritas, & densitas distinguuntur specie; sed naturalis potentia in duro dicit substantiam cum densitate, & complexione partium; & naturalis impoten-

ten-

tentia in molli dicit substãtiam cum raritate partium, ergo &c.

Confirmatur secundò, quia agere, & resistere distinguuntur specie, sed vna ordinatur per se ad agere; altera ad resistere, ergo &c.

Confirmatur tertiò, quia facultas quæ ex natura sua reddit subiectum validum ad agendum, vel resistendum, essentialiter distinguitur à facultate, quæ ex natura sua habet reddere subiectum debile, & imbecille ad agendum, vel resistendum; sed naturalis potẽtia in duro reddit subiectum primo modo ex natura sua, scilicet & vi complexionis partium: & impotentia in molli reddit subiectum ex natura sua, scilicet ex vi raritatis partium secundo modo; ergo &c.

Confirmatur vltimò ex Aegidio quæst. 10. de mens. Angel. qualitates contrariæ distinguuntur specie, sed naturalis potentia, & impotentia cõueniunt rebus per qualitates contrarias; vt patet de duro, & molli, ergo &c.

Probatur secunda pars, quia potentia visiua in iuuene, & in sene solum accidentaliter differunt, scilicet, penes facilè, & ægrè videre; idem de alijs potentijs, quæ in senectute à natiuo vigore deficiunt, & ideo transeunt ad rationem naturalis inpotentiæ; ergo &c.

Secundò, quia potentiæ distinguuntur suis operationibus; ità vt si operationes non differãt specie, nec ipsæ facultates differant specie; sed facilè, & difficilè aliquid agere pertinet ad eundem actum specie, & differt tantum facilitatis modo; ergo & naturalis potentia, quæ facilè agit, & naturalis impotẽtia, quæ hoc facit difficilè ad eandem speciem pertinebunt.

Colligitur ex his naturalem potentiam, & impotentiam esse vnam speciem subalternam, non tamen specialissimam; vt docet Aegidius in hoc capite.

Contra hoc obijcies primò, contraria sunt similia genere, & dissimilia specie; sed naturalis potentia, & impotentia sunt contraria, ergo &c. Respondet Aegidius distinguendo maiorem; sunt dissimilia specie specialissima, concedo; subalterna, nego; & sic sunt vna species.

Obijcies secundò, species potest saluari in vnico indiuiduo, sed naturalis potentia, & impotentia non possunt sic saluari, ergo &c. Respondet Aegidius, primò naturalem potentiam, & impotentiã posse saluari in eodem non simul, sed successiuè. Respondet secundò, maiorem esse veram de specie specialissima; at ista non est species specialissima, vt dictum est.

Rogas. *Quomodo differat hac species à prima?*

Respondeo ex Aegidio differre primò, quia secunda est à natura, prima ab arte; item secunda dat simpliciter posse, prima dat faciliter posse.

Rogas. *An eadem qualitas possit pertinere ad primam, & secundam speciem, & tertiam?*

Respondet Aegidius quæst. 10. de mens. Angel. affirmatiuè; nam si cõsideretur potentia pugillandi, vt est à natura, est in secunda, vt est ab arte est in prima specie: vtroque enim modo potest aliquis esse pugillator. Sic etiam durities, & mollities si considerantur, vt inferunt

passionem in sensibus, sunt in tertia specie; si vt sunt potentia, & impotentia ad resistendum sunt in secunda. Idem dicendum est de alijs rebus.

Rogas. *Quæ nam ponantur directè sub hac specie?*

Respondeo quod ad hác speciem pertinent naturales potentiæ, & impotentiæ, tam corporis, vt durities, mollities, salubritas, virtus magnetis &c. quam animæ, tam vegetatiuæ, vt potentia alendi, generandi; quam sensitiuæ, vt potentiæ sensuum externorum, & internorum; item potentiæ appetendi, mouendi, intelligendi, &c. Potentiæ verò supernaturales pertinēt per reductionem, vt character, & similes qualitates datæ ad agendum, vel patiendum.

Rogas. *Species intelligibilis ad quam speciem pertineat?*

Respondeo si consideretur, vt est simpliciter necessaria ad operãdum pertinet ad istam; si vt habilitat potentiam pertinet ad primam; si vt terminus actionis ad tertiam: idem enim realiter secũdum diuersas considerationes potest ad diuersas species pertinere.

Dubitatur 7. *An passio sit tertia species qualitatis, & quomodo à passibili qualitate distinguatur?*

Pro intelligentia notandum, quod hic nomine passionis non intelligitur proprietas, quæ dimanat ab essentia, quia hæc non est species qualitatis, cum reperiatur in alijs prædicamentis: nec sumitur pro receptione nociui, & disconuenientis, quia sic pertinet ad prædicamentum passionis, nec pro receptione immediata secundum quam passum recipit effectum ab agente, quia sic est prædicamentum per se, sed prout mediatè procedit ab actione, ità vt relinquatur color, vel aliquid tale, & sic est in tertia specie, vt notat Aegidius in hoc capite, §. circa tertiam speciem. Quo notato.

Dico primò: passio quatenus mediatè causatur ab actione, seu passio, vt est effectus alterationis, vt est rubor ex verecundia, & pallor ex timore contractus, est vera qualitas tertiæ speciei. Ita Aegidius in hoc capite, et ferè omnes interpretes Aristotelis.

Probatur autem, quia Aristoteles eam ponit in hoc prædicamento, et in tertia specie; tum etiam quia non distinguitur essentialiter à passibili qualitate, vt mox dicendum est: ergo etc.

Sed contra obijcies primò; passio est in prima specie, vt rubedo etc. ergo non est in tertia.

Respondet Aegidius, quod si passio consideretur absolutè, quatenus afficit benè, vel malè subiectum est in prima specie; si consideretur, vt causata ex passione, vel alteratione animæ per iram, gaudium, verecundiam, et tristitiam, sic est in tertia.

Obijcies secundò: secundum passionem non dicimur quales in litera, ergo non est qualitas.

Respondeo ex Aegidio, quod in litera habetur, minimè dicimur quales, idest parum. Deinde respondeo, quod non dicimur quales permanēter, et simpliciter, sed in quantum durat, etsi per annum duraret, per annum à passione diceremur quales.

Dico secundò: passio et passibilis qualitas distinguuntur tantum accidentaliter inter se, non verò speci-

cifi-

cificè, et essentialiter. Ita Aegidius de ment. Angel. quæst. 10. et 2. sent. dist. 2. q. 1. art. 4. ad 1. et est communis sententia Doctorum.

Probatur autem ex Aegidio, quia passio, et passibilis qualitas distinguuntur per hoc, quod est diù durare, et manere, vel citò transire; vel per habere esse perfectum, aut esse imperfectum; nam passio citò transit, vt rubor ex verecundia; passibilis qualitas diù permanet; vnde illa habet esse imperfectum, hæc esse fixum, et perfectum; sed hæ differentiæ sunt accidentales, vt dictum est de prima specie, diu enim manere, vel non manere non variat speciem, ergo etc. Item passibilis qualitas est, quæ infert passionem sensibus, vt dulcedo mellis est passibilis qualitas, quia mel per suam dulcedinem passionem infert gustui: passio verò est qualitas facta ex passione, vt si quis patiatur verecundiam, et fiat rubeus, illa rubedo dicitur passio: vnde passibilis qualitas facit passionem, passio verò est facta ex passione, sed hæc differentia non est essentialis, sed tantum accidentalis; nam, vt ibi benè notat Aegidius, hęc differentia non est distincta à prima: ergo si illa non facit differentiam specificam, nec ista.

Rogas. *An eadem qualitas passibilis possit esse in prima, secunda, & tertia specie?*

Respondet Aegid. 2. sent. dist. 2. loco cit. quod secundùm diuersas considerationes potest: nam rubedo alicuius, si sit ex arte, est in prima specie: si sit ex natura, vel est citò transiens, et est passio, vel diù permanet, et est passibilis qualitas. Item vel habet à natura potentiam citò erubescendi, & dicitur naturalis potentia, vel resistendi rubedini, et dicitur naturalis impotentia; & sic non est inconueniens; quod eadem res materialiter accepta, secundum tamen diuersas rationes formales pertineat ad has tres species. Vide Aegidium loco citato.

Rogas: *An passiones animæ ponantur in hac specie, vt ira gaudium, amentia, mentis alienatio, & similes?*

Respondeo ex Aegidio affirmatiuè, vt expresè habet in textu; istæ enim si conueniant animæ in nascendo, idest, à natura dicuntur passibiles qualitates, vt si quis à natura habeat iram, dementiam, etc. sic etiam si conueniant animæ ex aliquo casu, diù tamen durent, dicuntur similiter passibiles qualitates; si vero ista omnia conueniant animæ, et cito transeant; tunc vocantur passiones; vt si quis habeat iram propter ludum.

Dices: Anima non potest esse subiectum alterationis, ergo non potest habere has qualitates. Respondeo ex Aegidio in hoc capite §. Queritur circa tertiam speciem ad quartum quod licet anima se sola non possit esse subiectum alterationis, benè tamen vt est in toto homine, & cum dicitur quod qualitates aliæ sunt corporis, aliæ animæ; non est sensus, quod anima sit subiectum illius qualitatis, sed quod sit causa efficiens; nam diuisio per qualitatem animæ, & corporis est diuisio per causam efficientem; subiectum autem est ipse homo, licet quædam ex his sint in eo ratione animæ, & quædam ratione corporis.

Rogas: *An intellectiones, & volitio-*

litiones sint in hac specie?

Respondeo ex Aegidio quæst. 10. de mens. Ang. affirmatiuè; sunt enim ipsi actus, & perfectiones harum potentiarum, & si sint mansiuæ dicuntur passibiles qualitates, vt sunt intellectio, & volitio Diuinæ essentiæ in Patria, & intellectio Angeli respectu suis ipsius; si verò non sint mansiuæ, vt intellectiones, & volitiones, quæ cadunt sub tempore, sunt passiones.

Dubitatur 8. *An rectè forma, & figura dicatur quarta species Qualitatis?*

Pro intelligentia notandum cum Aegidio in hoc capite §. Quia quæsitum fuit; & de mens. Ang. quæst. 10. quod rerum quædam sunt naturales, quædam mathematicæ; res naturales sunt subiectæ motui, & materiæ, vt homo, lapis; res mathematicæ sunt abstractæ à materia, & motu secundum intellectum, non tamen secundum esse Res primi generis disponuntur, & perficiũtur per qualitates primæ, secundæ, & tertiæ speciei; res vero secundi generis disponuntur, et perficiuntur per qualitates quartæ speciei.

Secundò notandum ex eodem, quod rerum mathematicarum quædam sunt simplices, vt linea; quædam compositæ, vt triangulus. Dispositiones primi generis dicuntur formæ, vt rectitudo; secundi vero generis dicuntur figuræ: Vel aliter, quod tamen in idem redit. Qualitas quæ consequitur quantitatem ratione cuiusuis partis, dicitur forma; ratione extremitatum tantum, dicitur figura, vt triangulus.

Tertiò notãdum, quod figura hic non sumitur, vt dicit spatium inclusum linea, vel lineis: vt spatium circuli, vel trianguli; sed vt dicit dispositionem linearum; nam figura primo modo est quantitas, et dicitur quantitas in qualitate, sicut subiectum in sua dispositione; alio modo est qualitas, et dicitur qualitas in quantitate.

Ex his patet quomodo differat forma, & figura; forma enim dicit rem mathematicam simplicem; figura vero dicit rem mathematicam compositam. Vel forma dicit qualitatem consequentem quantitatem ratione cuiusuis partis; figura dicit qualitatem consequentem quantitatem ratione extremitatum tantum.

Aliam differentiam assignat Aegidius 2. sent. & de mens. Ang. loco cit. vbi docet, quod idem est forma, & figura secundum quod pertinet ad prædicamentum qualitates, sed dicitur forma secundum quod dat esse subiecto, quod informat; & dicitur figura secundum quod termino, vel terminis clauditur, seu per comparationem ad lineamenta, & terminos, quibus terminatur; vnde sortitur nomen formæ modo intrinseco, & nomen figuræ modo extrinseco: ad quod insinuandum dicit Aristoteles forma, et figura circum eam constans; non quod aliud accipiatur pro forma, aliud pro figura; sed quia ex extrinseca consideratione habet quod sit figura magis quam forma; ideo constantia circa eam, et respectus ad lineamenta, additur figuræ et non formæ. Ita Aegidius 2. sent.

At quæst. 10. de mens. Ang. alio modo differentiam assignat, et dicit, quod forma et figura dicunt eandem qualitatem; sed dicitur forma secun-

secundum quod dat esse triangulare, quadrangulare etc. et dicitur figura prout termino vel terminis continetur, et quia contentum termino, vel terminis semper est circa aliquid; ideo licet sint idem figura et forma; tamen vt est figura dicitur esse magis circa aliquid; quam vt est forma; nam vt est forma est in aliquo dans ei esse; vt est figura est circa terminos intrinsecos rei, et ideo dicitur esse circà aliquid.

Tandem eodem loco aliter differentiam inter formam, et figuram explicat, dicendo, quod eadem figura potest comparari ad duo, scilicet, vel ad naturam, et speciem à qua procedit, vel ad terminos quibus continetur; vt v.g. quod Ceruus sit sic lineatus, & formatus ad duo potest referri: primò ad naturam & animam cerui; secundò ad ipsos terminos designantes lineamenta, & figuram cerui; eadem ergo figura sic lineata est forma Cerui, vt refertur ad naturam & speciem Cerui, & quatenus est secundum exigentiam animæ Cerui; dicitur autem figura Cerui, quatenus talibus terminis continetur. His notatis.

Dico quod forma, & figura est quarta species qualitatis; quæ non dicit diuersas res, sed eandem diuerso tamen modo consideratam. Ita Aegidius.

Probatur autem, quia inter species qualitatis ab Aristotele numeratur; & non dicit diuersas res, sed eandem diuerso tamen modo; vt constat ex notatis.

Verum contra obijcies primò; forma accidentalis ponitur in prima, secunda, & tertia specie qualitatis; ergo non potest poni in quarta.

Respondet Aegidius distinguendo antecedens, forma accidentalis, quæ est dispositio rerum naturalium ponitur in prima, secunda, &c. concedo antecedens; forma accidentalis, quæ est dispositio rerum mathematicarum, nego; sed hæc ponitur tantum in quarta specie.

Obijcies secundò; figura est in prædicamento quantitatis; ergo nō potest esse in quarta specie qualitatis.

Respondet Aegidius, quod duplex est figura, alia quæ est quantitas, & hæc ponitur in prædicamento quantitatis; alia quæ causatur à figura, quæ est quantitas, & hæc est qualitas, & ponitur in prædicamento qualitatis.

Dubitatur 9. *An Asperum, & Lene sint qualitates, & an motus sit qualitas?*

Ad primum respondet Aegidius in hoc capite, quod asperum & lene, & similia possunt tribus modis considerari, primò vt habent partes & sic sunt quantitates; secundò vt dicunt ordinationem partium, & sic sunt positiones, siue situs; tertiò vt inferunt tactui passionem, seu vt dicunt dispositionem causatam ex illa ordinatione, & sic sunt qualitates; quia tamen principaliter sunt imposita ad significandum ordinationem partium, ideò principaliter dicuntur positiones, secundariò verò qualitates.

Quantum ad secundum respondet Aegidius in eodem capite affirmatiuè, quod probatur primò sic, quia omne quod est subiectum sensus est de tertia specie qualitatis; sed motus est subiectum commune sensus, nam ex 2. de anima, motus &

quies

quies sunt sensibilia communia, ergo sunt de genere qualitatis & de tertia specie.

Secundò probatur, quia contrarietas solum reperitur in qualitate, & in illis quæ causantur à qualitate; sed in motu est contrarietas, vt patet ex post prædicamentis, ergo &c.

Obijcies: Quod reperitur in quolibet prędicamento non est in aliquo prædicamento determinatè, sed motus reperitur in quolibet prædicamento, ergo &c.; probatur minor, quia tot sunt species motus, quot sunt species entis.

Respondet Aegidius distinguendo minorem, quia motus potest cōsiderari vel vt via, & sic non est in prædicamento, sed est via ad prædicamenta; nam omnia educuntur per motum vel primo & per se, vel ex consequenti; vel secundum suam essentiam, & sic est in prædicamento qualitatis, & in tertia specie.

Obijcies 2. motus ex Aristotele 5. met. est quantitas per se, ergo non est qualitas.

Respondet Aegidius quod sensus Aristotelis est, quod motus est quantitas per se causatiuè, quia causat quantitatem per se, scilicet, tempus, quod est figura motus; formaliter tamen, et secundum suam essentiam est qualitas.

Dubitatur x. *Vtrum aliqua genera qualitatis sint ad aliquid, quorum species non sint ad aliquid; vt habet Aristoteles in hoc capite?*

Respondeo ex Aegidio in hoc capite dub. vlt. quod hæc est differentia inter relationem et relatiuum, quod relatio est prædicamentum, non tamen est relatiuum; vnde relatio non potest poni in diuerso prædicamento, benè tamen relatiuum. Dupliciter autem aliquid potest dici relatiuum; vno modo, quia primò et principaliter importat respectum, ex consequenti verò rem supra quam fundatur ille respectus; et huiusmodi relatiuum non ponitur in diuersis prædicamentis. Alio modo aliquid est relatiuum, quia primò et principaliter significat rem, quæ est alterius prædicamenti, ex consequenti verò significat illum respectum, et sic est scientia; nam scientia vltrà perfectionem, quam ponit in subiecto, in quo est, potest habere respectum ad suam causam, vt ad scibile; et secundum huiusmodi respectum est relatiuum; et huiusmodi relatiuum benè potest poni in diuersis prædicamentis; hoc autem est secundum genus scientiæ, sic enim est relatiua, et ponitur in diuersis prædicamentis, secundum tamen speciem non dicit respectum, et ideo non ponitur in diuersis prædicamentis.

Dices: Grammatica cum sit de sermone habet respectum ad sermonem: ergo respectu illius erit relatiua, et sic in diuersis prædicamentis.

Respondet Aegidius dupliciter, primò dicendo quod omne accidens habet respectum ad subiectum, per istum tamen respectum non dicitur relatiuum; quando tamen vltrà hunc respectum habet dependentiam ab aliquo, vt à causa, vel aliter, tunc dicitur relatiuum. Scientia ergo, quæ est genus habet duplicem hunc respectum, ideo dicitur ad aliquid; species tamen eius vt Grammatica, & Arthematica tantum habent respectum ad subiectum, ad

cuius indiuiduationem indiuiduantur; & ideo non sunt relatiua nec secundum esse, nec secundum dici: sicuti est scientia, quæ licet non sit relatiua secundum esse, est tamen talis secundum dici.

Respondet, & secundò, quod licet Grammatica, Logica, &c. vltrà subiectum in quo sunt aliquam etiã habeant comparationem ad illud, de quo sunt; eam tamen non habent in quantum species, sed in quantum genus, idest, grammatica non dicitur alicuius grammatica, sed alicuius scientia; & sic non est ad aliquid secundum speciem, sed secundum genus.

Dices: Genus dicit totam essentiam speciei, ergo si species non dicuntur ad aliquid, nec genus: vel si genus est ad aliquid, etiam erit species.

Respondet Aegidius genus dicere totam essentiam speciei; & ideo in quo prędicamento ponitur genus secundum essentiam, in eodem etiã ponitur species, & è contrà; tamen aliquando propter respectum superadditum, potest genus dici ad aliquid, dato quod species non dicatur.

Dices: Quando alterum de altero prædicatur vt de subiecto, tunc quicquid dicitur de prædicato dicitur etiam de subiecto; sed scientia predicatur de Grammatica, ergo si scientia dicitur ad aliquid etiam dicetur Grammatica.

Respondet Aegidius antecedens verum esse de prædicatis secundum essentiam, non secundum respectum superadditum; vt dictum est ad aliud.

CAPVT XXI.
De Actione.

§. 1.
Explicatio Textus.

TExtus. *Actio est proprietas, secundum quam in id, quod subijcitur, agere dicimur.*

Pro intelligentia horum sex prædicamentorum notandum est cum Aegidio lib. de sex principijs qu. 1. quod Aristoteles in lib. prædicam. determinat completè, & perfectè de quatuor tantum prædicamentis, sed de alijs sex vltimis, scilicet de actione, passione, & reliquis determinat solum per modum artis, non verò per modum doctrinæ. Gilbertus autem Porretanus de eis per modum doctrinæ determinauit, componens hunc libellum, quem inscripsit de sex principijs; ideo ad completam doctrinam omnium prædicamentorum de reliquis sex vltimis, tum ex Aristotele, tum ex Porretano hic dicendum nobis erit. Supposita autem diuisione facta ab Auctore, quod formarum accidentalium, quædam aduenant substantiæ intrinsecus, vt quantitas, qualitas, & relatio; quædam verò extrinsecus vt actio, passio, & reliqua accidentia prædicamentalia, ab actione textum inchoamus.

Intentum Auctoris in hoc capite est agere de actione, quæ est prædicamentum extrinsecus aduenіens. Diuiditur hoc caput in duas partes; in prima definit actionem, eamque diuidit; in secunda assignat proprietates actionis.

Quantum ad primum: Actio est,

secundum quam in id, quod subijcitur, agere dicimur, idest est via, qua media agens in subiectum, effectum producit; ideoque ab ea denominatur agere. Quæ definitio licet denominatiuè tantùm exprimat, virtute tamen cõtinet emanationem, ac dependentiam effectus à causa.

Est autem actio duplex, alia animæ, alia corporis; inter quas hæc est differentia, quod corpus dum agit necessariò mouetur; anima verò dũ agit immobilis manet, & tantum subiectum, in quo est mouet, & ipsa immobilis per se manet, licet per accidẽs moueatur, quatenus motis nobis, mouentur omnia, quæ sunt in nobis. Ita ab Auctore diuiditur.

Prima tamen diuisio actionis est: Actionum alia est, quæ versatur circà præsuppositum subiectum, vt generatio, eductio, alteratio, &c. Alia est, per quam res fit nullo præsupposito subiecto, vt creatio.

Item diuiditur in immanentem, et transeuntem; in substantialem, & accidentalem, vt infrà.

Quantum ad secundum: Quatuor sunt proprietates actionis, ex quibus duas tantum tetigit Aristoteles in lit. duas alias affert hic Auctor. Prima proprietas est habere contrarium. Secunda est suscipere magis, & minus, & hæ duæ proprietates non conueniunt actioni, nisi ratione terminorum, inter quos reperitur contrarietas: vnde non conueniunt omni actioni, cum non omnis terminus actionis habeat contrarium, vel suscipiat magis, & minus. Tertia proprietas est, quod proprium est actionis esse in motu sicut in suo effectu: sicut proprium est motus esse in actione, vt in sua causa. Quarta proprietas est, inferre passionem in id, quod subijcitur, & hæc est propriè proprietas, nam cõuenit omni, soli, & semper.

§. 1.

Dubia Expedio.

IN hoc capite dubitatur primò: *An omnia accidentia sint extrinsecus aduenientia?*

Respondeo ex Aegidio lib. sex princ. pag. 34. §. ad secundum dicendum negatiuè, nam illa accidentia dicuntur intrinsecus aduenientia, quæ vltra subiectum, in quo sunt, non requirunt aliquod tãquam causam efficientem; illa verò dicuntur extrinsecus aduenientia, quæ vltrà subiectum, in quo sunt, requirunt aliquod tanquam causam efficientem, vt sunt Actio, Passio, Quando, Vbi; nam actio, & passio sunt in passo, & requirunt aliquod tanquam causam efficientem, scilicet, agens: Quando est in re temporali, & causatur à tempore, quod est in primo mobili. Et licet omne accidens sit extra essentiam substantiæ, non tamen propter hoc debent dici omnia extrinsecus aduenire, sed tantum ea, quę requirunt aliquod tanquam causam efficientem.

Dubitatur secundò: *An actio, & passio sint idem genus?*

Respondet Aegidius in hoc lib. pag. 34. negatiuè: & ratio est, quia quæ habent diuersas rationes prædicandi sunt genere diuersa: sed actio, & passio habent diuersas rationes prædicandi, ergo &c. probatur minor, quia licet actio sit in passo, actio tamen dicitur, vt est ab agente, & passio prout est in passo: esse autem

ab

ab agente, & esse in passo sunt diuersæ rationes: ideo &c.

Dices: Actiuum, & passiuum sunt similia genere ex 1. de gener. ergo actio, & passio erunt in eodem genere.

Respondet Aegidius distinguendo antecedens, sunt similia genere subijcibili, idest in subiecto, concedo: genere prædicabili, nego.

Dices: contraria sunt sub eodem genere, & actio, & passio sunt contraria: ergo &c.

Respondet Aegidius, quod contraria, vel sunt sub eodem genere, vel sub diuersis, vel ipsa sunt genera aliorum.

Dubitatur tertiò. *Vtrum forma, quæ apparet in speculo, sit in speculo tanquam in subiecto.*

Respondet Aegidius in hoc lib. pag. 35. negatiuè, sed in speculo est sicut in reuerberante, & reflectente: est autem in proximo aere, sicut in subiecto, & sic quodammodo est in speculo sicut in causa efficiente, & in aere sicut in subiecto.

Notat tamen, quod res videtur mediante luce, & colore, vnde ad hoc vt aliquid videatur, oportet quod sit coloratum, & quantum. Item notandum quod forma luminosa multiplicatur per medium, id est per aerem, & multiplicatur eo modo, quo est: & si inueniat aliquod corpus tectum, & politum, quod non sit transparens, tunc ab illo corpore reflectitur forma luminosa, & sic apparet illa forma in aere proximo.

CAPVT XXII.
De Passione.

§. 1.
Explicatio Textus.

TExtus. *Passio autem est effectus, seu illatio actionis, secundum quam hæc quidem patiuntur, &c.*

Intentum Auctoris in hoc capite est agere de Passione. Diuiditur hoc caput in duas partes; in prima definit, ac diuidit passionem: in secunda eius proprietates assignat.

Quantum ad primam partem: Passio est effectus, idest, illatio actionis, secũdum quam subiectum patitur; quod idem est, ac dicere, passio est via, qua media effectus recipit esse ab agente in subiecto.

Diuiditur autem passio, quia quædam est passio corporis animati ex parte animæ, vt odium, quædam à parte corporis, vt percussio. Quomodo autem diuidatur hoc prædicamentum mox dicendum.

Quantum ad secundam partem dicit, quod eædem proprietates sunt huius prædicamenti, ac actionis; vnde primò proprium est passionis habere contrarium: secundò suscipere magis, & minus: tertiò esse cũ motu: quartò inferri ex actione.

§. 2.
Dubia Expedio.

IN hoc capite dubitatur primò: *An passio sit genus generalissimum?*

Respondet Aegidius pag. 37. affirmatiuè, quia passio non habet aliquid prius in suo genere, licet ha-

beat in alio, scilicet, in ratione actionis, vel in genere causæ efficientis. Nec eo modo, quo est prædicamentum, est in tertia specie qualitatis, quia passio sumi potest dupliciter; vel vt immediatè causatur ab actione, & sic est prædicamentum; vel vt immediatè causatur ab alia passione, & sic est in tertia specie qualitatis.

Dubitatur secundò. *In quo sit motus tanquam in subiecto?*

Respondet Aegid. loco cit. quod est in corpore moto, non verò in mouente; nam quicquid mouetur ab alio mouetur, & sic non esset deuenire ad motorem immobilem, quod tamen est falsum, ergo &c.

Dices: Concretum, & abstractum sunt in eodem subiecto; sed mouens est concretum, motus abstractum, & mouens est in mouente, ergo & motus.

Respondet Aegidius, quod maior est vera de concreto, & abstracto, quæ sunt in genere causæ formalis, vt albedo, & album; non verò de his, quæ sunt in genere causæ efficientis, mouens autem est causa efficiens motus: ideo &c.

CAPVT XXIII.
De Quando.

§. 1.
Explicatio Textus.

TExtus. *Quando est, quod ex adiacentia temporis relinquitur, &c.*

Intentum Auctoris in hoc capite est determinare de quando. Diuiditur hoc caput in duas partes: in prima determinat de eo, quantum ad substantialia: in secunda quantum ad accidentalia.

Quantum ad primam partem: Quando est, quod derelinquitur ex adiacentia temporis, idest, quando est quædam affectio derelicta in re temporali ex adiacentia temporis. Dicitur autem quod relinquatur ex adiacentia temporis, quia non est tempus, sed quid derelictum à tempore, & quod non sit tempus, probat hac ratione: quia tempus, vel est præsens, vel præteritum, vel futurum; sed quando non est præsens, nec præteritum, nec futurum; ergo non est tempus; est tamen coniunctum cum tempore, sicut effectus cum causa, nam tempus est causa ipsius quando. Hinc fit, vt quando diuidatur, sicut & tempus à quo causatur; nam aliud est quando quod abijt, vt quando præteritum; aliud est quando, quod intrat, vt præsens; aliud est quando, quod erit, vt futurum.

Conuenit autem quando cum tempore, quia sicut tempus aliud est simplex, aliud compositum; ita & quãdo aliud est simplex, aliud compositum. Tempus compositum est illud, quod mẽsurat actionem compositum. Tempus simplex est illud, quod mẽsurat actionem simplicem, vt esse in momento, vel in instanti; esse autem in die est tempus compositum.

Differt tamen à tempore, quia secundum tempus aliquid mensuratur, vt cum dicitur ista actio est diurna; at secundum quando nihil mensuratur. Et secundum tempus aliquid dicitur temporale, & variabile, non autem secundum quando.

Quantum ad secundam partem, assi-

assignat proprietates quando. Et prima est, quod quando non suscipit magis, & minus, quia dies non dicitur magis, & minus alio die, ergo nec quando, cum enim tempus sit causa ipsius quando, & tempus non suscipiat magis, & minus, nec quando ipsum suscipiet.

Secunda proprietas est, quod quando nihil est contrarium; quod probat, tum quia impossibile est duo contraria simul de eodem indiuiduo prædicari; sed quando est idem in præsenti, præterito, & futuro; & sic prædicatur simul de eodem indiuiduo, ergo &c. Tum quia contraria numquam sunt simul in eodem subiecto; sed quando de præterito, præsenti, & futuro est simul in eadem re temporali, ergo &c. probatur minor, quia verum est dicere idem corpus modo esse, fuisse, & futurum esse.

Tertia proprietas est, esse in omni eo, quod incipit esse; & hæc est propriè propria, quia conuenit omni, & soli, quod probat, quia esse in tempore est proprium corporis complexionati ex quatuor elementis; ergo & quando erit in eo, quod incipit esse; & sic proprietas quando erit esse in eo, quod incipit esse, antecedens probatur, quia omne, quod suscipit alterationem temporis, est in tempore; sed corpus complexionatum ex quatuor elementis suscipit alterationem temporis; nam alteratur in Aestate, Hyeme, Autumno, & Vere, secundum alterationem temporis, ergo &c. probatur minor, quia aliqui subtilius speculantur in Hyeme, vt malencholici; aliqui in Aestate vt flegmatici; aliqui in Vere vt cholerici, ergo suscipiunt alterationem temporis.

§. 2.

Quædam noto ex Aegidio.

IN hoc capite notat Aegid. quod quatuor sunt humores, à quibus sumuntur complexiones corporis, sicut etiam quatuor anni tempora, quatuor elementa, quatuor venti, quatuor partes inhabitabiles, quatuor membra præcipua. Elementa sunt ignis calidus, & siccus: Aer calidus, & humidus: Aqua frigida, & humida: Terra frigida, & sicca. Humores sunt filij elementorum, cholera filia ignis, calida, & sicca: sanguis filius aeris, et est calidus, et humidus: flegma filius aquæ, et est frigidum, et humidum: melancholia filia terræ, et est frigida, et sicca. Anni tempora sunt æstas calida, et sicca: ver calidum, et humidum: hyems frigida, et humida: autumnus frigidus, et siccus. Et quia simile additum simili augmentat ipsum, ideo cholericus calidus, et siccus in æstate malè se habet, sic de alijs. Quatuor etiam sunt ætates, pueritia calida, et humida, et durat vsque ad viginti annos: iuuentus calida, et sicca, et durat vsque ad 45. annos: senectus frigida, et humida, et durat vsque ad 60. annos: senium frigidum, et siccum, et durat vsque ad vltimum vitæ. Sic quatuor sunt venti pluuiales .f. solaris, calidus, & siccus flans ab oriente: alius frigidus, & humidus flans ab occidente: alius calidus, & humidus flans à polo artico: alius frigidus, & siccus flans à polo antartico. Sic quatuor sunt infirmitates, aliæ quę oriuntur ex cholera, & sunt calidæ, & siccæ, sicut tertianæ: aliæ oriuntur ex flegmate, &

& sunt frigidæ, & humidæ, sicut sunt quotidianæ: aliæ ex malencholia, & sunt frigidæ, & siccæ, vt quartanæ: aliæ ex sanguine, sicut Sinocha, et Issmochides. Quatuor sunt membra præcipua, vt Cor, calidum et siccum: Epar, calidum et humidum: Cerebrum frigidum et humidum: et testiculi frigidi, et sicci. Quo notato patet, quod quicquid est in tempore, est variabile secundum corpus, vel secundum animam.

Rogas cur melancholici in æstate subtilius speculantur, & sic de alijs.

Respondet Aegidius id oriri ex temperantia suarum qualitatum per contrarias qualitates temporis; Ita dicendum est de alijs; nam in tempore contrario temperantur qualitates propriæ, & sic redditur anima aptior ad speculandum; cum anima operetur per corpus: vndè cum corpus magis est temperatum tunc anima est magis apta ad suas operationes.

§. 3.
Dubia Expedio.

In hoc capite dubitatur primò. *Quomodo quando sit simul in eodem subiecto cum tempore, à quo causatur.*

Respondet Aegidius in hoc lib. pag. 38. Quod licet tempus primò, & principaliter habeat motũ primi mobilis mensurare, & esse in primo mobili, vt in subiecto, ex consequenti tamen reperitur in istis inferioribus, vt in subiecto, & sic quando & tempus sunt simul in eodem subiecto.

Dubitatur secundò: *Quomodo quando ex præterito sit prius quando ex futuro, & postea omnia sint simul.*

Respondet Aegidius, quod quando præteritum est prius futuro quantum ad causam; sunt autem simul quantum ad subiectum de quo dicuntur. Sic etiam sunt idem quantum ad causam, quia idem tempus est causa quando præteriti, præsentis, & futuri.

Dubitatur tertiò: *An vnum prædicamentum possit esse causa alterius.*

Respondet Aegidius loco citat. quod vnum prædicamentum potest esse causa alterius, & sic tempus potest esse causa ipsius quando; nam tempus potest considerari, vel vt est quantitas mensurans ipsum motum secundum æquale vel inæquale, & sic non est causa ipsius quando; vel prout tempus est in fluxibilitate, & successione, & ex ipsa fluxibilitate relinquitur in re temporali quædam proprietas, idest, quædam infectio, quæ infectio est quando; nam res inficitur, & tabescit in tempore, & talis infectio est quando.

Obijcies primò. Si causa est vniuoca, & effectus est vniuocus, ergo si vnum prædicamentum est causa alterius, tunc illa duo haberent aliquid commune vniuocum, hoc autem est falsum, ergo &c.

Respondet Aegidius distinguendo consequens, si esset causa formalis, concedo; secus nego: modo vnum prædicamentum non est causa vniuoca alterius, ideo &c.

Obijcies secundò: causa perfecta producit effectum sibi similem, qui proinde est in eodem prædicamento; ergo si vnum est causa alterius, erit simile alteri, at hoc est falsum, ergo &c.

Re-

Respondet Aegidius vnum prædicamentum non esse causam perfectam alterius, ideo vnum non est simile alteri.

Dubitatur quartò: *An tempus sit.*

Respondet Aegidius loco cit. affirmatiuè; & ratio est quia motus est, ergo & tempus est, quia tempus est mensura motus.

Obijcies primò: Si tempus esset, essent etiam eius partes, quia compositum non est, nisi sint partes componentes; sed partes temporis non sunt, nam præteritum non est, nec etiam futurum, ergo &c.

Respondet Aegidius distinguendo minorum, non sunt in successione, nego; in permanentia, concedo; primum requiritur ad esse compositi successiui, vt est tempus; secundum vero ad esse compositi permanentis.

Obijcies secundò. Si tempus esset, vel esset in facto esse, & hoc non cum partes eius non sint permanentes; vel esset in fieri; & tunc arguitur sic: quod fit non est, tempus fit, ergo &c.

Respondet Aegidius tempus esse in fieri; et cum dicitur, quod fit non est, verum est in illis, quæ sunt permanentia, non autem in successiuis, sicut est tempus; successiua enim quando fiunt, sunt, & quando facta sunt, iam non sunt.

Dubitatur quinto: *An detur tempus simplex, vt dicit Auctor?*

Respondet Aegidius nullum dari tempus simplex, cum tempus sit quantitas continua, & hæc sit diuisibilis; ideo &c.; cum vero Auctor dicit dari tempus simplex, loquitur de simplicitate respectu alterius; vel quoad nos; nam hora potest dici simplex in respectu ad diem.

Dubitatur sexto: *An quando suscipiat magis & minus?*

Respondet Aegidius loco cit. pag. 39. negatiuè; & probatur, quia quando causatur à re temporali, sicut & tempus; sed tempus non suscipit magis & minus, quia mensurat æqualiter sua mensurabilia; ergo &c.

Obijcies primò: Quando compositum excedit quando simplex; sed non excedit extensiuè, cum quando non sit quantitas, ergo intensiuè, ergo &c.

Respondet Aegidius excedere extensiuè, quia licet non sit quantitas, non est tamen sine quantitate.

Obijcies secundò: quando præsens causatur ex præterito & futuro; sed vnum est magis præteritũ, quam alterum, & vnum est magis futurum, quam alterum; ergo &c.

Respondet Aegidius distinguendo minorem, quantum ad præteritionem, & futuritionem concedo, quantum ad essentiam, nego.

Dubitatur septimò: *An quando habeat contrarium?*

Respondet Aegidius negatiuè, quia prima conrarietas est in primis qualitatibus; deinde in illis, quæ à primis qualitatibus causantur, sed quando non causatur à qualitatibus, sed à quantitate; ergo quando non habet contrarium. Et licet præteritum et futurum non possint esse simul in eodem; quando tamen, quod causatur à præterito, et futuro est in eodem.

Debitatur octauò: *In quo sit tempus tamquam in subiecto?*

Respondet Aegidius loco citato, quod tempus non est in substantia, in

in eo quod substantia, nam tunc esset in Deo, in Angelis, et anima; quia omnia ista sunt substantia; Imò omnia ista corrumperentur; est tamen in substantia in eo quod mota; nam per motum est in ipsa substantia; et sic tempus est in substantia, vt in subiecto mediato, quia est in ea mediante motu; est autem in motu tamquam in subiecto immediato.

CAPVT XXIV.
De Vbi.

§. I.
Explicatio Textus.

TExtus. *Vbi est circumscriptio corporis à loci circumscriptione prouenienes?*

Intentum Auctoris in hoc capite est agere de Vbi, quod est prædicamentum extrinsecus adueniens. Diuiditur hoc caput in duas partes; in prima agit de Vbi quantum ad substantialia, ipsum nempe definiendo, et diuidendo, in secunda agit de eo quantum ad accidentalia eius passiones assignando.

Quantum ad primã partem; Vbi est circumscriptio corporis à circumscriptione loci proueniẽs; idest, Vbi est circumscriptio quædam, & configuratio corporis locati, & suarum partium ad locum, & partes loci, & ad actionem; est autem configuratio passiua, non actiua; Declarat autem vltimam partem definitionis per talem rationem: omne id quod est in corpore circumscripto inquantum circumscriptum est procedit à loci circumscriptione; sed vbi est in corpore circumscripto inquantum circumscriptum est, ergo procedit à loci circumscriptione, & ex consequenti vbi est circumscriptio passiua, & locus est circumscriptio actiua; Vbi est in corpore locato & contento, locus est in corpore continente & locante. Declarat etiam primam partem definitionis, scilicet, quod vbi sit circumscriptio corporis, formando talem rationem: Si id, quod magis videtur in esse non inest, nec id, quod minus videtur inesse, debet inesse, sed magis videtur, quod si vbi inesset alijs quam corpori, quod tunc inesset animæ; & tamen ei non inest, cum anima non sit in loco, nec occupet locum: ergo vbi non est in alijs à corpore, sed tantum in corpore. Ex his colligit duo corrolaria; primum est, duo corpora non posse esse in eodem loco; secundum est, idem corpus non posse esse in diuersis locis.

Contra vltimum corollarium, obijcit sibi dicendo: eadem vox est in auribus diuersorum, ergo idem corpus erit in diuersis locis; nam vox est accidens existens in aere, vt in subiecto, & sic existẽs in corpore. Respondet quod nõ est eadem vox, sed diuersa; quia vna vox generat aliã, sicut cum quis percutit aquã generatur quidam circulus, & ex illo circulo generatur alius, & sic vlterius quantum durat virtus impellentis.

Assignata, & declarata definitione vbi; iam diuidit ipsum dicendo: vbi duplex est, aliud simplex, aliud compositum. Vbi simplex est quod procedit à loco simplici tamquam à causa. Vbi compositum est quod procedit à loco composito tamquam à causa. Locus simplex est principium loci compositi. Locus

cus compositus est, cuius partes copulantur ad eundem terminum, ad quem copulantur partes corporis.

Quantum ad secundam partem: in ea ponit proprietates vbi, & prima proprietas est, quod vbi non suscipit magis, & minus; nam vnum corpus non dicitur magis, et minus in loco quam aliud, licet vnum dicatur maiorem locum occupare. Secunda proprietas est, quod vbi nihil est contrarium: nam vbi causatur à loco: locus autem cum sit quantitas non habet contrarium, ideo nec vbi. Nec sursum, & deorsum, vel sursum esse, & deorsum esse sunt contraria, cum non distent maximè inter se distantia formali, cum idem ad diuersa relatũ dicatur sursum, & deorsum esse. Aduerto autem ex Aegidio, quod sursum, & deorsum sunt differentiæ loci, at sursum esse, & deorsum esse sunt differentiæ vbi.

§. 2.

Dubia Expedio.

IN hoc capite dubitatur primò. *Quomodò locus circumscribens sit causa vbi?*

Respondet Aegidius in hoc lib. pag. 40. quod locus potest dupliciter comparari ad locatum: primò in quantum locus continet locatum, & sic comparatur ad illud, vt mensura ad mensuratum: secundò in quantum partes loci correspondent partibus locati, & hoc pacto locus est causa vbi.

Dubitatur secundò: *An anima, & intelligentia sint in loco?*

Respondet Aegid. loco cit. quod aliquid esse in loco dicitur multis modis: vno modo est in loco occupando locum: alio modo est in loco per suam præsentiam. Animæ ergo, & intelligentiæ non sunt in loco primo modo, sed secundo.

Obijcies primò: omne quod determinat sibi locum est in loco; sed animæ, & intelligentiæ determinant sibi locum, quia non sunt nullibi, sed alicubi: ergo sunt in loco.

Respondet Aegidius distinguendo minorem, determinant sibi locum per sui præsentiam, concedo: per occupationem loci, nego.

Obijcies secundò: Illud, quo præexistente non potest aliud recipi est in loco, sed existente vna anima in corpore non potest alia recipi, ergo erit in loco.

Respondet Aegidius distinguendo minorem, non potest alia recipi, quia anima præexistens occupet locum, nego: quia præexistens est perfectio corporis, et vnius rei vnica est perfectio, & non plures, concedo.

Dubitatur tertiò: *An anima, & intelligentia per suam præsentiam possint esse in pluribus locis?*

Respondet Aegidius loco cit. negatiuè, quia anima, & intelligentia sunt virtutis limitatæ, & solus Deus est virtutes illimitatæ: ideo anima, & intelligentia non possunt esse in pluribus locis, nam possent esse vbique, quod tantum est propriũ Dei. Et licet corpus, quia locum occupat non possit esse in pluribus locis, non tamen sequitur, quod anima, quia locum non occupat possit esse in pluribus locis, cum adhuc sit virtutis finitæ.

Dubitatur quartò: *An corpus possit esse in diuersis locis?*

Respondet Aegidius loco cit. ne-

gatiuè, & ratio est, quia vnius materiæ vnica est forma, et vnius formæ vnica est materia: sed locus habet rationem formæ, nam terminat locatum, et locatum habet rationem materiæ ex 4. phys. ergo vnius corporis erit tātum vnus locus, et vnius loci erit vnicum corpus, et sic idem corpus non poterit esse in diuersis locis.

Obijcies: eadem lancea potest esse in terra, in aqua, et in aere, ergo in pluribus locis.

Respondet Aegidius, quod terra, aqua, et aer, faciunt vnum locum contiguum, licet non continuum: ideò lancea existens in omnibus illis, non est in pluribus locis, sed in vno.

Dubitatur quintò: *An plura corpora possint esse in eodem loco?*

Respondet Aegid. negatiuè, quia plures formæ non possunt esse in eadem materia, nec vna forma in pluribus materijs: ergo nec idem corpus poterit esse in diuersis locis, nec plura corpora in eodem loco, quia locus, & corpus comparantur sicut materia, & forma, vt dictū est.

Obijcies primò: In eadem mixto sunt quatuor elementa, sed ista sunt corpora: ergo &c.

Respondet Aegidius, quod quatuor elementa in mixto nō sunt sub propria forma, sed sub forma mixti, nec sunt plura corpora, sed vnum compositum ex mixtione.

Obijcies secundò: Vox & aer sunt corpora, sed hæc sunt in eodem loco, ergo &c. probatur maior, quia ex Prisciano vox habet longitudinē in prolatione, latitudinem in aspiratione, & profunditatem in prolongatione, ergo est corpus.

Respondet Aegid. negando vocem esse corpus; & ad Priscianum dicit eam habere trinam dimensionem non propriè, sed per similitudinem.

Dubitatur sextò: *An locus possit esse sine corpore?*

Respondet Aegidius negatiuè, & ratio est, quia locus habet rationem formæ continentis, & terminantis, & locatum habet rationem materiæ contentæ, & terminatæ; sed forma non potest esse sine materia, quam terminet, ergo nec locus sine corpore.

Obijcies primò: Quando aliqua duo sunt diuersa per essentiam, tunc vnum potest esse sine alio, sed locus, & corpus sunt diuersa per essentiam, ergo &c.

Respondeo ex Aegid. distinguendo maiorem, potest vnum esse sine alio, quando quæ sunt diuersa per essentiam non habent ad inuicem dependentiam in ratione terminantis, & terminabilis, concedo; quando habent talem dependentiam, nego; modo sicut materia, & forma licet sint diuersa per essentiam, habent tamen ad inuicem dependentiam in ratione terminantis, & terminabilis; & ideo vnum non potest esse sine alio, quia esse supponit terminationem; ita etiam locus, & corpus, licet sint diuersa per essentiam, quia tamen habent prefatam dependentiam, ideo &c.

Obijcies secundò: Cœlum est locus omnium, & tamen non habet dependentiam ab istis, imò potest esse sine eis, ergo locus potest esse sine corpore.

Respondet Aegidius distinguendo, cœlum in quantum cœlum non ha-

habet dependentiam ab istis, concedo; in quantum continens, nego; & sic non potest esse sine eis.

Dubitatur septimò: *An vbi suscipiat magis, & minus, & habeat contrarium?*

Respondet Aegid. negatiuè; probatur, quia non habere contrarium est causa non suscipiendi magis, & minus, sed vbi non habet contrarium, ergo &c. probatur minor, quia vbi causatur ex applicatione loci ad locatum; sed nec corpus, nec locus habet contrarium, ergo nec vbi, ergo nec suscipit magis, & minus.

Notat Aegidius, quod locus considerari potest, vel vt habet naturam quantitatiuam, & sic non habet contrarium, & ita de eo est sermo; vel vt habet qualificatiuam virtutem receptam ab influentia cœli, & secundum hanc virtutem potest habere contrarium, & suscipere magis, & minus.

Obijcies primò: Vbi compositum est magis vbi, quam simplex, ergo &c.

Respondet Aegidius est magis extensiuè concedo, intensiuè nego.

Obijcies secundò: Leuitas est causa essendi sursum, & grauitas deorsum; sed leuitas, & grauitas sunt contraria, ergo &c.

Respondet Aegidius verum esse quantum ad naturam qualificatiuam, non tamen quantum ad quantitatiuam.

CAPVT XXV.
De Positione, seu situ.

§. 1.
Explicatio Textus.

Textus. *Positio est quidam situs partium, & generationis ordinatio.*

Intentum Auctoris in hoc capite est agere de situ, vel positione, quæ est aliud prædicamentum. Diuiditur hoc caput in duas partes; in prima agit de situ, quantum ad substantialia; in secunda agit de eodem, quantum ad accidentalia.

Quantum ad primam: Positio est situs partium, & ordinatio earumdem in loco: vt sedere, vel stare, quę dicunt habere membra sic disposita, & ordinata in loco.

Quantum ad secundum: Prima proprietas situs est, nō habere contrarium; nam sedere non est contrarium ad stare: & probatur, quia contraria sunt, quę habent fieri circa idem, sed sedere, & accumbere nequeunt fieri circa idem, ergo non sunt contraria: probatur minor, quia sedere est rationalium, accumbere irrationalium.

Secunda proprietas est, quod positio non suscipit magis, & minus; quia sessio non dicitur magis positio, quam accubitus, vel statio.

Tertia proprietas est, quod proximè assistat substantiæ.

Notandum tamen ex Aegidio, quod duplex est positio, alia naturalis, quæ dicit ordinem partium in toto, nam à natura est, quod homo habeat caput, bracchia, manus, & pedes, & cætera membra sic disposita,

sita, & ordinata, vt caput v. g. sit sursum &c. & talis positio tangitur ab Auctore cum dicit, & generationis ordinatio. Alia est positio à consueto motu naturæ, & hæc est ordinatio partium in loco, vt est sessio, accubitus, statio; & vtraque pertinet ad hoc prædicamentum.

§. 2.

Dubia Expedio.

IN hoc capite dubitatur primò. *An positio sit prædicamentum?* Respondet Aegidius in hoc capite pag. 43. quod positio duobus modis sumi potest: primò vt dicit ordinationem partium; et sic est prædicamentum: secundò vt dicit assignationem partium; quatenus possunt assignari partes, vbi positę sint, et sic est differentia quantitatis.

Dices: ordinatio est relatio, ergo positio erit relatio.

Respondet Aegidius est relatio secundum sui essentiam, nego: sed sic est positio, est relatio secundum aliquem respectum superadditum, atque adeo est relatio secundum dici, concedo.

Dices: situs non dicit aliud, quam esse in loco tali modo, v. g. stando, vel sedendo: ergo non distinguitur à prædicamento vbi, quia esse in loco, et tali modo esse non variant prædicamentum.

Respondeo situm distingui etiam à prædicamento vbi, non tantùm ratione, vt vult Suarez, sed etiam ex natura rei; et probatur, quia inuariata ordinatione partium, possunt variari plura vbi: vt si quis sedens, vel stans moueatur, tunc variat necessariò vbi per motum localem, et tamen non variatur ordinatio partium in toto, aut in ratione sedentis, aut stantis: ergo oportet quod non solum ratione, sed etiàm realiter distinguatur. Ad Argumentum respondeo distinguendo, esse et esse tali modo non variant prædicamentum, quando sunt intrà eandem lineam, concedo: quando esse tali modo est intra diuersam lineam, nego: sic autem est situs, dicit .n. esse tali modo in loco; sed hæc talitas est extra lineam essendi in loco, quia dicit ordinationem partium, quæ etiam potest esse in vacuo, et sic sine loco.

Dubitatur secundò: *An vnum vni tantum contrarietur, vt dicit Auctor?*

Respondet Aegidius affirmatiuè, cum ex Aristotele in lib. perier. tum ex ratione, quia contraria sunt quæ maximè à se distant, maximè autem dicitur per superabundantiam; sed quod dicitur per superabundantiam conuenit vni soli, ergo tãtùm vnum vni contrariabitur, et opponetur.

Dices: Prodigalitas, & Auaritia contrariatur liberalitati, ergo duo erunt vni contraria.

Respondet Aegidius, quod non contrariantur vt duo, sed vt vnum, nam Prodigalitas, & Auaritia, sunt de genere mali, liberalitas est de genere boni, & sic non contrariantur, vt sunt duo, sed vt vnum malum, vel quatenus sunt malum, & vitium, & liberalitas est bonum, vel virtus. Respondet etiam quod illa propositio vni tantum vnum est contrarium est vera in contrarijs naturalibus, non in contrarijs moris, vt sunt Prodigalitas, & Auaritia respectu liberalitatis.

Du-

Dubitatur tertiò: *An positio habeat contrarium?*

Respondet Aegidius negatiuè & ratio est, quia contrarietas est à forma, & ideò solum conuenit qualitati, & illis quæ à qualitate causantur; sed positio nec est qualitas, nec causatur à qualitate, ergo non habet contrarium.

Obijcies primò: sedere est cum depressione partium, stare cum eleuatione, sed depressio, & eleuatio sunt contraria, ergo &c.

Respondet Aegidius quod licet actus isti, scilicet, eleuatio & depressio sint contrarij, tamen termini illorũ non sunt contrarij, scilicet, sedens & stans. Respondet secundò, quod licet illa sint contraria, hoc tamen non est secundùm Positionem, sed secundum aliquam formam.

Obijcies secundò: omnis motus est à contrario in contrarium, sed motus fit à sessione in stationem, ergo sessio, & statio sunt contraria.

Respondet Aegidius quod motus hic accipitur largè pro quacumque oppositione & diuersitate, & sic sedens & stans sunt diuersa illo modo, ideo inter eos potest esse motus.

CAPVT XXVI.
De Habere.

§. 1.
Explicatio Textus.

TExtus. *Habitus autem est corporum, & eorum quæ circa corpus sunt adiacentia?*

Intentum Auctoris in hoc capite est agere de Habitu, quod est vltim ũ prædicamentum. Diuiditur hoc caput in duas partes; in prima agit de eo quantum ad substantialia; in secunda quantum ad accidentalia.

Quantum ad primum Habitus sic definitur: est adiacentia corporis, idest, est comparatio rei habitæ ad rem habentem; & eorum quæ circa corpus sunt adiacentia, vt vestimentorum; vt armatum esse, calceatum esse; & sic de alijs vestimentis in ordine ad partes vestitas.

Quantum ad secundum: Prima proprietas habitus est suscipere magis & minus: quia armatior dicitur equester, quam pedester; plura enim arma habet; hæc tamen proprietas non est conuertibilis; quia non in omnibus est vera, non enim omnis habitus suscipit magis & minus: nam vnum corpus non dicitur magis vestitum quam aliud.

Secunda proprietas est, quod habitui nihil est contrarium; nam si calceatio, & armatio essent contraria, tunc duo contraria essent simul in eodem, cum idem possit esse simul calceatus & armatus.

Tertia proprietas est, in pluribus consistere, seu plurium adiacentiam importare; importat enim esse in corpore, & in his quæ circa corpus sunt. Et hæc desumpta sint satis ex Gilberto Porretam.

§. 2.
Dubia Expedio.

IN hoc capite Dubitatur primò: *An habitus sit prædicamentum?*

Respondet Aegidius pag. 45. affirmatiuè, nam habitus non est aliud, nisi quidam respectus, mediante quo continens dicitur habere contentum, quatenus natura actiua dicitur habere contentum secundum

dum naturam passiuam: sed hic modus essendi, & prędicandi est principalis, & non reductus in alium, ergo facit speciale prædicamentum.

Notat tamen quod aliquid dicitur haberi tripliciter; primò ratione protectionis; & sic aliquis dicitur habere arma, quibus se defendat; vel ratione consuetudinis, & sic animal dicitur habere ea, quæ sunt necessaria ad suam conseruationem; quo pacto Bos habet cornua, & pilos spissos, vel ratione ornatus & protectionis; sic homo habet barbam, quæ primo spectat ad eius ornatum, ex consequenti verò ad protectionem vt ipsum defendat à frigore.

Obijcies primò: Prædicamentum est forma naturalis, sed habitus non est huiusmodi, quia vestimentum non est à natura, sed ab arte; ergo &c.

Respondet Aegidius quod aliquid potest dici forma naturalis duobus modis, vel quia sit naturalis, vel quia sit ad similitudinem formæ naturalis; habitus dicitur naturalis secundo modo, quod sufficit ad prædicamentum extrinsecus aduenicns.

Obijcies secundò: Habitus animæ non facit prædicamentum, ergo nec habitus corporis.

Respondet Aegidius, quod est disparitas, quia habitus animæ est in ipsa anima habente; habitus verò corporis non est in corpore habente, sed in re habita, ideo facit speciale prædicamentum.

Obijcies tertiò: Habitus est vestis, sed vestis est substantia, ergo non est prædicamentum distinctum à substantia.

Resp. Aegidius negando maiorem, quia vestis non est habitus propriè, nam habitus propriè est quidam respectus inter rem habitam, & habentem, ideo &c.

Dubitatur secundò: *An definitio habitus sit bona?*

Resp. Aegid. loco cit. affirmatiuè. Si obijcies: Si habitus esset adiacentia, tunc aliqua res esset media inter habitum, & habentem, sed hæc res media non datur; ergo &c. Respondet Aegidius, quod datur aliquod medium, non tamquam res, sed tamquam respectus.

Si obijcias: Vngues & pili sunt quidam habitus, & tamen non adiacent corpori, ergo definitio non est bona.

Respondet Aegidius vngues & pilos adiacere corpori ratione ornatus, & etiam ratione protectionis, ideoque sic dicantur haberi.

Dubitatur tertiò: *An habitus suscipiat magis & minus?*

Respondet Aegidius loco cit. pag. 44. affirmatiuè, vt dictum est in lit. Notat tamen, quod quidam habitus sunt qui causantur ex adiacentia rei habitæ ad corpus, quæ res diuersæ sunt per formam, quo pacto adiacentia causata ex Diploide differt ab adiacentia causata à caligis, lorica &c. & hæc differentia est per formam, vt patet; Alij vero sunt qui causantur à rebus adiacentibus, in quibus non est differentia secundum formam, sed tantum secundum aliquod accidens; quo pacto se habent vestimentum vt tunica, & super tunica; vestimentum enim vt tunica non differt à supertunica nisi quodam accidente, quia scilicet amplior est illa. Ea ergo quæ differunt

per

per formam suscipiunt magis & minus, alia verò non.

Obijcies primò: secundum pluralitatem non dicitur aliquis magis vel minus; ergo qui est pluribus armis armatus, non dicitur magis armatus.

Respondet Aegidius secundum pluralitatem vniuersalem non dicitur magis & minus concedo; secundum pluralitatem dicentem diuersitatem in futuro, nego.

Obijcies secundò: Magis & minus causantur ex contrarietate, sed habitus non habent contrarium, ergo &c.

Respondet Aegidius quod magis & minus possunt dupliciter considerari, vno modo per accessum, & recessum à contrario, vt albior dicitur, quia eius materia est impermixtior nigredini; Alio modo per accessum, & recessum ad habitum; & sic dicitur habitus suscipere magis & minus; primò modo oritur ex contrarijs, non vero secundo modo.

Obijcies tertiò: Armatus contrariatur inermi, & vestitus nudo; ergo in habitu est contrarietas.

Respondet Aegidius quod armatus & inermis, non sunt habitus, sed adiacentia armorum ad corpus est habitus, & hæc non habet contrarium.

CAPVT XXVII.
De oppositis.

§. 1.
Explicatio Textus.

TExtus. *De oppositis autem quot modis solent opponi dicendum est, &c.*

Hæc est tertia pars huius libri, in qua Aristoteles agit de postprædicamentis. Est autem postprædicamentum id, quod supponitur in omni prædicamẽto, seu quod est commune omni prædicamento; & quia quæ sunt communia omni prædicamento, sunt quinque, scilicet, oppositio, quia in quolibet prædicamento, species sunt inter se oppositæ: Prius, quia in quolibet prædicamento genus est prius suis speciebus: Simul, quia in quolibet prædicamento species sunt simul sub genere: Motus, quia in omni prædicamento est motus, vel per se, vel per accidens: & Habere, quia in quolibet prædicamento genus habet species, vel differentias in potentia. Et aliquando substãtia habet omnia prædicamenta accidentalia, & ipsa accidentia habentur; ideo quinque erunt postprædicamenta, scilicet, Oppositio, Prius, Simul, Motus, et Habere.

Diuiditur autem hæc tertia pars in quinque capita: in primo agit de oppositione; in secundo de priori; in tertio de simul; in quarto de motu; in quinto de habere.

Quantum ad primum caput, agit in eo de oppositione eam diuidendo, & definiendo. Oppositio ergo quadruplex est, scilicet, relatiua, contraria, priuatiua, & contradictoria. Oppositio relatiua est inter ea, quæ non habent aliud esse, quam ad suum oppositum ordinari, quo pacto opponitur duplum, et dimidium: Pater, & filius.

Oppositio contraria est inter illa, quæ cum ad inuicem non ordinentur, sibi tamen mutuò contrariantur. Dicitur quod non ordinantur ad inuicem, quia malum non dicitur boni

ma-

malum. Dicitur quod sibi mutuò contrariantur, quia sunt formæ circà idem subiectum repugnátes. Hæc oppositio duplex est, alia namque est cuius nullum est medium, sed posito subiecto idoneo, necesse est alterum illorum ei inesse, quo pacto se habent languor, & sanitas respectu animalis: par & impar respectu numeri, & hæc dicuntur contraria immediata. Alia est, cuius circa proprium subiectum est medium, & huiusmodi sunt illa, quorum alterum non est necesse inesse subiecto, vt album, & nigrum; nam non est necesse alterum illorum inesse corpori, & talia sunt contraria mediata, quia inter extrema sunt media, vt est fuscum respectu albi, & nigri.

Oppositio priuatiua est inter ea, quæ habent fieri circà idem subiectum, quo pacto opponuntur visus, & cæcitas circa oculum, & habitus, & priuatio circa idem subiectum idoneum. Consideratur .n. vtrumque extremum in subiecto apto nato ad recipiendum, vt se habet visus, & cæcitas respectu hominis; lapis .n. non potest vocari cæcus, quia non est aptus natus ad videndum; id .n. est cæcum, quod est capax visionis, & aliquando videt.

Oppositio contradictoria est inter ea, quæ se habent, vt affirmatio, & negatio. Horum autem semper alterum est verum, & alterum est falsum; nam si affirmatio est vera, negatio est falsa; si negatio est vera, affirmatio falsa.

In fine capitis posuit Aristoteles quasdam cõtrariorum proprietates; quarum prima est, quod bono semper est contrarium malum, vt sanitati languor, iustitiæ iniustitia. Secunda est, non est necesse, quod si vnum contrariorum sit in rerum natura, sit etiam, & reliquum. Tertia est, quod contraria habent esse circa idem genere, vt sanitas, & ægritudo circa animal, albedo, & nigredo circa corpus, & etiam circa idem specie, vt iustitia, & iniustitia. Quarta est, quod contraria habent esse sub eodem genere, vel sub diuersis generibus, vel possunt esse genera aliorum. Sub eodem genere, vt albedo, & nigredo sub colore; sub diuersis, vt iustitia, quæ est sub genere virtutum, & iniustitia, quæ est sub genere vitiorum, vel sunt genera aliorum, vt sunt bonum, & malum.

§. 2.

Dubia Expedio.

In hoc capite dubitatur primò: ***An si est vnum contrarium in rerum natura debeat esse etiam reliquum.***

Respondet Aegidius in hoc capite pag. 40. quod vel loquimur de primis contrarijs, vt sunt calidum, & frigidum, vel de contrarijs causatis ab illis; si primo modo loquamur, tunc si vnum contrariorum est in rerum natura, oportet quod sit, & reliquum, vt si est calidum, oportet esse frigidum ex 1. de cœlo. Si loquamur secundo modo, non est necesse, vt hic docet Aristoteles; vt si est albedo non est necesse, quod sit nigredo, & si est sanitas non est necesse, quod sit languor.

Dubitatur secundò: ***An bonum, & malum sint sub genere?***

Respondet Aegidius in finè capitis, quod si bonum, et malum considerentur in quantum sunt quid moris,

ris,sic non sunt sub alio genere moris, et ita loquitur hic Aristoteles; si verò considerentur, vt significant tales res naturæ, sic sunt sub genere qualitatis, et sub prima specie, et sic dixit Aristoteles, quod contraria sunt illa, quæ habent poni sub eodem genere.

CAPVT XXVIII.
De modis Prioris.

§. VNICVS,
Explicatio Textus.

TExtus. *Prius autē alterum altero dicitur quadrupliciter, &c.*

Intentum Aristotelis in hoc capite est agere de priori, & modos prioritatis assignare.

Quatuor ergo ex Aristotele sunt modi prioris; nam primò, aliquid dicitur prius tempore altero, vt ille, qui habet viginti annos, est prior illo, qui habent quindecim annos.

Secundò vnum dicitur prius altero secundum subsistēdi consequentiam, vt quando non conuertitur subsistendi consequentia, idest, non subsistit alteri in consequendo; vt sequitur homo est, ergo animal est, nam homo substat animali; non tamen è conuerso, quia non sequitur, animal est, ergo homo est.

Tertiò aliquod est prius altero secundum ordinem, vt proemium est prius tractatu, et literæ sunt priores syllabis, et principia sunt priora conclusionibus.

Quartò aliquod est prius altero secundum dignitatem, vt nobilis est prior plebeio secundum dignitatem.

CAPVT XXIX.
De Modis Simul.

§. VNICVS.
Explicatio Textus.

TExtus. *Simul autem dicuntur, &c.*

Intentum Aristotelis in hoc capite est assignare modos simultatis, qui sunt tres.

Primus modus est simultatis temporaneæ; ea autem dicuntur esse simul tempore, quæ eodem tempore generantur, vel fiunt; vt si in eodem momento temporis duo generentur, vel concipiantur.

Secundus modus est simultatis naturæ; ea autem dicuntur simul natura, quæ conuertuntur secundum existendi consequentiam, et vnum non est causa, vt aliud sit: vt Pater, et Filius; nam Pater in quantum Pater conuertitur cum Filio, et Pater, vt Pater non est causa Filij, sed illud quod potest esse Pater.

Tertius modus simultatis est diuisionis generis; ea autem dicuntur simul diuisione, quæ è contrario condiuidunt aliquod genus, vt differentiæ oppositæ, vel etiam species oppositæ, vt rationale, et irrationale, quæ diuidunt animal.

CAPVT XXX.
De Motu, et Habere.

§. VNICVS.
Explicatio Textus.

TExtus. *Motus autem species sunt sex, &c.*

Intentum Aristotelis in hoc capite

te eſt agere de vltimis poſtprædicamentis, ſcilicet, de motu, et habere. Diuiditur in duas partes, in prima agit de motu; in ſecunda de habere.

Quantum ad primam partem: ſpecies motus ſunt ſex, ſcilicet, Generatio, Corruptio, Augmentatio, Diminutio, Alteratio, et ſecundum locum mutatio. Generatio eſt motus, per quem producitur ſubſtantia. Corruptio eſt motus, per quem corrumpitur ſubſtantia. Augmentatio eſt motus ad maiorem quantitatem. Diminutio eſt motus ad minorem quantitatem. Alteratio eſt motus ad qualitatem. Mutatio ſecundum locum eſt motus ad aliquod vbi acquirendum. Motus habet pro contrario quietem, vt patet.

Quantum ad ſecundam partem, docet, quod habere dicitur multis modis; nam vno modo dicitur quis habere affectum, vel qualitatem. Secundò dicitur habere quãtitatem, vt habere magnitudinem. Tertiò dicitur habere membrum, vt habere pedem. Quartò habere contentum, vt habere lagenam vini. Quintò habere vxorem, hic tamen modus eſt alieniſsimus, et tantum dicit mutuam cohabitationem; ſi qui alij modi habendi ſunt, de eis dicendum eſt alibi, ſcilicet, in metaphyſica. Interim hæc dicta ſint ſatis de poſtprædicamentis. Et omnia deſumpta ſunt ex Aegidio ex libro prædicamentorum, et ſex principiorum.

LIBER SECVNDVS

De his, quæ pertinent ad ſecundam operationem Intellectus.

CAPVT PRIMVM

De Diuiſione.

§. I.

Quid, & Quotuplex ſit Diuiſio.

IN præſenti non ſumitur diuiſio, vt eſt operatio intellectus, ſed vt eſt inſtrumentum logicale rem conſiderandam diſtribuens, vt poſſit in ſcientia rectè diſponi, & ordinari ſecundum exigentiam noſtræ facilioris cognitionis. Licet autem non ſit modus ſciendi ſecundam operationem regulans: quia tamen authores de ea in ſecunda operatione pertractant, idcirco nonnulla hic de attingere libuit. Verum quia pauca de diuiſione ſcripſit Aegidius, ideo quæ dicam ex communiori ſententia ſeligam.

Diuiſio eſt oratio totum in ſuas partes diſtribuens; vt cum dicitur, animal aliud eſt rationale, aliud irrationale. Totum quod diuiditur, dicitur diuiſum; partes autem in quas diuiditur, dicuntur membra diuidentia.

Diuiſio duplex eſt; alia nominis, alia rei. Diuiſio nominis eſt oratio, qua diuiditur nomen æquiuocum in æquiuoca æquiuocantia, vt cum dicitur, canis alius eſt terreſtris, alius cęleſtis, & alius marinus.

Diuiſio rei alia eſt per ſe, alia per accidens, ſeu accidentalis. Diuiſio per ſe triplex eſt ſicut, & totum, quod diuidi poteſt: nam vel eſt totum integrale, vel eſt totum actuale, vel totum potentiale; ſic etiam triplex eſt diuiſio. Diuiſio totius integralis, eſt oratio diſtribuens totum in partes integrantes ex quibus componitur: vt cum diuiditur homo in caput, pectus, bracchia, &c. Diuiſio totius actualis, eſt oratio diſtribuens totum in partes actuales ex quibus actualiter conſtituitur: vt cum diuiditur homo in animam, & corpus: & hæc duplex eſt; altera phyſica, vt cum diuiditur totum in partes ex quibus phyſicè componitur. Altera metaphyſica, vt cum diuiditur totum in genus, & differentiam, v. g. cum homo diuiditur in animal, & rationale. Diuiſio totius

potentialis; est oratio qua totum potentiale diuiditur in partes, quas sub sua potestate continet, vt cum diuiditur animal in rationale, & irrationale. Diuisio totius integralis duplex est; alia est diuisio totius integralis continui, vt cum diuiditur lignum in palmas: alia totius integralis discreti, vt cum diuiditur numerus denarius in suas vnitates.

Diuisio accidentalis triplex est; alia est qua subiectum diuiditur in accidentia, vt cum diuiditur homo in album, & nigrum: alia est qua diuiditur accidens in subiecta; vt cū dicitur, alborum aliud lilium, aliud nix: alia est accidentis in accidentia, vt cum dicitur, alborum aliud dulce, aliud amarum.

Multæ sunt leges bonę diuisionis. Prima est, vt membra diuidentia sint inferiora diuiso: cum enim diuisum habeat rationem totius, & totum sit maius sua parte, membra diuidentia seorsim sumpta debent esse inferiora diuiso. Secunda est quod membra diuidentia simul, & collectiuè accepta euacuent totum diuisum; cum totum non sit aliud, quam omnes suæ partes collectiuè acceptæ. Tertia est, quod membra diuidentia habeant aliquam oppositionem, quia si nullam haberent, nec etiam haberent distinctionem, sed identitatem. Quarta, quod omnis diuisio sit bimembris, vel saltim reducibilis ad bimembrem.

§. 2.

De modis arguendi per diuisionem.

MVltiplex modus arguendi sumi potest ex diuisione; primus est. A diuiso ad diuisionem valet consequentia, & è conuerso, tam affirmatiuè, quam negatiuè: vt leo est animal: ergo rationale, vel irrationale: idem negatiuè, non est nec rationalis, nec irrationalis: ergo non est animal.

Secundus est, à membro diuidenti ad diuisum valet consequentia affirmatiuè, non tamen negatiuè. A diuiso verò ad quodlibet membrum diuidens valet negatiuè, non tamen affirmatiuè; vt est homo: ergo est animal: non est homo: ergo non est animal: prima valet, non tamen secunda. Item non est animal: ergo non est homo: valet.

Tertius est, quando membra sunt realiter opposita, bene valet à positione vnius membri ad negationem alterius: quia opposita non possunt esse simul, saltim naturaliter: vt equus est animal irrationale: ergo non est animal rationale.

Rogas. An idem cognoscamus per definitionem hominis, qua dicitur, homo est animal rationale; & per diuisionem essentialem hominis, per quam diuiditur in partes metaphysicas?

Resp. Diuisionem per se nihil notificare, quia cum accipiat vtramque partem diuisiuè, non potest intellectus ex vi eius cognoscere, an vnum alteri in sit, nec ne? & ideo per eam non posse notificari intellectui id, quod notificatur per definitionem: hæc enim accipit vtramque partem collectiuè, & ideo potest manifestare intellectui vnam alteri conuenire.

CA-

CAPVT SECVNDVM
De Nomine.

§. I.
Definitio Nominis cum Aegidio explicatur.

DIxi tum cap. tum disp. de Terminis. Terminum ad omnes tres operationes intellectus spectare, ad primam quidem sub ratione simplicis termini: ad secundam verò sub ratione nominis, & verbi: ad tertiam tandem sub ratione subiecti, & prædicati; & cum iam de ipsis sub prima consideratione determinauerim; modo de ijsdem sub secūda ratione dicere debeo, & quia terminus, vt spectat ad secundam operationem intellectus, est pars enunciationis, et per consequens nomen, vel verbum; idcirò de eis sub ista formalitate in præsenti decerno.

Nomen ergo sic ab Aristotele, & Aegidio lib. I. perhier. definitur. Est vox significatiua ad placitum sine tempore, cuius nulla pars significat separata. Hæc definitio est optima, & probatur ab Aegidio sic. Illa est bona definitio, quæ continet id, quod est de essentia definiti, & dimittit id, quod est extra essentiam eius: sed definitio nominis est huiusmodi: ergo &c. pr.mi. quia in ea ponuntur quinque particulæ, per quas differt nomē ab omnibus alijs, & per cōsequens in eis continetur essentia definiti, & per eas dimittitur, quod est extra essentiam definiti: nam primo ponitur ly *vox* loco generis, per quam remouentur soni, qui non sunt voces: secundo ponitur *significatiua*, per quam remouentur voces non significatiuæ, siuè sint illiteratæ, & inarticulatæ, vt sibilus pro nihilo factus: siue literatæ, & inarticulatæ, vt Buf, Baf, &c. Tertiò ponitur ad placitum, per quam differt nomen à vocibus significatiuis naturaliter. Quarto ponitur sine tempore, ad differentiā verbi. Quinto ponitur, cuius nulla pars &c. ad differentiam orationis, cuius partes separatæ significant: ergo definitio data de nomine continet id, quod est de essentia definiti, & dimittit quod est extra essentiam eius.

Rogas. Quænam excludantur à ratione nominis?

Resp. cum Aegidio hic, remoueri primo nomina infinita; & ratio est, quia de ratione nominis est significare naturam certam, & determinatam: sed nomen infinitum, vt *non homo*, non significat naturā certam, & determinatam: quia bene potest dici de eo quod est, & de eo quod non est, vt v. g. bene dici potest Chimera est non homo, & Leo est non homo: cum huiusmodi nomina habeant indifferentiam sui significati: ergo nomina infinita excluduntur à ratione nominis logicalis.

Secundo remouentur casus obliqui, & ideo apud logicum solus nominatiuus est nomen. Ratio autem est, quia nomen debet significare in recto, cum tantum in recto fiat nominis impositio: sed solus nominatiuus significat in recto: ergo solus ipse, non verò casus obliqui sunt nomina apud logicum. Et licet nominatiuus cadat à conceptu mentis, quia tamen cadit rectè, ideo adhuc dicitur rectus, & principaliter nomen: casus verò obliqui, cum non cadant rectè, sed tantum per originem

nem à nominatiuo: ideo propriè non sunt nomina.

Hoc ipsum probatur secundo ex Arist. & Aegidio, quia de ratione nominis est, vt quando ponitur cum verbo, sum, es, est; significet verum, vel falsum: sed hoc competit tantū nominatiuo; non vero casibus obliquis; nam si dicatur, *Cato est*; significatur verum, vel falsum: si vero dicatur, *Catonis* fuit, *vel erit*, non significatur verum, vel falsum: ergo: &c.

Affert autem exemplum de verbo, *sum, es, est;* quia sunt quædam verba impersonalia, quæ cum casibus obliquis significant verum, vel falsum: vt pœnitet Sortem; tædet me; nam actus veri intelliguntur fieri per illos casus obliquos: est enim sensus, pœnitentia habet Sortem; ego tædio afficior.

§. 2.

Dubia Expedio.

IN hoc capite Dubitatur primò. An partes nominis separatæ significent?

Resp. Cum Aegidio in hoc cap. pag.49 col. p negatiuè. Ratio autem Aegidij est, quia si illud quod magis videtur inesse, & non inest, nec illud, quod minus: sed magis videtur quod partes nominis compositi significent, quam partes nominis simplicis, & tamen illę partes separatæ non significant: ergo partes nominis separatæ non significant. pr. mi. quia in hoc nomine composito *Equiferus*, ferus quod est pars huius nominis non significat: sicut significat in ista oratione equus ferus: ergo &c.

Secundo probatur ex eodem ibidem, quia sicut se habet forma ad partes illius cuius est forma, ita se habet significatum nominis ad partes nominis, quarum est quomodo forma: sed forma non potest saluari in qualibet parte illius, cuius est forma vt anima hominis, non saluatur in manu, vel in pede: ergo nec significatum nominis potest saluari in vna parte ipsius nominis, sed tantum in omnibus simul sumptis.

Verum contra Ob. p. Partes horum nominum .s. Equiferus, Respublica, Dominus, Proconsul, &c.: separatæ significant, vt patet si separentur, nam equi, & ferus, res, & publica, do, & minus, Pro, & consul, separatæ significant: ergo falsum est quod dicitur.

Resp. Ex Aegidio pag. 49 col. p. neg. ant. & ad prob. dist. significant secundum apparentiam, concedo: secundum rei veritatem nego; & in hoc distinguuntur partes nominis simplicis à partibus nominis compositi, quod partes illius, si separentur, non significant nec secundum veritatem, nec secundum apparentiam: partes vero istius separatæ significant quidem secundum apparentiam, non tamen secundum rei veritatem. Dicit autem significare secundum apparentiam, quia si separatę considerentur, habent quidem suas significationes, tamen quando vniuntur, non assumuntur cum alijs partibus ad faciendum vnam significationem compositam, seu ad significandum vnum conceptum ex eis compositum; sed ad significandum vnum conceptum simplicem, vt mox dicam cum Aegidio: & ideo vt euadunt partes suscipiunt no-

nouam significationem conceptus, quam deponunt dum separantur, vt constat ex exemplo ab Aegidio adducto; vndè separatæ videntur significare ob conceptum simplicem, quem retinent, non tamen verè significant conceptum ad quem significandum sunt vnitæ.

Sed pro maiori intelligentia notat Aegidius loc. cit. quod nomen compositum, non est impositum à conceptione simplici; sed à conceptione composita, sicut hoc nomen lapis impositum est à læsione pedis, & sic à conceptione composita, & tamen simplicem conceptum significat: vnde quia nomen compositum imponitur à conceptione composita videtur quod eius partes significent; non tamen significant secundum rei veritatem: sed in simplicibus partes separatæ non videntur significare, quia sicut nomina simplicia imponuntur ad significandam conceptionem simplicem, ita imponuntur à conceptione simplici, & per consequens non videntur eius partes significare: vnde aliud est à quo nomen compositum imponitur ad significandum; aliud est ad quod significandum imponitur: nam imponitur ad significandum conceptū simplicem; imponitur tamen à conceptu composito; & sic aliud est à quo, & aliud ad quod. Ita Aegidius.

Ob. 2. partes termini complexi separatæ significant etiam secundum rei veritatem, vt patet si separentur hæ partes. Petrus albus, & significant secundum id, ad quod significandum sunt impositæ: ergo & partes nominis compositi, cum eadem ratio sit de istis, & de illis.

Confirmatur quia nomen æquiuocum est vere nomen, et tamen significat plura secundum rei veritatem: ergo de ratione nominis, siue simplicis, siue compositi non est quod sit impositum ad significandum vnum.

Resp. ex Doctrina cum Aegidio præmissa, neg. conseq. et ratio disparitatis est, quia terminus complexus non tantum est impositus à conceptione composita, sed etiam ad significandam conceptionem compositam, et ideo eius partes separatæ possunt significare etiam secundum rei veritatem, seu ex parte rei significatæ: at nomen compositum licet sit impositum à conceptione composita, secundum quam eius partes videntur significare; non tamen est impositū ad conceptionem compositam, sed tantum ad simplicem significandam; et ideo ex parte rei significatæ non potest significare dum separatur.

Ad confirmationem. Resp. Cum Aegidio p. Elench. pag. 11. col. p. dicente. Aliud est quærere vtrùm nomen possit significare plura, et vtrùm simul possimus eo vti ad plura significanda: manifestum est enim quod nomen potest plura significare, si sit impositum ad significandum plura tamen quia diuersa, vt diuersa sunt, non contingit simul intelligere, ideo termino semel sumpto non possumus vti æquiuoce, quia simul, et semel non possumus terminum æquiuocum per intellectum nostrum referre in omnia sua significata. Et licet eadem vox semel prolata apud diuersos auditores diuersa repræsentet, illa tamen vox non propriè semel sumitur, cum à diuersis diuersimode sumatur, &

se-

ſecundum diuerſas acceptiones, diuerſas conceptiones formet. Idem enim eſt idem nomen apud diuerſos diuerſa ſignificare, quam tale nomen non ſemel, ſed pluries ſumere. Hæc Aegidius. Ex his ad confir. in forma diſt. ant. ſignificat plura ſi ſemel ſumatur nego: ſi pluries concedo.

Dubitatur 2. An nomen poſſit infinitari?

Reſp. Cum Aegid. p. priorum pag. 51. col. 3. & 4. affirmatiuè. Ratio ex Aegidio eſt, quia omnis terminus finitæ ſignificationis poſſet fieri infinitæ: ſed nomen eſt terminus finitæ ſignificationis: ergo poteſt fieri ſignificationis infinitæ?

Dices perempta ſignificatione, interimitur nomen: ergo non poteſt eſſe, quod nomen poſſit infinitari, & maneat nomen.

Reſp. Ex Aegidio diſt. ant. interimitur nomen quod prius erat, concedo: quod de nouo generatur, nego: cum enim nomen infinitatur, tollitur nomen, & eius ſignificatio, quæ prius erat: & nouum nomen, ac noua ſignificatio generatur; quia generatur nomen, & ſignificatio infinita.

Dices 2. nomen primò ſignificat formam, ſecundo aggregatum: ſed ſublata forma tollitur ſignificatio: ergo ſublata forma ſignificationis, tollitur totum aggregatum, .ſ. nomen: ſed per infinitationem tollitur forma nominis; ergo & totum eſſe nominis, & per conſequens non remanet nomen ſub ratione nominis infiniti.

Reſpondet Aegid. diſt. mi. tollitur ſignificatio quæ prius erat; .ſ. ſignificatio nominis finiti concedo: nominis de nouo geniti nego: nam per infinitationem reſultat noua qualitas, & nouum aggregatum generatur, & ſic nouum nomen.

Dubitatur 3. *An omne nomen poſſit infinitari?*

Reſp. Cùm Aegidio p. priorum pag. 52. non omnia nomina infinitari poſſe: ad hoc enim quod nomen infinitetur, duo requiruntur: vnum eſt quod per ipſum ſignificetur qualitas finita, & non oportet eam ſubſtantiuari per qualitatem infinitam: alterum eſt quod non ſit nomen negatiuum, ſed quod ſit nomen poſitionem ſignificans, per primam conditionem non poſſunt infinitari nomina infinita, nec etiam ſigna vniuerſalia: per ſecundam non poſſunt infinitari huiuſmodi dictiones, nemo, nihil, &c. ſic etiam nomina priuatiua infinitari non poſſunt. Omnia autem alia ab his, infinitari poſſunt.

Verum contra Ob. p. omne nomen ſignificat ſubſtantiam finitam cum qualitate, ſed compoſitio ſubſtantiæ cum qualitate poteſt infinitari: ergo &c.

Reſp. Aegidius non omnem compoſitionem ſubſtantiæ cum qualitate poſſe infinitari; ſed tantum compoſitionem importantem qualitatem finitam, ſiue ſubſtantialem, ſiue accidentalem.

Ob. 2. omne nomen, vel eſt ſubſtantiuum, vel adiectiuum: ſed ſubſtantiuum infinitari poteſt, & qua ratione vnum, eadem infinitari poteſt & reliquum, cùm omnium nominum ſubſtantiuorum ſit eadem natura in quantum huiuſmodi.: ergo &c. Similiter nomen adiectiuum infinitari poteſt, & quam ratione

vnum

vnum, poteſt & reliquum; cùm omniũ ſit eadem natura: ergo abſolutè omnia nomina poſsũt infinitari.

Reſp. Cum Aegidio diſt.mi. ſubſtantiuum, & adiectiuum infinitari poteſt, vt ſunt talia reduplicatiuè nego: vt ſunt talia ſpecificatiuè concedo: non enim infinitantur quia reduplicatiuè ſunt ſubſtantialia, vel adiectiua: ſed quia ſignificant qualitatem finitam in ſubſtantia, & ideò non omne adiectiuum, vel ſubſtantiuum infinitari poteſt: ſed tantum quod importat qualitatem finitam in ſubſtantia.

Ex oppoſito videtur quod multa nomina infinitari non poſſint; vnde ad hoc probandum.

Ob. p. Hoc nomen ens infinitari non poteſt: ergo &c. pr. ant. nomen infinitum ponit aliquid ſuperius ad terminum infinitatũ, vt communiter dicitur: ſed ente nihil eſt ſuperius: ergo ſi dicatur *non ens*, nihil poni poterit, & per conſequens non poterit infinitari.

Reſp. Aegid. neg. ant. & ad prob. dicit non eſſe neceſſe omne nomen infinitum ponere aliquid ſecundum rem; ſed ſatis eſſe, ſi ponat aliquid ſecundum rationẽ: vnde cum infinitatur ens, quod ſimpliciter eſt: derelinquitur ens, quod eſt cõmune enti ſecundũ rem, & ſecundũ rationem.

Ob. 2. omnis infinitatio eſt alicuius compoſitionis peremptio: ergo nomina ſimplicis ſignificationis, & quæ in quantum ſignificant non important compoſitionem, non poterunt infinitari, & ſic iſta nomina, Deus, materia, forma, albedo, & huiuſmodi non poterunt infinitari.

Reſp. Cum Aegidio nullum nomen accidentis ſignificare rem ita ſimplicem, quin ſit in ea aliqua compoſitio; nam v. g. res ſignificata per hoc nomen albedo, importat compoſitionem ex luce, & diaphaneitate: ſimiliter nomen materiæ, & formæ non dicunt ſolam ſubſtantiam materiæ, vel formæ; ſed cum aliqua poſitione annexa; nam materia dicit ſubſtantiam materiæ poſitam cum forma; & forma dicit ſubſtantiam formæ poſitam cum materia. Similiter hoc nomen Deus: non enim eſt nomen diuinæ eſſentiæ, ſed alicuius proprietatis, per quam ipſum intelligimus: ſignificat enim idem hebraicè, quod timor latine; & ſic de alijs nominibus primę cauſæ: nullum enim illorum ſignificat diuinam eſſentiam puram, ſed per aliquam proprietatem dat eam intelligere, & ita in omni tali nomine eſt aliqua compoſitio, ad quam referri poteſt infinitatio.

Dubitatur 4. *An nomen infinitum ponat aliquid?*

Reſp. cum Aegidio 1. priorum pag. 52. col. 3. diſtinguendo de nomine: nam nomen vel eſt ſubſtantiuum, vel adiectiuum: in nomine ſubſtantiuo ſubſtantia, & qualitas non differũt per eſſentiam, ſed tantum ſecundum rationem, ſicut quod eſt, & quo eſt, qualitas enim ipſa forma eſt, per quam ſignificatio eius intellectu apprahenditur: ſubſtantia verò cum ipſa forma eſt tota eſſentia aggregati, vel pars dignior eius, & ideo ipſa priuata, priuatur tota ſignificatio talis nominis: vnde ſi infinitetur nomen ſubſtantiuum, tota ſignificatio eius negatur, & nihil ponitur; nihil quidem ſecundum rem, ſeu quod ſit in rerum natura; ſed ſolum ponitur ali-

quid secundum rationem, & imaginationem, sicut priuatio rei; vel ponitur aliquid secundum dictionem; & hoc ex eo, quia per huiusmodi nomina loquimur tanquam si res veras significarent, & sic huiusmodi nomina quando infinitantur dicuntur nihil ponere secundum naturam; & licet quando dicitur, non homo est qualitas; ly non homo possit denotare lignum, vel lapidem; quæ ponunt aliquid secũdum naturam: hoc tamen est per accidens, & contingenter: hoc tamen non est necesse, quia potest nihil esse secundum naturam, sed tantum secundum intellectum: nam cum dico, *non homo*, exponitur sic. Ens quod non est homo, vbi ly ens, non dicit aliquod ens secundum naturam, sed accipitur communiter ad ens secundum naturam, & secundum intellectum; & sic ponendo ens, non ponitur aliquid simpliciter, ex quo patet quod nomen substantiuum infinitatum nihil rei ponit per se loquendo. Si autem infinitetur adiectiuum, tunc vel tale nomen significat formam essentialem, vt sunt nomina differentiarum, vt rationale, animatum &c. & de his est eadem ratio, ac de substantiuis: vel significat formam accidentalem, vt album, iustum &c. & tunc in talibus qualitas, & substantia differunt secundum essentiá; significatur enim ibi qualitas finita accidentalis; substantia autem est infinita, de cuius essentia non est ipsa qualitas accidentalis, & ideo quando huiusmodi infinitantur, ponitur aliquid; priuata enim qualitate ponitur infinita substantia; nã dicendo, non album: est sensus aliqua res, quæ non est alba. Hoc præmisso.

Dico. Si infinitetur nomen substantiuum non ponitur aliquid secundum rem, sic etiam si infinitetur adiectiuum significans formam essentialem: si tamen infinitetur adiectiuum significans formam accidentalem, ponitur aliquid secundum rem. Ratio autem sumitur ex not. quia in nomine substantiuo substantia, & qualitas non differunt essentialiter, sed se habent sicut quod est, & quo est: ergo si infinitetur tale nomen, & priuetur qualitas, priuatur etiam, & substantia, & sic per infinitationem nihil ponitur. Quia verò in nomine adiectiuo substantia, et qualitas differunt essentialiter; ideo de eo est opposita ratio.

Verum contra hanc veritatem Ob. 1. ex Aristotele 1. priorum c. vlt. ei quod est non ęquale subiacet inęquale: ergo nomen infinitum aliquid ponit.

Confirmatur, quia ex Aristotele eadem est consequẽtia terminorum finitorum, & priuatiuorum, quæ est finitorum, & infinitorum: sed ad terminum priuatiuum sequitur terminus pure negatiuus: non tamen è conuerso: & hoc propter id, quod ponitur per terminum priuatiuum: ergo similiter ad terminum infinitum sequitur terminus negatiuus, & non è conuerso, & hoc erit, quia terminus infinitus aliquid ponit.

Resp. ex Aegidio Aristotelem loqui de nominibus infinitis adiectiuis accidentalibus: talia enim aliquid ponunt, vt dictum est.

Ob. 2. Si terminus infinitus nihil ponit, hoc est propter negationem; sed hoc non est dicendum: ergo nec id ex quo sequitur; pr. mi. quia tunc terminus infinitus non differret à ter-

termino pure negatiuo, quod tamen est falsum.

Resp. ex Aegidio neg. mi. & ad prob. dico, quod nomen infinitum substantiuum differt à nomine pure negato, quia nomen pure negatum nihil ponit, nec secundum rem, nec secundum rationem: nec aliquid derelinquit, aut secum cōpatitur quantum est de se: nomen autem substantiuum infinitum, licet rem nullam ponat, ponit tamen aliquid secūdum rationem, sicut priuationem, & aliquid derelinquit, aut secum compatitur quod est vere res; licet non ponat illud; bene enim possibile est cum sit non homo, quod sit lignum, vel lapis &c. hoc tamen per terminum infinitum non ponitur, quia circa quod est nihil secundum rem, sic quod est non homo.

Ob. 3. Si terminus infinitus nihil ponit: ergo vbi subijcitur terminus infinitus erit negatiua propositio; sed hoc est falsum, vt patet, ergo etc.

Resp. ex Aegidio neg. cōsequentiam; licet enim nomen substātiuum infinitum nihil ponat, non tamen si subijciatur facit propositionem negatiuam; ponit enim priuationem, quæ se habet sicut subiectum, & tanquam ens, sicut dicimus Chimæram significare ens, & priuationes, & negationes aliquid esse, nihil tamen ponit secundum rem; & est simile de eo quod dicimus, quod videndo tenebras, nihil videmus; ita intelligendo non hominem, nihil intelligimus; nec ly, non homo, aliquid simpliciter significat.

Dices; si significare non hominem est nihil significare: ergo non homo erit vox non significatiua, sicut bu, ba.

Respondet Aegidius neg. sequelam, quia ly, *bu, ba*, intellectum nullo modo constituit; at non homo, aliquo modo constituit; facit enim intelligere quod, homo non significatur: nullam tamen rem in intellectu constituit, sed solam rei priuationem. Vnde sicut videndo tenebras aspicio, vt videam aliquid, non tamen aliquid video: sic dum intelligo infinitum, intellectu circumspicio, vt rem aliquam appræhendam, & tamen non appræhendo, nisi priuationem rei: & ita dico de substantiuis infinitis.

Rogas. Quomodo debeat infinitari ens?

Respondet Aegidius, quod ens non debet propriè infinitari, nisi secundum quod dicit simpliciter ens secundum naturam; tunc autem cum infinitatur, priuatur simpliciter ens, & derelinquitur ens secundum rationem; istud tamen non ponitur propter ipsum. Si verò accipiatur ens, vt est commune enti secundum naturam, & secundum rationem, & addatur ei negatio; tunc sola negatio erit: quia nihil derelinquit illa priuatio, cùm priuet ens tam secundum rationem, quam secūdum rem: si enim omnino priuatur ens, est idem tunc quod nullo modo ens: ens autem in tali communitate acceptum, non est alicuius finitæ significationis, & ideo in tali acceptione non infinitatur. Hæc autem dicta sunt de nomine infinito in se considerato, quia si sumatur in comparatione ad alterum, vt in oratione, videtur aliquid ponere, vt non homo currit. Ita Aegidius.

Dubitatur 5. *An omne nomen priuari possit.*

Resp. cum Aegidio lib. 1. priorum pag. 53. nomen priuatiuum propriè reperiri in accidentalibus, & ideo ista nomina propriè priuari possūt. Ratio autem est, quia nomen priuatiuum propriè dicit priuationem formæ cum potentia, vel aptitudine ad eandem; sed talis est forma accidentalis, quia cum hæc priuetur habet potentiam, & aptitudinem, vt iterum insit: ergo omne tale nomen propriè priuari potest.

Dices omne nomen aliquem habitum significat, & omnis habitus habet aliquam priuationem: ergo quodlibet nomen fieri potest priuatiuum.

Resp. cum Aegidio, omnis habitus habet aliquam priuationem secundum negationem concedo: secundum veram priuationem nego: & ideo significatio cuiuslibet nominis potest tolli per negationem; non tamen quodlibet nomen potest fieri priuatiuum.

Dices irrationale, & inanimatum sunt priuatiua: & tamen non dicunt aptitudinem ad formam: ergo &c.

Respondet Aegidius, quod duplex est priuatio vna totalis, vt quæ priuat forma, & aptitudine ad formam: alia partialis, vt quæ priuat forma, non tamen aptitudine ad formam, vt iniustum inæquale, &c. hic non est sermo de nominibus priuatiuis primo modo, sed secundo.

Dubitatur 6. *An qualibet pars orationis infinitari possit?*

Resp. cum Aegidio lib. 1. prior. pag. 52. col. 1. quod pars orationis, quæ est pronomen propriè infinitari non potest. Ratio Aegidij est, quia id, in cuius significatione nulla cadit compositio infinitari non potest: sed in significatione pronominis nulla cadit compositio: cum significet substantiam terminatam: ergo non potest infinitari.

Deinde dico partes indeclinabiles non posse infinitari. Ratio est, quia in significatione partis infinitandæ debet esse aliqua compositio, circa quam sistat particula negationis; sed in significatione partium indeclinabilium nō est aliqua compositio; ergo &c.

Secundò, quia nihil infinitatur, nisi quod finitum est; sed partes indeclinabiles sunt indefinitæ in sua significatione; ergo &c.

Dices pronomen ex demonstratione contrahit finitam qualitatem; sed qualitas finita potest infinitari; ergo & pronomen.

Resp. cum Aegidio quod infinitatio non est cuiuscunque qualitatis, sed qualitatis signatæ per terminum; qualitas autem, quam contrahit pronomen ex demonstratione non est de significatione pronominis, & ideo gratia illius infinitari non potest.

Dubitatur 8. *Quid sit qualitas, & quid substantia in nomine infinito?*

Resp. ex Aegidio 1. prior. pag. 51. col. 4. quod priuatio qualitatis est ei pro qualitate: ens autem prout communiter se habet ad ens secundum naturam, & ad ens secundum rationem, seu dictionem, vel opinionem est ei pro substantia, siue aggregatum ex tali ente, & priuatione qualitatis in nomine finito.

Rogas. Quomodo differat nomen infinitum apud grammaticum, & apud logicum.

Resp. cum Aegidio pag. 53. col. 1. quod nomen infinitum apud gramma-

maticum tam substantiam, quam qualitatem significat, et propositionem, sed infinitè: at apud logicum significat cum priuatione, & non significat qualitatem veram, nec substantiam veram; sed priuationem formæ pro qualitate, & ens commune secundum rem, & secundum rationem, & pro substantia significat compositum ex tali ente, & qualitatis priuatione.

Rogas. Quare negatio aliquando in compositione cum nomine facit tantum pure negatiuum, vt nemo; aliquando autem tantum infinitat, vt non homo?

Resp. cum Aegidio pag. 53. quia cum dicitur *nemo*, negatio in compositione illa negat omnia supposita respectu prædicati, & ideo puram negationem facit: terminus autem infinitus ponit priuationem qualitatis cum ente communi secundum naturam, & secundum rem, & ideo puram dat negationem.

Dubitatur 9. *An definitio data de nomine sit conuenienter tradita?*

Resp. cum Aegidio lib. 1. perhier. c. 1. affirmatiuè, & ratio est, quia per illam definitionem explicatur essentia nominis, & dimittitur quod est extra essentiam eiusdem: ergo &c.

Verum contra Ob. 1. In definitione rei artificialis genus debet esse quid artificiale, non verò quid naturale: sed nomen est quid artificiale: ergo in eius definitione non debet poni ly vox, quæ est quid naturale, sed potius debet poni signum vocale.

Resp. ex Aegidio in hoc cap. neg. ma. quia ex 7. met. in definitione accidentis debet poni subiectum, cum hac tamen differentia, quod si accidens definiatur in cõcreto, tunc subiectum debet poni in recto: vt v.g. dicendo, simus est nasus curuus: si verò definiatur in abstracto; tunc subiectum debet poni in obliquo, vt dicendo, simitas est curuitas nasi, & quia nomen est accidens, & eius subiectum est vox, ideo debet poni subiectum in eius definitione: insuper quia nomen est accidens in concreto, ideo subiectum debet poni in recto, non in obliquo.

Ob. 2. Annus, Dies, Tempus, &c. sunt nomina, & tamen significant tempus: ergo non bene definitur nomen per illam particulam sine tempore.

Resp. ex Aegidio, quod tempus potest tripliciter considerari; primò vt est quædam res, sic significata per nomen, vt cum dico tempus, dies &c. Secundò secundum illud, quod tempore mensuratur secũdum quod huiusmodi, & quia tempore principaliter mensuratur motus, in quo consistit actio, & passio, ideo quantum ad hoc solum verbum, & participium, quæ significant actionem, & passionem, significant cum tempore, & habent tempus pro accidenti; quia verò substantia in quãtum significatur per nomen, vel pronomen, non mensuratur tempore, ideo nec nomen, nec pronomen significant cum tempore. Tertiò potest considerari tempus, vt dicit habitudinem temporis, & sic significatur per aduerbia, vt hodie, cras, heri &c. Ad argumentum ergo dist. ant. significant tempus, vt quædam res est, concedo: vt dicit actionem, vel passionem tempore mẽsuratam, nego: in definitione autem sumitur,

tur, ly sine tempore, secundo modo, non primò, nec tertiò.

Ob. 3. Hæc definitio competit nomini infinito, & casui obliquo: ergo non est bona.

Resp. Cum Aegidio neg. ant. nam per hoc quod dicitur significatiua, remouetur nomen infinitum, quia non habet determinatum significatum: & per hoc quod dicitur ad placitum remouetur nomen obliquum, quia non significat ad placitum, i. secundum institutionem hęc enim fit tantum in nominatiuo casu, non in obliquo.

CAPVT TERTIVM. De Verbo.

§. 1. *Definitionem Verbi expendo.*

VErbum ab Arist. & Aegidio cap. 3. perhier. definitur sic. Est vox significatiua ad placitum cum tempore, & est semper eorum, quæ de altero prædicantur, nota. Dicitur vox, ad excludendum sonos, qui non sunt voces; dicitur significatiua ad excludendum voces non significatiuas, vt dictum est de nomine; dicitur ad placitum ad excludendas voces significatiuas naturaliter, vt gemitus; dicitur cum tempore ad differentiam nominis, quod significat sine tempore: dicitur cuius nulla pars significat separata; ad differentiam orationis, dicitur, & est semper nota &c. ad differentiam participij.

Quod verbum significet cum tẽpore, probat Aristoteles, & Aegidius, quia omne illud, quod significat nunc esse, significat cum tempore: sed verbum, vt v.g. currit significat nunc esse: ergo &c.

Quod verò sit sẽper nota &c. pr. quia quod significat actionem vel passionem per modum actionis, vel passionis, habet ex sua natura alteri inhærere, & consequenter habet semper poni à parte prædicati, nunquam verò à parte subiecti, nisi nominaliter accipiatur, quatenus .s. transit in nomen; sed verbum significat actionem, & passionem per modum actionis, vel passionis: ergo habet ex sua natura, vt alteri inhæreat, & consequenter semper debet poni à parte prædicati, & esse signum prædicati.

Confirmatur ex Aegidio, quia in omni prædicatione est semper aliqua compositio: sed verbum significat hanc compositionem: ergo verbum semper prædicatur.

Rogas, quæ nam remoueantur à ratione Verbi?

Resp. Ex Arist. & Aegid. quod primò remouetur Verbum infinitũ vt nõ currit, non laborat; & ratio est quia verbũ debet significare actionem, vel passionem determinatam: sed verbum infinitum non significat actionem, & passionem determinatam: ergo &c. Licet autem verba infinita excludantur à ratione verbi, habent tamen consignificare tempus: nam sicut agere, & pati mensuratur tempore, ita & priuatio eorum; & ideo etiam quies mensuratur tempore, sicut motus; qua de causa dicimus, ille quieuit per totam diem: ergo etiam verba, quæ dicunt priuationem finitorum.

Insuper verba quæ sunt prædicata sicut alia, consignificant tempus: sed verba infinita sunt prædicata sicut

cut alia; ergo &c. pr. mi. nam sicut verbum quod significat actionem, vel passionem significat aliquid vt existens in altero, & etiam inhærens alteri, .s. subiecto, & ob id est prædicatum: ita verba, quæ significant remotionem actionis, vel passionis erunt prædicata sicut alia.

Rogas quare verbum infinitum non significat actionem, vel passionem determinatam?

Resp. ex Aegidio, quia indifferenter potest dici de eo quod est; & de eo quod non: nam cum dicitur, homo non currit, est sensus homo est non currens: quia in hoc differt verbum infinitum à verbo negatiuo: quod negatiuum sumitur in vi duarum dictionum; verbum autem infinitum sumitur in vi vnius dictionis: sed ly non currens tam posset dici de Chymera, quam de Asino &c. nam Chymera est non currens, Asinus est non currens: ergo indifferenter dici potest tam de eo, quod est; quam de eo quod non est.

Secundo remouentur verba obliqua, seu casus verbum, vt sunt præteritum, & futurum: Ratio autem est, quia illud est propriè verbum, quod significat agere, vel pati in actu: quod enim agit, vel patitur in actu, dicitur agere, vel pati simpliciter: sed verba præteriti, vel futuri temporis non significant agere, vel pati in actu, vt patet: ergo non sunt propriè verba, sed casus verborum.

Rogas, An nomen, & Verbum in aliquo conueniant?

Resp. Cum Aristotele, & Aegidio verbum conuenire cum nomine primo, quia etiam verbum secundū se dictum est nomen; quatenus nomen large sumitur .s. pro qualibet voce aliquid nominante .i. significante, verbum enim est vox significans aliquam rem .s. agere, vel pati, sicut etiam ipsa nomina significant aliquid. Ratio autem huius est, quia voces significatiuæ constituūt intellectum pro ipsa re: sed verbum constituit intellectum de ipsa re, quia generat aliquem intellectum, vel conceptum in animo auditoris: ergo verbum significat aliquid sicut & nomen.

Secundo conueniunt, quod sicut nomen per se sumptum non significant verum, vel falsum: ita nec verbum; neutrum enim per se significat rem esse, vel non esse per modum compositionis, vel diuisionis; & ideo neutrum significat verum, vel falsum. Ratio autem est, quia si illud quod magis videtur inesse, & non inest, neque illud quod minus: sed magis videtur quod hoc verbū, est, significet rem esse, vel non esse, & tamen si per se sumatur, non significat rem esse, vel non esse: est enim radix aliorum verborum, & ideo videtur quod magis debeat significare, quod tamen non habet: ergo &c. pr. mi. quia licet ly *est*, videatur significare quamdam compositionem; hanc tamen non significat sine extremis .i. sine subiecto; & ideo dum non apponitur subiectum, non est perfectus sensus suæ compositionis, ratione cuius possit significare verum, vel falsum.

Notat autem Aegidius quod significare cum tempore, est significare actionem vel passionem, quæ propriè tempore mensurantur cum fundentur in motu, & motus per se mensuretur tempore; & quia verbum, & participium significant actio-

actionem, vel passionem in motu fundatam, ideo propriè significant cum tempore: nomen vero, & pronomen licet significent rem quę est tempus, non tamen significant cum tempore, quia res significata prout sic significata, non habet tempore mensurari, sed significatur per modum per se stantis; vt cursus licet significet actionem, non tamen eam significat per modum actionis, sed per modum per se stantis.

Notat 2. quod Aristoteles ait, verbum semper esse notam eorum, quæ dicuntur, vel sunt in subiecto, propter diuersa prædicata .s. substantialia, & accidentalia: nam substantialia dicuntur de subiecto, vt homo est animal: accidentalia verò sunt in subiecto, vt homo est albus; vnde vt vtraque comprehenderet dixit. Quæ dicuntur, vel sunt in subiecto.

Notat 3. quod verbum principaliter significat quamdam actualitatem; vnde quando volumus significare aliquam formam, vel substantialem, vel accidentalem inesse subiecto, vtimur hoc verbo, est, & ideo principaliter significat actualitatē; ex consequenti verò significat compositionem, & ideo notanter Aristoteles de ly *est* dixit consignificat autem quamdam compositionem: & non dixit simpliciter, significat.

§. 2.

Dubia quædam excurro,

IN hoc capite, Dubitatur primò. *An Aristoteles rectè omiserit primas tres particulas dum verbum definiuit?*

Resp. Cum Aegidio in hoc cap. affirmatiuè, ratio est, quia vtens mirabili breuitate non tenetur in definitionibus replicare particulas definito, & alijs communes: sed esse vocem significatiuam ad placitum est commune tam verbo, quam nomini: ergo non tenetur definiens verbum immediatè post nomen eas replicare.

Dices eadem ratione debuisset omittere, ly *cuius nulla pars*, &c., quia etiam has posuerat in definitione nominis, sicut & istas: ergo male fecit omittendo illas.

Resp. Cum Aegidio pag. 51 col. p. neg. ant. quia verbum significat aliquam compositionem, in qua perficitur oratio significans verum, vel falsum: vnde cum verbum videatur habere aliquam conueniētiam cum oratione: est enim pars formalis eius, & non materialis, ideo magis videtur quod partes verbi significent separatæ, quam partes nominis, & hac de causa debuit repetere illam partem, cuius nulla pars &c.

Dubitatur 2. *An verbum ex intrinseca ratione habeat significare cum tempore?*

Suppositis his, quæ notata sunt §. 1. ex Aegidio nempe quod aliud est significare tempus: aliud significare cum tempore, aliud significare habitudinem temporis, & quod significare cum tempore est significare actionem, vel passionem fundatam in motu, cuius est per se tempore mensurari.

Dicò. Significare cum tempore est de intrinseco, & essentiali conceptu verbi. Ratio autem est, quia significare cum tempore est significare per modum actionis, & passionis fundatæ in motu, talis enim

actio

actio, & passio intrinsecè est sub mensura temporis, seu tempore mensuratur: sed omne verbum intrinsecè importat actionem, vel passionem in motu fundatam: ergo intrinsecè significat cum tempore.

Verum contra hoc Ob.p. propositiones æternæ veritatis abstrahunt à tempore: ergo verbum in eis non significat cum tempore.

Resp.dist. ant. quantum ad vnionem prædicati cum subiecto, concedo: nam prædicatum non conuenit subiecto ex vi temporis, nec eius connexio desinit esse pereunte tempore: quantum ad significationem verbi nego: licet enim verbum non dicat in eis vnionem extremorum vt dependentem à tempore; significat tamen illam sub ratione actionis, vel passionis,& ideo à nobis intelligitur cum mensura temporis.

Ob. 2. significatio verbi nunquam mutatur etiam si absoluatur à tempore: sed verbum significat ipsam copulam, & vnionem: ergo vnio numquam mutatur, sed vel semper dependet à tempore, vel si nòn dependet mutatur significatio.

Resp. ex notatis cum Aegid. dist. mi. significat ipsam copulam principaliter nego: ex consequenti, concedo; principaliter enim significat actualitatem quamdã per modum fluentis; ex consequenti vero significat vnionem, & compositionem; & quia non potest intelligi compositio sine extremis,ideo vnio quæ resultat ex extremis, resultat iuxta eorum exigentiam: .s. vel vt dependens à tempore, vel vt independens. Et licet quando propositio, vel extrema absoluuntur à tempore adhuc verbum vniat mediante aliqua differentia temporis ex parte modi significandi; non tamen ex parte rei vnitæ, & significatæ.

Ob. 3. *fuit*, & *erit*, significant idem quod verbum *est*, & tamen non absoluuntur à tempore, alias hæc,Adam fuit; esset æternæ veritatis, & sic esset vera etiam ante creationem Adæ, ergo etiam verbum *est* significat dependenter à tempore.

Resp. neg. ant. quia *fuit*, & *est* sunt casus verbi, & cum cadant à verbo restringuntur ad significationem præteriti, vel futuri; *est* autem est ipsum verbum, & significat rationem præsentis; id autem quod præsens est, potest significari non vt transiens, sed vt semper stans, & sic ex parte rei significatæ potest à tempore abstrahere.

Dubitatur 3. *An verbum sit semper nota eorum, quæ de altero dicuntur?*

Resp. Cum Aegidio pag. 51. lib. p. perhier. Verbum semper prædicari, sicut declaratum est in explicatione textus, & ideo semper est nota &c. Notat tamen quod actio, & tripliciter subiecto possunt considerari: primò secundum suam essentiam, prout .s. sunt quædam res significatæ per nomen: vt hæc actio, hæc passio: secundo per modum actionis, prout .s. est egrediens à substantia, & inhærens tamquam subiecto, & sic significatur per verba finitiui modi: tertiò potest appræhendi ille processus, seu illa inhærentia, vt quædam res, & sic significari, & sic dicta inhærentia significatur per verba infinitiui modi, & rem sic significatam consequitur quidam modus accidentalis habens rationem per se stantis, & ratione

illius potest accipi in vim nominis, & ita potest supponere, & sub ista ratione potest poni à parte suppositi, non tamen erit nomen, sed verbum, et significabit accidens in concretione.

Ob. primo verbum potest poni à parte subiecti, vt si dicatur, currere est bonum: ergo male dicitur, quod sit nota eorum &c.

Resp. cum Aegidio dist. ant. si sumatur formaliter, .i. pro significato formali, nego: si sumatur materialiter .s. pro ipsa voce disposita modo significandi in quantum est quędam res, concedo: & sic est in casu argumenti; nam cum dicitur currere est bonum, vel verbum: sensus est: hæc vox currere disposita tali modo significandi, est verbum.

Ob. 2. nota rei non est res: ergo si verbum est nota eorum, quæ prædicantur, non erit prædicatum.

Resp. cum Aegidio pag. 51. verbum quãtum ad vocem esse signum eorum, quæ de altero prædicantur, .s. rerum; nam prædicatio est rei de re. Addit quod verbum semper est nota eorum, quæ de altero prædicantur: quia omnia quæ prædicantur, prædicantur per naturam verbi.

Dubitatur 5. *An verbum ita constituat intellectum, vt audiens quiescat?*

Resp. cum Aegidio pag. 51. quod nomen per se sumptum constituit intellectum quantum ad primam operationem, & secundũ hanc quiescit animus, qui erat suspensus antequam illud nomen proferretur: non tamen constituit intellectum quantum ad secundam operationem, quæ est operatio intellectus componentis, & diuidentis: vnde intellectus, qui est appræhendens quiescit, cum profertur nomen, vel verbum: intellectus tamen qui est componens, vel diuidens non quiescit, nisi mediante perfecta oratione. Et nota quod ex hac doctrina definitionem termini, vt spectantis ad primam operationem intellectus, supra collegi.

Dubitatur 6. *An verbum infinitum sit verbum?*

Resp. cum Aegidio 1. perhier. pag. 51. verba infinita non esse verba in suo esse potissimo, cum non significent actionem, vel passionem determinatam: continentur tamen sub illa parte orationis, quæ est verbum, cuius significationem cohærctant.

Dubitatur 7. *An omne verbum possit infinitari?*

Resp. cum Aegidio lib. 1. prior. pag. 53. affirmatiuè. Ratio est, quia sicut se habet ens, quod est nomen, quantum ad infinitationem: ita se habet esse, quod est verbum; sed ens quod est nomen infinitari potest: ergo & esse quod est verbum, & per consequens hoc verbum *est*, poterit infinitari. Notat tamen quod si hoc verbum *est*, dicat esse secũdum rem, si infinitetur, relinquit esse secũdum rationem, & si non ponat ipsum: si autem dicat esse commune ad esse secundum rem, & secundum rationem, sic non significat aliquod esse determinatum, neque infinitè: ideo in hoc casu negatio addita non faciet infinitationem, sed puram negationem, cum priuet esse omnino, & nullum esse derelinquat; omnium enim infinitorum est hæc proprietas, vt aliquid derelinquat, & aliquid corrumpat, quãuis nõ ponat aliquid.

Ro-

Rogas. ***An verbum infinitari possit in omni differentia persona?***

Resp. cum Aegidio 1. prior. pag. 53. negatiuè, & ratio est, quia quando remouetur prædicatum ab actuali supposito est oratio negatiua; sed sic est in additione negationis ad primas, & secundas personas verborum, vt patet intuenti: ergo negatio addita primæ, & secundæ personæ verborum non facit verbum infinitum, sed negatum.

Dubitatur 8. ***An verbum infinitum tertia persona positum extra orationem differat in aliquo a verbo negatiuo?***

Resp. cum Aegidio 1. prior. pag. 53. col. 4. quod verbum infinitum nihil ponit secundum rem, seu quod sit in rerum natura; ponit tamen aliquid secundum rationem, nempe privationem actionis, quam actionem secum etiam compatitur, licet eam non ponat: potest enim esse quod id, quod ***non currit***, sedeat: vnde ponit esse quod est commune ad esse in re, & in ratione: verbum autem pure negatum quantum de se est, nihil ponit secundum rem, nec secundum rationem, nec aliquid derelinquit, aut secum compatitur. Ex hoc autem patet, quod verbum infinitum extra orationem differt à verbo pure negatiuo.

Dubitatur 9. ***An verbum infinitum positum in oratione differat à verbo pure negato?***

Resp. ex Aegidio 1. prior. pag. 53. col. 4. quod hæc est differentia inter verbum negatum, et infinitum, quod negatum ex se habet, quod actualiter neget aliquid ab aliquo, & quod orationem faciat negatiuam: verbum tamen infinitum, id non habet ex se, sed ex suis extremis; cum enim extrema in oratione ita se habeant, quod alterum ab altero necessario remoueatur, quando oratio actualiter exprimitur, ideo & verbum infinitum ex vi eorum eamdem conditionem contrahit, ac verbum negatum, & per consequens in oratione est verbum pure negatum modo dicto.

CAPVT QVARTVM.
De Oratione.

§. 1.
Orationis definitio explicatur.

Dictum est de principijs materialibus enunciationis, modo dicendum est de principio formali, .i. de oratione, quæ est genus enunciationis. Oratio ergo ita ab Aristotele, & Aegidio definitur. ***Oratio est vox significatiua ad placitum, cuius partium aliqua est significatiua separata, vt dictio, non vt affirmatio, vel negatio.*** Notat Aegidius quod Aristoteles hic posuit illas particulas, ***vox significatiua ad placitũ,*** quas posuerat in definitione nominis, non tamen in definitione verbi, ex eo quod communes essent nomini, & verbo, hic tamen iterum eas posuit, quia aliter conueniunt nomini, & verbo: quam orationi: nam nomen, & verbum significant conceptum simplicem; ipsa verò oratio significat conceptum compositum, & ideo debuit illas repetere. Definitur autem hic oratio in communi, vt abstrahit à perfecta, & imperfecta; tam à simplici, quam à composita, cathegorica, & hypothetica. Hæc definitio est recta, & probatur

quoad omnes eius partes. Quod oratio sit vox significatiua ad placitum, patet ex definitione nominis, & verbi, quod verò eius partes separatæ significent; pr. quia partes huius orationis, *homo currit*, separatæ significant. Quod significent, vt dictio, pr. quia oratio habet partes propinquas, & remotas: propinquæ sunt dictio, vt ly homo, remotę sunt literæ, vel sillabæ; partes autem orationis propinquæ separatę significant, vt patet; non tamen partes remotæ. Quod verò non significent, vt affirmatio, vel negatio, pr. quia illę partes, quibus si aliquid addatur, fit affirmatio, vel negatio; non significant sicut affirmatio, vel negatio, sed sicut dictio: sed partes orationis sunt huiusmodi, quia si addatur eis aliquid fit affirmatio, vel negatio: ergo non significant sicut affirmatio, vel negatio, sed sicut dictio tantum.

Diuiditur oratio in orationem perfectam, & imperfectam. Oratio imperfecta est quæ non significat verum, vel falsum; seu quę perfectum sensum non generat in animo auditoris. Oratio perfecta est, quæ perfectum sensum generat in animo auditoris. Oratio perfecta duplex est, alia quæ significat verum, vel falsum, quam solam considerat logicus, & hæc est enunciatio; quæ vel est affirmatiua, vel negatiua, vt infra; alia quæ non significat verum, vel falsum, & hæc quatuor species principales habet: nam alia est deprecatiua, vt libera me Domine; alia imperatiua, vt exi cito in plateas; alia interrogatiua, vt quid me vis facere? alia vocatiua, vt ò bone Iesu; quibus si addatur enunciatiua erunt quinque species principales orationis perfectæ.

Sufficientia autem harum specierum hæc est ex Aegidio lib. 1. perhier. pag. 52. nam vel intellectus concipit veritatem rei absolutè, & sic est oratio enunciatiua, quæ significat mentis conceptum absolutè, in quo est verum, vel falsum: vel concipit veritatem non tantum in se ipso, sed etiam in ordine ad alia dirigenda, & ordinanda (rationis enim est alia dirigere, et ordinare) & tunc vel oratio dirigitur ad alium, vt ipse attendat mente, & sic est oratio vocatiua: vel dirigitur ad alium, vt respondeat voce, & sic est oratio interrogatiua: vel dirigitur, vt fiat executio in opere, & hoc dupliciter; nam vel hoc est respectu superiorum, & sic est oratio deprecatiua: vel respectu inferiorum, & sic est oratio imperatiua: ergo tantũ erunt quinque species orationis perfectæ; cum tãtum veritas his quinque modis principaliter concipi possit. Aliæ species orationis perfectæ reducuntur ad istas, nam optatiua reducitur ad deprecatiuam: & dubitatiua reducitur ad interrogatiuam. Ex his autem sola oratio enunciatiua pertinet ad logicum; & ratio est, quia enunciatio ordinatur ad scientiam demonstratiuam, in qua demonstrator habet vti absoluta veritate: sed veritas absoluta solum significatur per enunciationem: ergo hæc tantum ad logicum pertinet. Aliæ autem pertinet ad Rhetores, vel Poetas, nam isti plerumque nituntur auditores mouere prouocando ipsos ad aliquas passiones, & ideo vtuntur orationibus perfectis, quæ spectant ad ordinationem audientis.

§. 2.
Dubia quadam excurro.

IN hoc capite dubitatur primò. *An definitio orationis sit bona?*

Resp. cum Aegidio in hoc cap. affirmatiue; ex quo etiam sic explicatur. Dicitur oratio, & non orationes, quia oratio pertinet ad secundam operationem intellectus, atque adeo non est imposita ad significandum conceptum simplicem, sed conceptum compositum, & quia conceptus compositus est per modum vnionis facientis aliquod totum, ideo in singulari dicitur, quod est vox, vt .s. explicetur ille conceptus vnus, & totalis resultās ex vnione partium ad inuicem. Dicitur cuius partium, non verò cuius partes, propter negationes, & alias partes syncathegorematicas, quæ non significant ex Aegidio aliquam rem absolutè, sed tantum habitudinem rei. Dicitur vt dictio, non vt affirmatio: siue quia hic definitur oratio simplex, quæ per prius est oratio, & non oratio composita: vnde licet partes orationis compositæ significent, vt affirmatio; quia tamen definitio non datur de oratione cōposita, sed simplici, ideo bene dicitur, vt dictio. Siue quia hic definitur oratio communiter sumpta ad simplicem, & compositam; ad perfectam, & imperfectam; & ideo debuit definiri per id, quod competit cuilibet orationi; hoc est, quod eius partes significent, vt dictio: vtramque rationem amplectitur Aegidius: ergo definitio erit rectè tradita. Aliæ particulæ explicatæ manent ex §. 1.

Verum contra Ob. 1. per hanc definitionem non differt oratio à termino complexo: ergo non est bona: pr. ant. quia etiam partes termini complexi significant, vt dictio.

Resp. neg. ant. & ad prob. dist. significant secundum se, & absolutè concedo: significant sub habitudine dictionis dictæ de alia, vel de qua alia dicitur, nego: in hoc enim distinguuntur partes termini complexi, & orationis; quod illæ significant, vt absolutè pertinent ad intellectum simplicem: istæ verò, vt important habitudinem ad intellectum, & conceptum compositum, cum pertineant sub hac ratione ad secundam operationem intellectus, & ideo dici potest, quod partes vtriusque sunt eædem materialiter, non tamen formaliter propter dictam habitudinem.

Ob. 2. Non est de essentia orationis, quod partes eius significent, vt dictio: nam hæc est vera oratio. A non est B. & tamen eius partes separatæ non significant, vt dictiones, sed vt literæ: ergo definitio non est bona.

Resp. dist. ant. non est de essentia orationis, quod omnes eius partes significent vt dictio, concedo; quod aliquæ nego; Aristoteles enim dicit cuius partium, non verò quod omnes eius partes &c. & quia in illa oratione ly *est* significat, vt dictio, ideo sufficit ad rationem orationis.

Resp. secundò, quod licet illæ partes non significent explicitè, vt dictiones: significant tamen implicitè, quatenus vel supponunt pro dictionibus ad quas significādas sunt impositæ, vt si homo vocetur A. & albus B. vel supponunt pro se ipsis,

vt

vt vocibus, vt dicendo, hæc vox A. non est hæc vox B.

Ob. 3. Hæc est oratio: si sol lucet super terram, dies est; & tamen eius partes significant, vt affirmationes: ergo non bene dicitur, non vt affirmatio, &c.

Resp. ex Aegidio datam definitionem, vel tantum conuenire orationi simplici, non autem compositæ; vel esse traditam de oratione secundum rationem genericam orationis, in qua conueniant omnes orationes mundi, quæ conuenientia est in eo, quod partes significent, vt dictiones; vnde licet partes illius orationis significent immediatè, vt affirmationes; non tamen mediatè, seu quatenus conueniunt in vna ratione generica omnibus communi; quia sic significant, vt dictiones.

Dubitatur 2. *Quare Aristoteles sicut dixit, non vt affirmatio, non etiam addidit, & negatio?*

Resp. cum Aegidio 1. perhier. pag. 52. quod negatio addit supra affirmationem tantum particulam negatiuã; vnde bene sequitur, quod si non significant, vt affirmatio, multo minus significabunt, vt negatio, cum hæc supponat affirmationem, eique tantum illam particulam superaddat.

Dubitatur 3. *An ista: Currit, curro, pluit, & è conuerso, sint orationes?*

Resp. Non esse orationes explicitè, cùm explicitè non sint plures termini vniti, esse tamen implicitè, quia in illis verbis intelliguntur implicitè supposita, quibus conueniat actio: nam cum dicitur, *currit*, intelligitur Sortes v. g. cum dicitur pluit intelligitur cœlum, vel Deus; & cum dicitur, *è conuerso*, intelligitur propositio antecedenter prolata; v. g. homo est animal rationale, & è conuerso; intelligitur enim animal rationale est homo, & sic implicitè sunt orationes.

CAPVT QVINTVM.

De Enunciatione tam quoad substantialia, quam quoad accidentalia ex Aristot. & Aegidio.

§. 1.

Definitur, & diuiditur enunciatio.

Antequam definitionem enunciationis statuam, noto cum Aegidio lib. 1. prior. c. 1. quod licet secundum rem idem sit propositio, & enunciatio; differunt tamen inter se consideratione, quia eadem propositio considerata vt tantum respicit id, quod est in anima .s. verum, vel falsum; dicitur enunciatio, & pertinet ad secundam operationem intellectus; considerata verò, vt est gratia alterius .s. gratia conclusionis, dicitur propositio, & pertinet ad tertiam operationem intellectus; hic dicendum est de enunciatione sub prima consideratione.

Enunciatio autem sic accepta definitur ab Aristotele, & Aegidio sic. Est oratio verum, vel falsum significans. Hæc definitio est bona, quia per eam differt enunciatio ab omnibus aliis orationibus tam perfectis, quam imperfectis; differt ab imperfectis, quia istæ non significant verum, vel falsum; cum non generent perfectum sensum in animo auditoris; differt à perfectis, quia licet ge-

nerent perfectum sensum in animo auditoris, non tamen significant verum, vel falsum, vt si dicatur, vtinam essem bonus logicus, quia non significant rem esse, vel non esse.

Diuiditur enunciatio ab Aristotele primo penes vnitatem ex Aegidio pag. 52. col. 4. sic. Enunciatio alia est vna, et hæc est oratio significans vnum de vno; alia est enunciatio plures, et est oratio significans plura, vt canis currit; hæc enim oratio propter terminum æquiuocum plura significat. Enunciatio vna subdiuiditur; nam vel est vna simpliciter, vel est vna coniunctione; prima est oratio, quæ simpliciter significat vnum de vno, siue nomen sit vnum, siue plura, dummodo res significata sit vna simplciter, vt homo est animal, et homo est substantia corporea animata sensitiua rationalis; secunda est oratio significans plura simpliciter, vnum autem secundum quid, vt Sortes, et Plato currunt.

Ex hoc autem colligitur ad enunciationem reqiri verbum, vel casum verbi, quia etiam si proferantur plures termini, vt animal grassibile bipes; non tamen ob id illi termini sunt enunciatio, quia non apponitur nec est, nec erit, vel fuit.

Dicitur autem enunciatio vna, non quia proferatur sine pausa, et coniunctione, sed quia res significata est vna modo dicto.

Secunda diuisio. Enunciatio simplex alia est affirmatiua, alia negatiua. Affirmatiua est vox significatiua de eo quod est aliquid; dicere enim hoc esse hoc, pertinet ad affirmationem; negatiua est vox significatiua dicens non esse aliquid, hoc enim pertinet ad negationem: vnde dicere esse, vel non esse, sunt differentiæ diuidentes enunciationem simplicem, & constituentes has species enuntiationis .s. affirmatiuam, & negatiuam: & hæc diuisio est penes qualitatem.

Tertiò diuiditur penes quantitatem, & diuiditur sic. Enunciatio alia est de subiecto vniuersali, vt de homine; alia est de subiecto singulari, vt de Sorte: si sit de subiecto singulari, dicitur singularis, vt Sortes est iustus: si sit de subiecto vniuersali: vel est de eo vt vniuersaliter sumpto & dicitur vniuersalis, vt omnis homo est iustus: si sit de subiecto vniuersali particulariter sumpto, dicitur particularis, vt aliquis homo est iustus: si vero sit de subiecto vniuersali sumpto sine aliquo signo, dicitur indefinita, vt homo est iustus. Omnes autem hæ enunciationes possunt esse vel affirmatiuæ, vel negatiuæ, & facile est in omnibus exemplificare.

Quarta diuisio est penes tempus: nam alia enunciatio est de præsenti, alia de præterito, alia de futuro: vt Sortes est iustus, Sortes fuit iustus, Sortes erit iustus: & hæ omnes possunt esse vel affirmatiuæ, vel negatiuæ.

Quinta diuisio est penes materiam. Materia propositionum non est aliud, quam habitudo prædicati ad subiectum. Hæc habitudo potest esse triplex: nam vel prædicatum per se inest subiecto, & sic est materia necessaria, seu naturalis: vt homo est animal: vel prædicatum repugnat subiecto, & sic est materia impossibilis, vel remota, vt homo est Asinus; vel prædicatum medio

dio

dio modo se habet, ita quod nec per se inest; nec per se repugnat; & sic est materia de possibili, vel de consequenti; & sic enunciatio alia est de materia necessaria, alia de materia remota, seu repugnante, alia de materia contingenti, vel possibili; vt Sortes est albus. Et nota ex Aegid. pag. 48. col. 4. quod enunciatio Cathegorica est enunciatio simplex, Hypothetica verò est enunciatio composita, vel coniuncta.

§. 2.

De Substantia, qualitate, & quantitate Enunciationis simplicis.

EX præmissis diuisionibus colligi potest quid sit substantia, quid qualitas, & quid quantitas enunciationis: substantia enim est quæ pertinet ad vnitatem, vel pluralitatem enunciationis, vt quod sit vna, vel plures; simplex vel composita: Cathegorica, vel hypothetica; & de hac quæritur cum interrogatur per quæ: vt si quæratur. Quæ est ista enunciatio? Respondendum est per eius substantiam, & dicendum: est simplex, vel composita, seu cathegorica, vel hypothetica.

Qualitas enunciationis est quod sit affirmatiua, vel negatiua; nam affirmatiua dicit esse, negatiua dicit non esse; sed dicere esse, vel non esse, non est essentia enunciationis abstractæ: ergo erit qualitas eiusdem: vnde cum quæritur; qualis est ista enunciatio? Respondendum est per affirmatiuam, vel negatiuam.

Quantitas enunciationis est extensio subiecti ad suum significatum, & est quadruplex .s. vniuersalis, indefinita, particularis, & singularis; & hæc quæritur cum dicitur, quanta est ista enunciatio? & respondendum est, quod est vniuersalis, indefinita, particularis, vel singularis. Pro hac re sunt hi versus.

Quæ, ca, vel hyp, qualis, ne, vel af.
V. quanta, par, in, sin.

Sensus autem est, quoad interrogationem factam per quæ: respondēdum est per ca, .i. cathegoricam, vel per hyp. .i. hypotheticam. Ad interrogationem factam per qualis: respondendum est per ne, .i. negatiuā, vel af. .i. affirmatiuam. Ad interrogationem factam per quanta: respondendum est per V. Par, In, Sin. .i. per Vniuersalem, Indefinitam, Particularem, & singularem.

Nota tamen quod enunciatio tūc est vniuersalis quando subiecto apponitur signum vniuersale, vt omnis nullus, quilibet, quicunque: ista enim sunt signa vniuersalia: tunc est particularis quando subiecto apponitur signum particulare, vt hic, ille, aliquis, quidam &c. tunc est indefinita quando subiectum ponitur sine signo: tunc est singularis quando subiectum est nomen singulare, vt Sortes vel Plato. Signum vniuersale affirmatiuum significat quod prædicatum attribuitur subiecto vniuersali pro tota multitudine sub se contenta; signum vniuersale negatiuum significat quod prædicatum remouetur à tota illa multitudine: signum particulare significat quod prædicatum attribuitur subiecto vniuersali pro aliquo particulari, vt aliquis homo est iustus, vt docet Aegidius lib. p. perhier. pag. 53. col. 4.

§. 3.

§. 3.

De oppositione Enunciationum.

VT determinet Aristoteles de oppositione enunciationum, & ostendat quod cuilibet affirmationi opponitur negatio: præmittit duas diuisiones quarum vna est, quod enunciatio alia est affirmatiua, alia negatiua, de qua iã dictum est. Secundo præmittit quod quatuor modis potest enunciatio variari: nam contingit aliquando enunciare esse de eo quod est, & hoc verè, vt coruus est niger, aliquando non esse de eo quod est, vt coruus non est albus; & his duobus modis contingit verè enunciare: aliquando verò contingit enunciare esse de eo quod non est, vt coruus est albus; & non esse de eo quod est, vt coruus non est niger; & his duobus modis contingit enunciare falsè; & hoc non solum in præsenti, sed etiam in præterito, & futuro.

Ex hoc autem colligit quod omne quod quis affirmauerit, contingit negare, & quod quidquid quis negauerit, contingit affirmare: ergo si cõtingit affirmare esse de eo quod est, & de eo quod non est, & hoc idem contingit negare, quidquid contingit affirmare, contingit negare, & è conuerso, & per consequens omni affirmationi erit opposita negatio, & negationi opposita erit affirmatio.

Hoc supposito declarat quomodo enunciationes ad inuicem opponantur: sed antequam hoc declaretur, præmitto quod oppositio in communi definiri solet sic. Est repugnantia duarum enunciationum in figura sitarum in veritate, aut falsitate, in qualitate, aut quantitate per negationem facta. Species autem oppositionis sunt quatuor .s. contradictoria, contraria, subcontraria, & subalterna.

Oppositio contradictoria ex Aristotele hic, est oppositio eiusdem de eodem: Vbi notat Aegidius quod ad hoc vt sit contradictio, oportet quod sit eiusdem subiecti; ideo hæc non est contradictio: Sortes currit, Plato non currit. Secundo oportet quod sit eiusdem prædicati, & ideo hæc non est contradictio: Sortes currit, Sortes non disputat. Tertio oportet quod sit vnum nomen, & vna res, & nulla sit æquiuocatio, & ideo hæc non est contradictio, Canis currit, Canis non currit quia canis est nomen æquiuocum; & tandem quæ determinantur contra sophistas impediunt contradictionẽ; hæc autem sunt quatuor; primò quando additur determinatio ad subiectum, vt hic est albus secundum dentes, & non est albus secundum faciem: ergo est albus, & non albus: non sequitur contradictio: secundo quando additur determinatio ad prædicatum; vt ouum in potentia est animal, & non in actu: ergo est animal, & non est animal; non sequitur contradicto. Tertiò impeditur contradictio quando est diuersitas loci, vel temporis, vt pluit in Germania, & non pluit in Gallia. Quarta impeditur ratione alicuius extrinseci, vt cum dicitur isti homines sunt multi in domo, & pauci in ciuitate; non sequitur in hoc contradictio. Ita ex Aegidio.


Oppositio contraria est repugnantia duarum propositionum vni-

uersalium de eisdem prædicatis, subiectis, & copulis, quarum vna est affirmatiua, altera negatiua, vt omnis homo est iustus: nullus homo est iustus.

Oppositio sub contraria est repugnantia duarum propositionũ, quarum vna est particularis affirmatiua, altera particularis negatiua, sed sunt de eisdem subiectis, & prædicatis, ac copulis.

Oppositio subalterna est repugnantia duarum propositionũ, quarum vna est vniuersalis, altera particularis, & solum differunt in quantitate, in alijs tamen conueniunt; vt aliquis homo est iustus, aliquis homo non est iustus.

EXEMPLA.



Ex his autem colligitur ex Aristot. & Aegid. quod vniuersalis affirmatiua, & particularis negatiua, & vniuersalis negatiua ac particularis affirmatiua, sunt contradictoriȩ; vt patet in exẽplo proposito.

Vniuersalis affirmatiua, & vniuersalis negatiua sunt contrariæ.

Vniuersalis affirmatiua, & particularis affirmatiua: item vniuersalis negatiua, & particularis negatiua sunt subalternæ.

Particularis affirmatiua, & particularis negatiua sunt subcontrariæ.

Colligitur etiam id quod est ab Aristotele principaliter intentum, nempe quomodo enunciationes affirmatiuæ, & negatiuæ opponantur: patet enim quod vel opponuntur contrariè, vel contradictoriè, vel subcontrariè; non tamen opponuntur subalternè.

Est tamen aduertendum quod sicut positum est exemplum in materia

ria contingenti; ita poteſt poni in materia neceſſaria, & impoſſibili, in quibus eadem eſt oppoſitio quantum ad affirmationem, & negationem.

§. 4.

De veritate, & falſitate oppoſitarum enunciationum.

AEgidius 1. perhier. pag. 54. & 55. ex Ariſtotelis ſententia docet non eſſe ſimile iudicium faciendũ de his enunciationibus quãtum ad veritatem, & falſitatem: vnde ex eius doctrina colligo has regulas.

Prima eſt. Contrarię non poſſunt eſſe ſimul veræ, ſed in materia contingenti ſunt ſimul falſæ, in materia naturali, & neceſſaria, affirmatiua eſt vera, negatiua eſt falſa, vt omnis homo eſt animal, eſt vera: nullus homo eſt animal, eſt falſa: in materia remota negatiua eſt vera, affirmatiua eſt falſa: vt nullus homo eſt aſinus eſt vera: omnis homo eſt aſinus eſt falſa.

Secunda eſt. Cõtradictoriæ numquam poſſunt eſſe ſimul veræ, vel ſimul falſæ, ſed in omni materia vna eſt vera, altera eſt falſa; nam in materia contingenti vniuerſalis ſemper eſt falſa, & particularis ſemper eſt vera; vt omnis homo eſt iuſtus, eſt falſa: quidam homo non eſt iuſtus, eſt vera: in materia autem neceſſaria affirmatiua ſemper eſt vera, negatiua ſemper eſt falſa: in materia verò remota negatiua ſemper eſt vera, affirmatiua ſemper eſt falſa.

Tertia eſt. Subcontrariæ in materia contingenti poſſunt eſſe ſimul veræ: in materia neceſſaria affirmatiua ſemper eſt vera, negatiua ſemper eſt falſa: in materia remota, negatiua ſemper eſt vera, affirmatiua ſemper eſt falſa.

Quarta eſt. Subalternæ in materia contingenti ſubalternans vniuerſalis poteſt eſſe falſa, ſubalternata autem ſeu particularis poteſt eſſe vera: in materia naturali ſi ſubalternans eſt vera, ſubalternata etiam eſt vera, & ſi ſubalternans eſt falſa, etiam ſubalternata eſt falſa: in materia remota ſubalternans, & ſubalternata affirmatiuæ ſunt falſæ: ſubalternans autem negatiua, & ſubalternata negatiua ſunt veræ.

Mouet autem Ariſtoteles difficultatem de veritate, & falſitate harum enunciationum ſecundum diuiſionem deſumptam ex differentia temporis. An ſcilicet idem ſit ferendum iudicium de veritate, & falſitate quantum ad propoſitiones de præſenti, & de præterito, ac de futuro?

Reſpondet autem (vt ait Aegidius pag. 55. col. 4.) quod in enunciationibus de præſenti, & de præterito, neceſſe eſt quod affirmatio, vel negatio ſit determinatè vera, vel determinatè falſa. Declarat hoc in illis enunciationibus in quibus de vniuerſalibus ſubiectis aliquid vniuerſaliter prædicatur; in his enim neceſſe eſt, quod ſemper vna ſit vera, & altera falſa: vna affirmatiua, & altera negatiua in quacunque materia, & ſimiliter eſt in enunciationibus ſingularibus, quia eodem modo contradictoriè opponuntur. In illis tamen enunciationibus, in quibus aliquid prædicatur de vniuerſali non vniuerſaliter, non eſt neceſſe quod ſemper vna ſit vera, & altera falſa: quia ambæ poſſunt eſſe veræ tam de præterito, & præſenti, quam de futuro:

turo: vnde in istis non est necesse alteram partem esse veram, alteram falsam. In indefinitis autem similiter se habet sicut in vniuersalibus vniuersaliter sumptis tam de futuro, quam de præsenti, & præterito; nã in materia naturali affirmatiua est vera, negatiua est falsa: in materia remota negatiua est vera, affirmatiua est falsa; & similiter ambæ particulares veræ sunt in materia contingenti in quolibet tempore; sed in singularibus futuris est quædam dissimilitudo: nam in præsentibus, & præteritis semper oportet, quod altera oppositarum sit vera, & altera falsa, (loquendo in materia contingenti, non in naturali, & remota, in istis enim materijs semper se habent eodem modo, siue de præsenti, siue de præterito, siue de futuro) vnde solum est diuersitas in illis de futuro quantum ad materiam contingentem, & difficultas est: An in singularibus de futuro contingenti necesse sit alteram esse determinate verã, alteram determinate falsam? Ita ex Aegidio loc. cit.

Ad hanc difficultatem respondet Aristoteles. In singularibus enunciationibus de futuro contingenti affirmationem, vel negationem non esse determinatè veram, aut determinatè falsam, non tamen ob id dicendum esse neutram partem esse veram.

Probatur prima pars ab Aristotele primo, quia si in singularibus de futuro contingenti omnis affirmatio est determinatè vera, vel falsa, tunc omne quod est, necessario esset; & omne quod non est, necessario non esset, et per consequens omnia euenirent de necessitate, & nihil à casu, & ad vtrumlibet: sed hoc est impossibile: ergo & id ex quo sequitur; ma. pr. quia si omnis affirmatio, vel negatio in singularibus de futuro contingenti est vera, vel falsa: oportet quod negans, vel affirmans determinatè dicat verum, vel falsum: ergo oportet omnia determinatè esse, vel non esse; nam hæc duo cõuertibiliter se habent, scilicet quod sit verum, & quod ita sit in re; & quod sit falsum, & ita non sit in re: ergo omnia essent de necessitate, & nihil à casu, & ad vtrumlibet; pr. hæc vltima consequentia, quia si omnis affirmatio, vel negatio determinatè sit vera: affirmans vel negans diceret verum, sed si esset ad vtrumlibet similiter fieret, & non fieret: illud enim est ad vtrumlibet, quod non magis sic, quam sic se habet.

Secundo probatur, quia si aliquid est verum modo de præsenti, vt aliquid est album: primo verum fuit dicere, quod erit album, & hoc ante vnum diem, vel ante mille annos, & sic verum fuit dicere de quolibet, quoniam est, vel erit, nec potest non esse, vel non futurum esse, .i. non fieri: sed si non potest non fieri, impossibile est non fieri; & si impossibile est non fieri, necesse est fieri, vt infra ostendetur, & si necesse est fieri, tũc nihil fit à casu, nec ad vtrũlibet: sed de necessitate; ergo &c.

Tertiò, quia sequeretur quod non oporteret negotiari de quolibet; cõsilium enim non est de illis, quæ sunt ex necessitate, sed tantum de contingentibus, & de his, quæ possunt esse, & non esse: at hoc est falsum: ergo &c. ma. pr. quia iam futura de necessitate euenirent.

Quartò, quia si futura contingentia

tia de necessitate euenirent, tunc nō oporteret negotiari propter diuitias acquirendas; dato enim quod non negotiemur adhuc diuitias habebimus, & si semines bladum habebis, & dato quod non semines etiam habebis, quod tamen est impossibile.

Quod autem ista, quæ sequerentur sint impossibilia, probat quia, illa quorum nos sumus causa per nostra consilia, non eueniunt de necessitate; sed nos sumus causa multorum per nostra consilia: ergo multa sunt quæ non eueniunt de necessitate; mi. pr. quia nos sumus causa, & principium multorum futurorum, nam dominus potest præcipere seruo, quod faciat aliquod, quod tamen nōn fieret, nisi primo consuleret, & per consiliū alicuius aliquando fiunt bella, quæ non fierent, nisi esset eius consilium: ergo &c. ergo in his enunciationibus nō est similiter veritas, sicut in alijs.

Probatur secunda pars, nempe quod non ob id dicendum sit, quod neutra pars sit vera; nam sicut in istis singularibus de futuro contingenti non est verum dicere, quod altera pars determinatè sit vera, altera falsa, sic non potest verè dici, quod neutra sit vera, sed dicendum erit, quod vtraque pars non careat veritate; & probat hoc, quia affirmatio, & negatio diuidunt verum, & falsum, quod patet ex diuisione veri, vel falsi, nam verum non est aliud, quam esse quod est, & nō esse quod non est: & falsum non est aliud, quam enunciare esse quod non est, vel non esse quod est; & sic oportet quod semper si affirmatio sit falsa, negatio sit vera, & è conuerso; sed secundum prædictam positionem affirmatio erit falsa negatione existente falsa, & similiter falsa erit negatio affirmatione existente falsa: ergo impossibile est quod vtraque pars careat veritate; tunc enim sequeretur quod duæ contradictoriæ essent falsæ, quod est contra illud principium de quolibet verum est affirmare, vel negare, & de nullo simul.

Rogas: Quomodo ergo erit veritas, vel falsitas in istis enunciationibus?

Respondet Aristoteles ex Aegidio, quod ita se habent huiusmodi enunciationes ad veritatem, vel falsitatem sicut se habent res ad esse, & non esse, quia ab eo quod res est, vel non est oratio dicitur vera, vel falsa; sed res contingentes futuræ ita se habeat, quod sub disiunctione necesse est quod sint, vel non sint: ergo etiam enunciationes de futuris contingentibus, ita se habere debēt, vt necesse sit quod sub disiunctione altera pars contradictionis determinatè sit vera, altera falsa: non tamen quod hæc determinatè sit vera, illa determinatè sit falsa; sed ad vtrumlibet. Ex his autem alijsque ab Aristotele, & Aegidio adductis colligitur, quod non eodem modo est veritas, & falsitas in enunciationibus de præsenti, & de futuro contingenti; nam in enunciationibus de præsenti necesse est, quod semper altera sit determinatè vera, & altera falsa, sed in singularibus de futuro cōtingenti necesse est alteram veram, alteram falsam esse sub disiunctione, sed non determinatè alteram tantum esse veram. Hæc ex Arist. & Aegidio quoad literam.

De

§. 5.

De vnitate affirmationis, & negationis.

VBi Aristoteles diuersos modos, quibus enunciationes opponuntur enumerauit, colligit tanquam manifestum vnius affirmationis vnam esse negationem; & quid ad vnitatem enunciationis requiratur, explicat. Primum probat hac ratione, omnis illa negatio, quæ negat idem prædicatum de eodem subiecto quod affirmauerat affirmatio, est vna respectu illius affirmationis: sed omnis negatio negat idem prædicatum de eodem subiecto, quod affirmabat affirmatio: ergo omnis negatio est vna respectu illius affirmationis: ma. patet, quia illud idem negat negatio, quod affirmabat affirmatio, & de eodem subiecto similiter.

Hoc ipsum exemplis confirmat: nam huic, Socrates est albus, hæc tantum tanquam eius propria negatio opponitur .s. Socrates non est albus: nam si esset aliud prædicatum, vel aliud subiectum, non esset negatio opposita, sed esset diuersa, vt ista Socrates non est musicus, non est negatio istius, Socrates est albus. Similiter in terminis vniuersalibus vnius affirmationis vnica est negatio, vt huius, omnis homo est albus; negatio propria est, non omnis homo est albus, quæ æquipollet particulari negatiuæ, & huic: aliquis homo est albus: opponitur ista; nullus homo est albus, & huic: homo est albus, opponitur vt negatio, homo non est albus.

Secundum autem manifestat docendo, quod tunc affirmatio, vel negatio est vna, quando affirmat, vel negat vnũ de vno, siue illud vnum quod subijcitur sit vniuersale vniuersaliter: siue non vniuersaliter, sed particulariter, & indefinitè: siue subiectum sit particulare, vel singulare, & exemplificat in omnibus, vt omnis homo est albus, non omnis homo est albus: nullus homo est albus, quidam homo est albus: Hæ enim enunciationes habent vnitatem si album vnum significet: hoc autem addit, quia in lib. top. docet album significare album in voce, & albũ in colore, & proinde esse æquiuocum ad illa duo, & vult dicere quod ad vnitatem enunciationis requiritur quod tam subiectum, quam prædicatum significent vnũ, & non plura. Ex hoc autem fit, quod ad vnitatem enunciationis non sufficiat vnitas vocis, vel nominis, quia potest esse quod vnum nomen imponatur diuersis rebus, ex quibus non fiat vnum per se: tunc enim non erit affirmatio, vel negatio vna: nam si tunica, v. g. imponatur ad significandum hominem, & equum, & dicatur: tunica est alba, & tunica non est alba: non erit affirmatio vna, nec etiam negatio; sed erunt plures: nam si tunica significat hominem, & equum, & dicatur, tunica est alba, idem erit ac si diceretur, homo, & equus est albus: ergo si hæc homo, & equus est albus, non est enunciatio vna, sed plures, etiam ista tunica est alba: non erit vna, sed plures. Asserit autem Aristoteles, quod idem est dicere: tunica est alba, & dicere; homo est albus, equus est albus. Hoc autem sic est intelligendum ex Aegidio, quod .s. nihil differant quantum ad plura-

lita-

litatem : quia sicut istæ duæ sunt plures, ita & illa : differunt tamen quantum ad veritatem ; quia illa, homo est albus, & equus est albus, cum sit quædam copulatiua, non potest esse vera, nisi vtraque pars sit vera : illa tamen tunica est alba, dato quod significet illa duo, tamen potest esse vera altera existente falsa, aliter non opporteret tales propositiones multiplices distinguere ; & sic benè potest esse vera, vna parte existente vera, dato quod altera pars sit falsa. Hæc dicta sint satis ex Aegidio circa textum p. lib. perhier.

§. 6.

Quædam ex Aegidio noto circa literam.

CIrca ea quæ in hoc capite dicta sunt, noto primo ex Aegid. pag. 54. quod signũ vniuersale negatiuum bene potest addi prædicato, vt omnis homo est nullus lapis, sic etiam signum particulare affirmatiuum, vt homo est quoddam animal : de signo tamen vniuersali affirmatiuo est distinguendum : nam si prædicatum sit superius ad subiectum, numquam signum verè potest addi prædicato: si verò prædicatum sit æquale, vel etiam in minus tunc verè potest addi si non sit signum positum in subiecto ; nam hæc est vera animal est omnis homo: homo est omnis homo ; sed si signum esset ex parte subiecti, tunc esset falsa dicendo, omnis homo est omnis homo.

Noto 2. ex eodem pag. 54. col. 4. quod quando Aristoteles diuidit rẽ per vniuersalem, & particularem, hæc diuisio non est intelligenda de rebus vt habent esse absolutum in re ; quia sic non datur res vniuersalis, quæ vt talis habent esse in re: sed est intelligenda de rebus secundum quod cadunt in intellectu, qua ratione illa quæ habent esse coniunctum in rebus, possunt ab intellectu separari, & distingui ; nam in lactè albedo & dulcedo habent esse coniunctum, intellectus tamen potest appræhendere lac vt album, non appræhendendo ipsum vt dulce : sic etiam potest intellectus rem significatam per hominem appræhendere secundum esse proprium quod habet in Sorte, qua ratione dicitur singularis ; & potest appræhendere in quantum est communis pluribus, & sic est vniuersalis, & est obiectum intellectus, & ita licet à parte rei omnis res sit singularis, tamen ex parte intellectus dici potest vniuersalis, prout nempè cadit sub operatione intellectus.

Noto 3. ex eodem loc. cit. quod Aristoteles rectè definit vniuersale per hoc quod est esse aptum natum de pluribus dici, quia potest esse quod vniuersale actu non prædicetur de pluribus : si enim solus Sortes existat in mundo, homo erit vniuersale, et tamen non prædicabitur de pluribus. Alio modo potest hoc euenire .s. ex conditione naturæ, vt est in sole ; forma enim solis de se est multiplicabilis, sed quia alia materia non est susceptibilis talis formæ, ideo impeditur quod actu non prædicetur de pluribus, sed aptitudine ?

Nota 4. ex eodem loco cit. quod de vniuersali contingit enunciare quatuor modis duobus prout ap-

pre-

præhenditur ab anima, et duobus prout habet esse in re extra; vno enim modo enunciatur de eo, vt appræhenditur ab anima, vt cum dicitur homo est species; alio modo enunciatur de eo, vt appræhenditur ab anima pro esse tamen quod habet in re extra, vt cum dicitur, homo est dignissimus creaturarum, sensus enim est quod non est aliquis homo quin sit dignior alijs creaturis ab homine: alijs autem modis enunciatur de vniuersali, pro esse quod habet in singularibus.

Noto 5. ex eodem quod de singulari enunciamus tripliciter; primò vt accipitur ab anima, vt cum dicitur, Sortes est indiuiduum: secundo enunciamus de eo ratione naturæ vniuersalis vt cum dicitur, Sortes est animal: tertiò ratione sui ipsius vt cum dicitur, Sortes ambulat. De homine similiter aliquando enunciamus ratione naturæ vniuersalis, vt cum dicitur: homo est animal: & aliquando ratione naturæ singularis, vt cum homini attribuitur aliquod prædicatum accidentale, vt homo est albus, homo ambulat.

Not. 6. ex Aegidio pag. 55. quod quando Aristoteles dicit: istæ duæ homo est albus, & homo non est albus opponuntur tamquam affirmatio, & negatio, et sic contradictoriè non est intelligendus de virtute locutionis, quia sic non contradicunt, sed in ordine ad idem suppositum, vt dicamus: homo est albus, pro Sorte; homo non est albus pro eodem Sorte, sic enim contradicunt; non tamen primo modo, quia de virtute locutionis homo non stat magis pro Sorte, quam pro Platone; atque adeo sic tantum sunt indefinitæ, et subcontrariè, non tamen contradictoriæ.

Not. 7. ex Aegidio pag. 56. quod triplex est genus contingentium: nam quoddam est contingens vt in paucioribus, vt inuentio thesauri in horto. Quoddam est contingens in pluribus, vt canescere in senectute. Quoddam est contingens ad vtrum liber, vt quod Sortes currat, vel non currat; & omnia ista genera deperirent, si affirmatio, vel negatio de futuro contingenti esset determinate vera, vel falsa.

Not. vltimò quod Aegidius in fine p. lib. perhier. mouet, & soluit hanc difficultatem: An .f. omnia eueniant de necessitate? Quam difficultatem hic excurram, quia non habet connexionem cum disputatione infra instituenda. Ad eius ergo solutionem notat primò Aegidius, quod necessarium est illud, quod in natura tantum determinatum est ad esse; impossibile est quod determinatum est solum ad non esse: possibile vero est id, quod ad neutrum determinatum est omnino.

Notat 2. quod omne quod est, vel habet esse in seipso, & de tali simpliciter dici potest in præsenti quod est: vel habet esse quoddámodo in suis causis, & de hoc non potest simpliciter dici quod est. Tribus autem modis aliquid habet esse in suis causis; primò vt ita sit in sua causa, quod de necessitate ex illa proueniat; & tunc de necessitate habet esse in sua causa, vt quod sol cras oriatur. Secundo ita est in sua causa, vt hæc habeat inclinationem ad effectum, qui tamen impediri potest, vt quod rosa floreat in verè.

Ter-

Tertiò aliquid est in sua causa pure in potentia, ita vt non magis sit determinatum ad vnum, quam ad alterum, vt quod Sortes currat. Hoc notato.

Respondet ad difficultatem non omnia euenire ex necessitate: ratio autem est, quia ea, quæ possunt impediri, non eueniunt ex necessitate: sed multa quæ fiunt possunt impediri, vt quod rosa floreat, quod Sortes currat: ergo &c.

Sed Ob. p. posita causa sufficienti ponitur de necessitate eius effectus: sed omnis effectus in his sublunaribus habet causam sufficientem, alias non reduceretur ad esse: ergo &c.

Respondet Aegidius maiorem esse fallam, quia ignis additus lignis est causa sufficiens combustionis, & tamen potest impediri ex infusione aquæ.

Ob. 2. Corpora cœlestia sunt causa horum inferiorum; sed illa agunt de necessitate: ergo effectus in his inferioribus producti, euenient de necessitate.

Respondet Aegidius multa fieri in his inferioribus, quæ non sunt propter virtutem corporum cœlestium, vt illa quæ ab intellectu, & voluntate habent esse; cum enim corpora cœlestia ex eorum corporeitate nequeant agere in spiritum, seu in non corporale, multa fieri poterunt ab intellectu, & voluntate independenter à corporibus cœlestibus.

Ob. 3. Scientia est infallibilis: ergo omnia infalibiliter, & necessario eueniunt.

Respondet Aegidius dist. ant. est infallibilis quia imponat futuris necessitatem, nego: quia infallibiliter cognoscit omnia futura secundū quod ordinauit, concedo: Deus autem ordinauit quod aliqua determinatè se haberent ad esse, vt necessaria: alia ad non esse, vt impossibilia: & alia ad vtrumlibet, vt contingentia, & ideo non omnia eueniunt de necessitate.

Ob. 4. Ea quæ fiunt à voluntate nostra fiunt ab ea necessario: ergo ob voluntatem nostram nihil potest contingenter euenire: pr. ant. quia voluntas nostra de necessitate mouetur ab aliquo appetibili, cum bonum sit proprium obiectum voluntatis à quo voluntas non potest se diuertere: ergo de necessitate eligit id quod ei vt bonum proponitur, & per consequens omne quod est à voluntate, necessario ab ea est.

Respondet Aegidius neg. ant. & ad prob. distin. de necessitate mouetur ab appetibili quod est tale ex se, seu quod habet rationem vltimi finis concedo: nam voluntate naturali omnes appetunt vltimum finem: ab appetibili quod est tale propter finem nego: affert exemplum de esse, & inesse: omnes enim naturaliter appetunt esse; cœterum alia bona particularia, quæ in humanis actibus consistunt, vt commedere hunc cibum, vel illum, qui possent mouere appetitum secundum aliquod bonum in eis consideratum, non appetunt ex necessitate, sed libere, ideo &c.

CAPVT SEXTVM.
De Numero Enunciationum.

§. 1.
Numerus Enunciationum de secundo adiacente assignatur.

SVperius determinauit Aristoteles de enunciatione secundum se; hic determinat de eadem pænes aliquid ipsi additum ratione cuius enunciatio diuersificatur. Duobus autem modis diuersificari potest enunciatio, vel penes aliquid additum ad terminos; vel penes aliquid additum ad compositionem: si diuersificetur primo modo, vel diuersificatur penes aliquid additum ad subiectum, vel penes additū ad prædicatum: nam cum enunciatio significet aliquid de aliquo, & sit vel de secundo, vel de tertio adiacente; additio fieri poterit, vel ex parte subiecti, vel ex parte prædicati, & prius dicendum est de additione ex parte subiecti; subiectum autem est, vel nomen finitum, vt homo, vel nomen infinitum, vt non homo. Dicitur nomen infinitum, quia non est impositum ab aliqua forma determinata. Infinitatur autem per particulam *non*, sibi præpositam.

Particula enim, *non*, extra enunciationem apposita nomini, facit nomen infinitum, apposita verbo, facit verbum infinitum; vt nō homo est nomen infinitum, & non currit est verbum infinitum: apposita autem nomini, vt est subiectum, seu vt est in enunciatione, non facit negationem, sed affirmationem de subiecto infinito; apposita prædicato in enunciatione, nō facit negationem, sed affirmationem de prædicto infinito: nam hæc, *non homo est*, est affirmatio de subiecto infinito, cuius negatio est, *non homo non est*. Ista autem, *homo est non iustus*, non est negatio, sed affirmatio de prædicato infinito, cuius negatio est, *homo non est non iustus*. Apposita verbo fungenti officio verbi facit negationem, vt homo non currit, homo non est albus, & licet sit verbum infinitum, cum differt tamen à verbo negato, vt dicam infra cum Aegidio. Potest etiam apponi quantitati, sed de tali appositione infra. Et de diuersitate enunciationis ex parte subiecti prius est determinandum.

Enunciatio ergo vel est de inesse, & est illa, quæ simpliciter enunciat prædicatum inesse subiecto, vel est modalis, quæ etiam addit modum quo prædicatum inest subiecto. Enunciatio de inesse, vel est de secundo adiacente, & est illa in qua verbum est prædicatur secundo adiacens, & tūc propriè prędicat quod est in se, vt Sortes est: sensus est quod sit in rerum natura: vel est de tertio adiacente, & est illa in qua prædicatur tertium adiacens, & tunc prædicat quod est in alio, vt homo est albus: tunc enim non significat quod homo sit in rerum natura, sed quod albedo insit homini. Dicitur autem tertium adiacens, non quia sint ibi tria adiacentia, sed quia est tertia dictio, quæ adiacet.

Enunciatio de secundo adiacente, vel est de subiecto finito, & facit primam affirmationem, & primam negationem: vel de subiecto infinito, & facit secūdam affirmationem, et secundam negationem: quia enim no-

nomen finitum prius est quam nomen infinitum, ideo enunciatio de nomine finito facit primam affirmationem, vel primam negationem.

Enunciatio de subiecto finito sic distingui potest. Alia est indefinita, alia vniuersalis, alia particularis, alia singularis, & quælibet vel est affirmatio, vel negatio.

Indefinita affirmatio, vt homo est. Indefinita negatio, vt homo non est.

Vniuersalis affirmatio, vt omnis homo est. Vniuersalis negatio, vt nullus homo est.

Particularis affirmatio, vt quidam homo est. Particularis negatio, vt quidam homo non est.

Singularis affirmatio, vt Sortes est. Singularis negatio, vt Sortes non est.

Enunciatio de subiecto infinito eodem modo diuiditur.

Indefinita affirmatio, vt non homo est. Indefinita negatio, vt non homo non est.

Vniuersalis affirmatio, vt omnis non homo est. Vniuersalis negatio, vt nullus non homo est.

Particularis affirmatio, vt quidam non homo est. Particularis negatio, vt quidam non homo non est.

Singularis affirmatio, vt non Sortes est. Singularis negatio, vt non Sortes non est.

Hæ autem omnes, tam .f. enunciationes de subiecto finito, quam de subiecto infinito (excepta singulari de subiecto infinito) opponuntur sicut dictum est supra de enunciatione in generali. Dixi excepta singulari &c. quia istæ, non Sortes est, & non Sortes non est, non habent illam veram contradictionem, quam habent singulares de subiecto finito; immo nec vllam habent oppositionem, cum sensum habeant indefinitum, & possint simul verificari, & ratio est, quia de subiecto infinito singulari nihil potest enunciari, cum singulare sit indiuiduum signatum, quod non potest significari per nomen infinitum, non Sortes enim significat indistinctè quidquid est præter Sortem: vnde hæc enunciatio tantum dicitur singularis secundum apparentiam quamdam, & ob terminum finitum, vt ob ly Sortem, qui est singularis.

Notat autem Aegidius pag. 59. col. 1. quod hæ enunciationes non tantum opponuntur secundum affirmationem, & negationem; sed etiam secundum subiectum finitum, & infinitum. Et licet Aegidius cum Aristotele tantum exemplificet in indefinitis, placuit tamen ad maiorem claritatem etiam in alijs quantitatibus exempla afferre. Sicut autem diuersificantur in tempore præsenti, ita possunt diuersificari in tempore præterito, & futuro.

§. 2.

Numerus omnium enunciationum de tertio adiacente assignatur.


Enunciatio de tertio adiacente duas oppositiones habet, alteram secundum affirmationem, et negationem: alteram secundum esse finitum, vel infinitum, siue infinitum sit ex parte prædicati, siue ex parte subiecti: vnde sic diuidi potest. Enunciatio de tertio adiacente, vel est de subiecto finito, vel de subiecto infinito. Enunciatio de subiecto finito, vel est de prædicato fini-

finito; vel de prædicato infinito, & hoc in qualibet quantitate enunciationis: vt v. g. homo est iustus, hæc est affirmatio de subiecto, & prædicato finito. Homo non est iustus. Hæc est negatio de subiecto, et prædicato finito,& vtraque est in quantitate indefinita, & si addatur signũ vniuersale affirmatiuum, vel negatiuum, erunt quantitatis vniuersalis.

Enunciatio affirmatiua de prædicato infinito, vt homo est nõ iustus. Enunciatio negatiua de prædicato infinito, vt homo non est nõ iustus. Enunciatio affirmatiua de subiecto infinito, & prædicato finito, vt non homo est iustus. Enunciatio negatiua de eisdem, vt non homo non est iustus. Enunciatio affirmatiua de subiecto infinito, & prædicato infinito, vt non homo est non iustus. Negatiua de eisdem, non homo non est non iustus. Hæ omnes possunt fieri in omni quantitate, .s. in indefinita, vniuersali, particulari, & singulari, in quibus facilè est exemplificare.

Inter has autem enũciationes hæc est habitudo, æquiualentia,seu consequentia ex Aristotele, & Aegidio, quod duæ affirmatiuæ .s. affirmatiua simplex, seu finita; vt homo est iustus, & affirmatiua infinita,vt homo est non iustus, se habent secundum consequentiam ad affirmationem, & negationem, ita quod ad affirmatiuam simplicẽ sequatur negatiua infinita, vt ad hanc, homo est iustus, sequitur ista, homo non est non iustus, & ad affirmatiuam infinitá sequatur negatiua simplex, & finita, vt ad istam: homo est non iustus; sequitur homo non est iustus. Duæ verò negatiuæ non sic se habent, vt .s. ad negatiuas sequantur affirmatiuæ: nam ad istam homo non est iustus; non sequitur hæc:homo est iustus. Idem autem dicendum est in enunciationibus de prædicato priuato, ac de prædicato infinito: sicut enim ad hanc, homo est non iustus, sequitur illa homo non est iustus: ita ad hanc priuatiuam, homo est iniustus, sequitur hæc, homo non est iustus. Manifestat hoc in tali figura. Disponatur figura in cuius primo angulo, qui sit A. ponatur affirmatiua de prædicato finito, vt homo est iustus; in secundo angulo à latere, qui sit B. ponatur negatiua de prædicato finito, vt homo non est iustus; in tertio sub A. qui sit C. ponatur negatiua de prædicato infinito, vt homo non est non iustus; in quarto sub B. qui sit D. ponatur affirmatiua de prædicato infinito, vt homo est non iustus, & sub B. ponatur etiam affirmatiua de prædicato priuato, vt homo est iniustus; & sub C. ponatur negatiua de prædicato priuato, vt homo non est iniustus; & fiat talis figura rectè pro indefinitis.

Ho-



Oppositæ finitæ possunt esse simul veræ, cum subiectum possit stare pro diuersis.

Oppositæ infinitæ, & priuatiuæ possunt pariter simul esse veræ cum in eis etiam subiectum possit stare pro diuersis.

Ad istam, ***homo est iustus***, tanquam ad antecedens, sequuntur istæ duæ .s. ***homo non est non iustus, & homo non est iniustus***.


Ad istas verò ***homo est non iustus***, ***homo est iniustus***, tanquam ad antecedens sequitur ista, ***homo non est iustus***.

Cernitur hoc in hac figura: nam ad affirmatiuam sequuntur negatiuę, & non è conuerso: vt ad illam: homo est iustus: sequuntur illę duę negatiuæ, .s. homo nō est nō iustus, & homo non est iniustus; non tamen è conuerso. Similiter ad hanc homo est non iustus, sequitur homo non est iustus, & non è conuerso. Idem est iudicium de priuatiua; quia ad affirmatiuam de prædicato priuato .s. homo est iniustus, sequitur illa, homo non est iustus: & non è conuerso. Ratio autem ex Aegidio est, quia illa .s. homo non est iustus, habet duas causas veritatis: & istæ duæ affirmatiuæ non habent nisi vnam causam: cum enim dicitur, homo est non iustus, vel est iniustus semper supponitur ho-

hominem esse, et ita non habent nisi vnam causam veritatis; est enim homo, & tamen iustitia non inest ei, & sic non est iustus.

FIGVRA PRO VNIVERSALIBVS VNIVERSALITER.

Eodem modo consequuntur, & opponuntur enunciationes in terminis vniuersalibus vniuersaliter, & similiter se habent in figura, sicut indefinitæ.



Istæ *Omnis homo est iustus, omnis homo non est iustus*, non possunt esse simul veræ, cum sint contrariæ.

Istæ *omnis homo est iustus, & omnis homo non est non iustus*, possunt esse simul veræ.

Sic etiam istæ *omnis homo est non iustus, & omnis homo non est iustus*, possunt esse simul veræ.

Similis figura fieri potest in enũciationibus tam de subiecto, quam de prædicato infinito, quæ similiter habent inter se oppositionem, & consequentiam: nam illa: omnis non homo est non iustus; æquiualet huic, nullus non homo est iustus, & ita sicut in illis de subiecto finito est oppositio, & consequentia, ita & in istis de subiecto infinito; in quibus posses figuram facere, sicut in alijs.

Du-

Dubitat autem Aristoteles. An particula negatiua sit anteponenda signo, *omnis?*

Respondet, et cum ipso Aegidius, particulam negatiuam non esse addendam signo *omnis*, infinitando ipsum, sed termino communi, qui est homo. Ratio est, quia negatio infinitans non additur nisi termino significanti rem vniuersalem, vel particularem; sed, *omnis*, non significat vniuersalem rem, sed tantum quod vniuersaliter tenetur: ergo ei non debet addi negatio.

Confirmat hoc Aegidius, quia ex Aristotele lib. de cœlo, & mundo, infinito non est addenda infinitatio: sed *omnis* est infinitum, cum non significet aliquid determinate: ergo non debet sibi addi negatio.

Confirmatur 2. quia si præponeretur negatio signo *omnis*, dicendo, non omnis homo, tunc æquipolleret suo contradictorio: ergo non debet ei præponi.

§. 3.

Dubiola quædam resoluo cum Aegidio.

CIrca literam dubitatur primò. *An enunciatio in qua subycitur nomen infinitum, significet vnum de vno?*

Resp. cum Aegidio lib. 2. perhier. pag. 58. col. 4. talem enunciationem non significare vnum simpliciter, sed quodammodo vnum: sicut enim est quoddam ens simpliciter, vt ens naturale; & quoddam ens quodammodo, vt ens rationis: sic est quoddam vnum simpliciter, & hoc non significatur per nomen infinitum; & est aliud vnum quodammodo, quod est vnum ens rationis, & tale vnum significatur per nomen infinitum, vt per ly *non homo*. Ratio autem est, quia nomen finitum est impositum à forma generis, vel speciei, vel indiuidui; nomen verò infinitum significat negationem talis formæ, in qua negatione multa conueniunt sicut in vno secundum rationem; ideo non significat vnum simpliciter, sed quodammodo.

Dubitatur 2. *An verbum infinitum intret enunciationem?*

Resp. cum Aegidio lib. 2. perhier. pag. 59. affirmatiuè. Probatur primò, quia sicut se habet nomen infinitum ad verbum, ita verbum infinitum ad nomen: sed ex nomine infinito cum verbo fit enunciatio: ergo ex verbo infinito, & nomine poterit fieri enunciatio, & per consequens verbum infinitum intrabit enunciationem.

Secundò, quia omnis pars finaliter est propter constructionem; sed nomen infinitum est pars, nec potest priuari ratione partis; ergo nec ratione constructionis: ergo &c.

Addit tamen quod verbum infinitum, vt intrat enunciationem non differt à verbo negato, nec in officio, nec in voce: solum differt in hoc, quod verbum infinitum vno actu regitur, & vnum significatum habet: verbum tamen negatum non regitur vno actu, nec vnum habet significatum.

Dubitatur 3. *An pronomen, & signum omnis, v.g. possint infinitari?*

Resp. cum Aegidio lib. 2. perhier. pag. 60. negatiuè. Ratio autem est, quia negatio infinitans tantum potest addi termino, qui est impositus ab aliqua forma determinata, & signi-

gnificat rem subijcibilem, vel prædicabilem: sed pronomen non est impositum ab aliqua forma determinati generis, vel speciei, vel indiuidui: ergo non potest infinitari. Dico tamen quod si pronomen accipiatur demonstratiuè, tunc potest infinitari, vt non ego; quia tunc idem significat de significato principali, sicut nomen quod demonstrat.

Neque potest addi signo vniuersali, vt est ly *omnis*: quia negatiò negans non additur nisi termino significanti rem subijcibilem, vel prędicabilem: sed huiusmodi signa non significant talem rem subijcibilem, vel prædicabilem: ergo eis non potest addi negatio infinitans.

Dubitatur 4. *Quanam regulæ sint secunda in æquipollentijs?*

Pro responsione præmitto primo æquipollentiam esse æquiualentiam duarum propositionum oppositarum in figura sitarum, in quantitate, aut qualitate, in veritate aut fallitate per negationem facta. Sensus est quod ea est virtus æquipollentiæ, vt enunciationes inter se repugnantes conciliet, ita vt vlterius non repugnent nec in quantitate, nec in qualitate, nec in veritate, nec in fallitate; sed habeant prorsus eamdem vim.

Præmitto 2. huiusmodi æquiualentiam fieri ex virtute particulę negatiuæ. *Non* additæ, vel detractæ, ita vt ex varia locatione, & additione eiusdem particulæ, enunciationes quæ prius repugnabant, vlterius non repugnent: negatio enim cum sit malignantis naturæ quidquid inuenit destruit, & oppositum inducit: vnde si inueniat enunciationem vniuersalem, facit eam particularem; & si inueniat particularem, facit vniuersalem, dummodo stet neganter, non infinitanter: sic etiam si inueniat propositionem affirmatiuam facit eam negatiuam: & si negatiuam facit eam affirmatiuam. His notatis.

Respondeo. Tres regulas communiter pro æquipollentijs assignari. Prima pro contradictorijs, & est. Negatio præposita facit æquipollere suæ contradictoriæ, v.g. istę sunt contradictoriæ: omnis homo est iustus: quidam homo non est iustus. Istæ fiunt æquipollentes addendo negationem subiecto alterius ex illis, vt dicendo. Non omnis homo est iustus; & tunc hæc æquipollet secundæ .s. aliquis homo non est iustus: vel addendo negationem subiecto secundæ enunciationis, vt non aliquis homo est iustus: tunc hæc æquipollet primæ, .s. omnis homo est iustus.

Secunda regula est pro contrarijs, & est. Negatio posita post subiectum, & ante verbum facit æquipollere suæ contrariæ: vnde istæ contrariæ: omnis homo est iustus: nullus homo est iustus; fiunt æquipollentes addendo particulam negatiuam vni earum post hominem, vt omnis homo non est iustus; hæc æquiualet suæ contrariæ .s. nullus homo est iustus: & si ponatur in negatiua, erit tunc æquipollentia cum prima, vt dicendo; nullus homo non est iustus; hæc enim æquiualet primæ; omnis homo est iustus.

Tertia regula pro subalternis. Negatio præposita, & postposita subiecto alterutrius enunciationis facit

cit æquipollere suæ subalternæ: vt v.g. omnis homo est iustus, quidam homo est iustus, sunt subalternæ; hę fiunt æquipollentes addendo negationem modo dicto, v.g. non omnis homo non est iustus: hæc enim æquiualet suæ subalternæ .s. quiddam homo est iustus; & si addatur huic; tunc hæc æquiualebit primæ, vt non quidam homo non est iustus; vnde pro his regulis datur hic versus.

Præ contradic, post contra, præ postquè subalter.

Sensus est. Negatio præposita facit æquipollere suæ contradictoriæ. Negatio postposita facit æquipollere suæ contrariæ. Negatio pręposita, & proposita facit æquipollere suæ subalternæ:

Pro subcontrarijs nulla datur regula, quia in eis non est capacitas æquipollentiæ: nam si negatio præponatur euadet propositio vniuersalis, & per consequens non apta ad æquipolendum particulari; vt si dicas quidam homo est iustus; quidam homo non est iustus; si dicas, non quidam homo est iustus; hæc erit vniuersalis negatiua, & eadem quod ista; nullus homo est iustus, & ideo pro eis nulla datur regula.

CAPVT SEPTIMVM.

De illatione à disiunctis ad coniunctum, & è conuerso.

§. I.

Ostenditur ex Aristotele, & Aegidio quomodo ex prædicatis disiunctis liceat inferre coniunctum.

SVnt quædam prædicata, quę verificantur de subiecto nedum diuisim; sed etiam coniunctim nam verè dicitur de homine, quod sit animal, et verè dicitur de eo quod sit bipes, et similiter coniunctim verè dicitur de eo quod sit animal bipes. Sic etiam verum est dicere diuisim quod Sortes sit homo, et quod Sortes sit albus, et etiam verum, est dicere coniunctim, quod sit homo albus. Quædam autem sunt prædicata quę verificantur de subiecto diuisim, non tamen coniunctim; nam verè dicitur diuisiue de Sorte quod sit cytharedus, et quod sit bonus; non tamen coniunctim verè dicitur quod sit bonus cytharedus. Huius rei differentiam inuestigat Aristoteles, et vbi quæstionem pertractauit deducendo ad inconueniens, pro resolutione ex sententia Aegidij has regulas assignat.

Prima Regula. Quando plura prædicata verificãtur diuisim de eodem subiecto, ea coniunctim et vt prædicatum vnum de eodem enuntiare non licet si talia prædicata dicuntur de illo subiecto accidentaliter, .i. si ex illis prædicatis non fiat aliquo modo vnũ vel per se, vel per accidens; ita vt nullam habitudinẽ, et vnionem habeant ad inuicem; sed

tantum vnum de altero dici possit accidentaliter, hoc est ratione tertij subiecti, quod à quolibet eorum implicatur; vnde non licet inferre Sortes est Cytharedus, Sortes est bonus; ergo est Cytharedus bonus; sic etiã non licet inferre, Sortes est musicus, & est albus: ergo est musicus albus; sed tantum licebit inferre: ergo musicum est albũ, ratio autem est quia cytharedus, & bonus; musicus, & albus non habent inter se aliquam habitudinem ratione cuius fiat ex eis vnum vel per se, vel per accidens, & ideo non possunt vt vnicum prædicatum enunciari: quia tamen subiectum implicatur ab vtroque, ideo ratione huius dici potest musicum est album.

Secunda regula. Quando aliqua duo diuisim verificantur de aliquo, & in vno illorum prædicatorum intelligitur alterum, tunc ex talibus diuisis nõ licet inferre coniunctum: vt Sortes est homo, & Sortes est animal, non licet inferre: ergo est homo animal, quia in homine intelligitur animal; sic etiam non licet inferre Sortes est homo, & est bipes: ergo est homo bipes; quia bipes intelligitur in homine; sic etiam non licet inferre. Sortes est homo albus, Sortes est albus ergo Sortes est homo albus albus: quia in hoc quod est homo albus; iam intelligitur album.

Dices ex bonitate, & cytharizatione fit vnum; datur enim bonus cytharedus, vt ille, qui optime callet autem cytharizandi: ergo licet inferre quod Sortes sit bonus cytharedus.

Resp. duplicem esse bonitatem aliam moralem, aliam artificiosam; ex prima bonitate, & cytharedo non fit vnum, benè tamen ex secunda, & ideo non possumus inferre quod sit bonus cytharedus, quia in prædicato diuiso *ly bonus* supponebat pro bonitate morali, ex qua & cytharedo cum non possit fieri vnum ideo non potest totum coniunctum vt vnum prædicatum dici de eo.

Tertia regula. In omnibus alijs prædicatis (exceptis supradictis) inferri potest à diuisis ad coniunctum: vnde si ex prædicatis fiat vnum per se inferri potest; & proinde valet, Sortes est animal, Sortes est rationalis: ergo Sortes est animal rationale, quia ex animali, et rationali fit vnum per se: et si vnum prædicatum fit per se .i. non per aliud subiectum alterius, licet similiter inferre: vnde valet: Sortes est homo, Sortes est albus: ergo est homo albus, quia ex homine et albedine fit vnum per se, .i. non per aliud; cum homo per se ipsum sit subiectum albedinis.

§. 2.

Ostenditur quomodo ex prædicato coniuncto liceat inferre diuisa.

CIrca hanc rem statuit has regulas. Prima est. Quando aliqua duo coniunctim de aliquo prædicantur, & si alterum inferatur sequitur oppositum in adiecto .i. contradictio in terminis; vel in illo proposito: tunc ex tali coniuncto non licet inferre diuisim: vnde si dicatur est homo mortuus: ergo est homo: non valet, quia sequitur contradictio; nam homo mortuus includit in se non viuum; homo autem includit

cludit in se viuum, & ideo sequitur contradictio in adiecto

Secunda regula. Quando aliqua prædicantur de aliquo subiecto secundum accidens, tunc ex illis coniunctis non licet inferre diuisim: vnde si dicatur. Homerus est poeta: ergo Homerus est: non licet inferre, quia esse prædicatur de Homero secundum accidens, quia prædicatur per poesim, quæ est sua scientia, & non prædicatur per se.

Tertia regula. Prædicata, quæ non habent oppositionem, & prædicantur per se de subiecto, & non secundum accidens ita se habent, vt ex illis cōiunctim dictis inferri possit diuisim. Hoc autem patet quando definitiones redduntur pro nominibus, vt si dicatur. Homo est animal rationale mortale; licet inferre: ergo homo est animal: ergo homo est rationalis &c.

Remouet dubium; nam aliquis crederet, quod hoc sequatur. Est opinabile: ergo est: nam de chimera, quæ non est in rerum natura, verum est dicere, Chimera est opinabilis, & tamen non est. Et respondet: non esse verum quod illud, quod est opinabile sit aliquid: quia opinatio non est illius rei, quæ est. Ita ex Aristotele, & Aegidio.

§. 3.

Dubia quædam excurre cum Aegidio.

Circa ea, quæ ex Aristotele, & Aegidio dicta sunt, dubitatur primò. ***An hæc, homo albus currit, vel Sortes est homo albus, sit vna enunciatio?***

Resp. cum Aegidio 2. perhiermpag 62. tales enunciationes esse plures. Ratio est, quia illa enunciatio est plures, in qua plura subijciuntur, vel prædicantur; sed quando dicitur homo albus currit: vel Sortes est homo albus plura subijciuntur, ex quibus non fit vnum per essentiam; quia ex subiecto, & accidente non fit vnum per essentiam: ergo erunt plures.

Ob. 1. Enunciatio vna est illa, quæ constituit vnum intellectum componentem: sed homo albus currit cōstituit vnum intellectum componentem: ergo est vna.

Resp. cum Aegidio neg. mi. quia intellectus cum sit simplex non potest vna compositione attribuere prædicatum huic quod est homo, & huic quod est albus, ideo simpliciter erit plures enunciationes.

Ob. 2. Propositio, quæ non est vna non est syllogizabilis: sed illa est syllogizabilis: ergo est propositio vna: pr. mi. formando hunc syllogismum. Omnis homo albus currit. Sortes est homo albus: ergo Sortes currit.

Resp. ex Aegidio dist. ma. si ex aliqua parte sit falsa, concedo: si ex vtraque parte sit vera, nego: tunc enim est syllogizabilis.

Resp. 2. ex eodem dist. ma. si pluralitas importet etiam multitudinē, vt est quando dicitur canis currit, concedo maiorem: si tantum importet pluralitatem, non tamen multitudinem, nego maiorem: illa autem homo albus currit, est plures, non tamen est multiplex.

Ob. 3. illa est vna enunciatio, quæ habet vnam negationem: sed illa habet vnam negationem, .s. homo non est albus: ergo est vna.

Resp. ex Aegidio neg. mi. quia sicut intellectus vna attributione nō potest attribuere prædicatum huic, quod dico homo albus: ita vna negatione non potest negare ab vtroque, homo, & albus.

Dubitatur 2. ***An hac enunciatio, omnis homo currit, sit vna, vel plures?***

Resp. cum Aegidio 2. perhier. pag. 62. esse vnam. Ratio est, quia enunciatio vna est, quæ significat vnum de vno: sed ista, ***omnis homo currit***, significat vnum de vno: ergo &c. pr. mi. quia homo ibi ponitur non ad significandum Sortem, vel Platonem; sed ad significandum vnum, quod est in Sorte, & Platone, & tali vni accidit quod sit in Sorte, vel Platone: ergo &c.

Ob. 1. In tali enunciatione subijciuntur plura; nam subijcitur Sortes, & Plato; ergo &c.

Resp. cum Aegid. dist. ant. subijciuntur plura vt plura, nego: vt faciunt vnum concedo.

Ob. 2. Si imponatur hoc nomen tunica ad significandum hominem, & equum et dicatur tunica est alba; est enūciatio plures, quia sensus est quod homo est albus, quod equus est albus; sed etiam quando dicitur omnis homo currit, nihil aliud dicitur, quam Sortes currit, Plato currit: ergo &c.

Resp. ex Aegidio neg. paritatem, quia ly tunica est nomen impositum ad significandum plura per se, & immediatè .s. hominem, & equum; at ly homo non est impositum ad significandum Sortem, vel Platonem, sed tantum ad significandam vnam naturam humanam, quæ est in pluribus, ideo immediatè, & per se significat vnum, per accidens plura.

Dubitatur 3. ***An hac sit enunciatio vna. Sortes, & Plato currunt?***

Resp. cum Aegidio 2. perhier. pag. 64. esse enunciationes plures. Ratio est, quia illa enunciatio est plures, in qua plura subijciuntur, vel prædicantur, sed in data enunciatione subijciuntur plura: ergo &c. Et licet illa propositio sit cathegorica, non tamen ob id est vna, quia etiam cathegorica bene potest esse propositio plures, vt ista, ***canis currit***, est cathegorica, & tamen est plures.

Rogas. An istæ enunciationes sint plures. Illa sunt bona: homines currunt.

Resp. cum Aegidio esse enunciationes plures, quia cum dicitur; ista sunt bona: ly ***ista*** habet ad minus duo demonstrare; sic etiam cum dicitur homines currunt, plura demonstrantur ideo sunt simpliciter plures.

Dubitatur 4. ***An in hac sit nugatio animal bipes, vel animal rationale?***

Resp. cum Aegidio 2. perhier. pag. 64. negatiuè. Ratio est, quia tunc est nugatio, quando vnum est de significato alterius ex Aristotele lib. 1. Elench. c. de facere nugari; sed differentia non est de significato generis, vt patet ex 6. top. nam differentiæ sunt extra rationem generis; & genus non continet eas actu, sed tantum potestate: ergo cum animali additur bipes, vel rationale, quæ sunt differentiæ nulla committitur nugatio. Hinc fit quod, quia animal est de significato hominis, & differentia est de significato speciei, ideo si homini addatur genus,

nus, vel differentia, & dicatur homo animal; homo bipes, vel rationalis, committatur nugatio.

Dubitatur 5. *An sequatur. Homo mortuus; ergo homo?*

Pro resolutione noto cum Aegidio 2. perhier. pag. 65. quod homo significat primo hominem verum, in cuius significato includitur viuũ; secundario verò, & per posterius significat hominem mortuum, atque adeo per prius significat hominem viuum; per posterius verò hominem mortuum, seu per quamdam similitudinem, quatenus homo mortuus similis est in dispositione membrorum homini viuo; & quia quando aliquid dicitur de duobus, et de vno per prius, de altero verò per posterius, tunc si illud per se sumatur, intelligitur de eo, de quo per prius dicitur ex communi vsu, ideo cum dicitur, homo mortuus: ergo homo: non bene infertur, quia in antecedenti homo stat pro secundario significato, in consequenti verò pro primario, cum sumatur absolute.

Dico ergo. Non sequi, homo mortuus: ergo homo: quia fit transitus à secundario ad primarium significatum. Notat tamen quod si in antecedenti ly homo sumeretur pro primario signif cato, tunc in hac, homo mortuus, includerentur duo opposita, & tunc liceret inferre vtrumque. Ex quo colligo quod ex sententia Aegidij, quando in antecedenti includitur vtrumque, tunc sequitur quodlibet, non tamen si includatur alterum tantum.

CAPVT OCTAVVM.
De Enunciationibus Modalibus.

§. 1.
Oppositio modalium determinatur.

POstquam Aristoteles determinauit de enunciationibus de inesse, determinat de enunciationibus de modo, & primo determinat de earum oppositione, exinde de æquipollentia.

Præmitto autem enunciationem modalem ex duabus partibus constare, .s. ex enunciatione de inesse, quæ vocatur dictum, & ex modo ei addito, à quo postea dicitur enunciatio modalis. Enunciatio autem de inesse euadit pars enunciationis modalis dum mutatur verbum *est*, in infinitiuum, eique apponitur modus, vt hominem esse iustum possibile est: in qua enunciatione totum dictum habet locum subiecti; modus autem tenet locum prædicati, siue ponatur ante dictum, siue post dictum; vt hominem esse iustum, possibile est: hominem esse animal necessarium est: vbi possibile est, & necessarium est, tenent locum prædicati, cætera verò locum dicti, & subiecti. Modus ex Aegidio 2. perhier. pag. 68. est dictio determinans compositionem prædicati cum subiecto: sunt enim aliqui modi, qui determinant tantum alterum extremum compositionis, .i. subiectum, vel prædicatum; vt cum dicitur, Sortes currit velociter, bonus Philosophus est honorandus; & hi modi non faciunt propositionem modalem, de qua in præsenti est sermo: alij sunt modi qui determinãt compo-

po-

positionem prædicati cum subiecto, vt hominem esse iustum possibile est; ly possibile determinat compositionem albi cum homine; non .n. est sensus, quod possibilis sit homo, vel possibile sit album, sed quod cōpositio albi, & hominis sit possibilis, ideo dicitur quod modus est dictio determinans compositionem prædicati cum subiecto. Sunt autem hi modi quatuor .s. possibile, contingens, necessarium, & impossibile, & ab his dicitur enunciatio modalis.

Hoc præmisso docet Aristoteles in modalibus negationes, & affirmationes .i. contradictiones non esse accipiendas per negationem præpositam verbo, sed præpositam modo: vnde huius affirmationis, possibile est esse, contradictoria non est hæc .s. possibile est non esse, sed ista, non possibile est esse. Probat autem hoc primò, quia impossibile est duas contradictorias simul esse veras: sed istæ duæ .s. possibile est esse, possibile est non esse, sunt simul veræ: ergo &c. pr. mi. nam illud, quod est possibile esse, est possibile non esse, vt possibile est aliquem ambulare, & similiter non ambulare, & possibile est aliquid diuidi, & similiter non diuidi est possibile.

Secundò, quia sicut in propositionibus de inesse verba sunt prædicata res autem sunt subiecta: ità in propositionibus modalibus verba sunt subiecta, modi autem sunt prædicata, vel determinationes prædicati; sed in illis de inesse ad habendam contradictoriam additur negatio ipsi verbo: ergo in modalibus ad habendam contradictoriam debet addi negatio ipsi modo: vnde hæ erunt contradictoriæ. Possibile est esse, non possibile est esse: quia istæ nunquam erunt simul veræ: sic etiam istæ sunt contradictoriæ, necesse est rem esse, non necesse est rem esse. Contingens est rem esse, non contingens est rem esse. Impossibile est rem esse, non impossibile est rem esse.

§. 4.

Quædam de modalibus explicantur.

ROgas 1. *Quomodo in modalibus sumenda sint alia oppositiones?*

Resp. Oppositionem contrariam sumendam esse ex particula negatiua apposita verbo dicti, vt v. g. necesse est rem esse, necesse est rem non esse: vnde in hoc differt contrarietas de inesse à contrarietate modalium, quod illa est inter duas propositiones vniuersales, quarum vna sit affirmatiua, altera negatiua; hæc verò semper est inter vtramque propositionem affirmatiuam, vel vtramque negatiuam, quæ tamen differunt inter se secundum esse finitam, vel infinitam. Idem dicendum est de subcontrarijs.

Rogas 2. *Quomodo sumenda sit oppositio secundum esse finitum, vel infinitum?*

Resp. Per negationem præpositam modo, vel verbo dicti; nam si enunciationes sint negationes finitæ, negat o ponitur ante modum, vt

Non possibile est rem esse.
Non contingit rem esse.
Non necessarium est rem esse.
Non impossibile est rem esse.

Si

Si verò negationes fiat infinitæ tunc negatio præponitur nedum modo, sed etiam verbo : vt v. g.

Non possibile est rem non esse.

Non contingit rem non esse.

Non necessarium est rem nō esse.

Non impossibile est rem non esse.

Rogas 3. *Quanam sint affirmationes finita, & qua infinita?*

Resp. Quod affirmationes finitæ sunt istæ.

Possibile est rem esse.

Contingit rem esse.

Necessarium est rem esse.

Impossibile est rem esse.

Affirmationes autem infinitę sunt istæ.

Possibile est rem non esse.

Contingens est rem non esse.

Necessarium est rem non esse.

Impossibile est rem non esse.

Rogas 4. *Quomodo in modalibus sit quantitas, seu vniuersalitas, vel particularitas, & singularitas?*

Resp. In modalibus non esse propriè vniuersalitatem quantum ad subiectum enunciationis, quod est dictum : quia omnis enunciatio modalis est singularis, & numquam vniuersalis, etiam si habeat signum vniuersale, vt si dicatur, omnem hominem ambulare est possibile, quia subiectum non est ly *homo*, vt stat cum signo vniuersali, sed subiectum est totum dictum, seu tota illa enunciatio vna, & indiuidua, .s. omnem hominem ambulare, & de toto hoc subiecto prædicatur ly *est possibile*, & ideo licet enunciatio modalis habeat subiectum dicti vniuersale, non tamen subiectum modi, & per consequens non est propriè vniuersalis, sed singularis. Est tamen in eis vniuersalitas, vel particularitas, &c. Quantum ad subiectum locutionis; sic enim quædam sunt vniuersales, quædam particulares, quædam indefinitæ, quædam singulares. Sed vt hanc doctrinam explicem refero verba Aegidij ex quo hæc doctrina desumpta est. Hic ergo lib. 2. perhier. pag 69. col. 2. sic ait.

Vlterius notandum propter solutionem secundi argumenti, quod ista propositiones possunt sumi dupliciter. Vno modo quantum ad subiectum enunciationis : alio modo quantum ad subiectum locutionis ; & dicitur in istis subiectum enunciationis totum dictum, subiectum autem locutionis dicitur illud, de quo fit locutio, vt hominem currere vel Sortem. Nunc autem ista enunciationes si considerentur quantum ad subiectum enunciationis, quod est dictum, cum illud dictum sit singulare, omnes possunt dici singulares, sed si considerentur quantum ad subiectum locutionis possunt dici vniuersales, vel particulares, vel indefinitæ, & singulares : vt omnem hominem currere est possibile, vniuersalis est; hominem currere est possibile, indefinita est ; sed cùm dicimus quemdam hominem currere est possibile, particularis est ; Sortem currere est possibile, singularis est. Sed si considerentur omnes ista enunciationes quātum ad subiectum enunciationis, quod est totum dictum, & dictum quodlibet sit singulare, & vnum non est aliud, sed vnum est diuersum ab alio, secundum hoc omnes possunt dici singulares. Ita Aegidius.

Rogas 5. *Quomodo differant hi modi inter se?*

Resp.

Resp. Cum Aegidio lib. 2. perhier. pag. 69. differre quantum ad ampliationem compositionis nam vel ampliant quantum ad esse permixtum,& sic sunt possibile, & contingens: vel ampliant quantum ad purum esse, & sic est necess : vel quantum ad priuationem puri esse, & sic est impossibile. Differunt autem posibile, & contingens, quia possibile dicitur absolutè,& non per comparationem ad suam causam, quam habet, sicut est contingens; & ideo distinguitur quoddam contingens vt in pluribus, quoddam vt in paucioribus, & quoddam ad vtrumlibet.

In omnibus autem his modis formari possunt figuræ sicut in propositionibus de inesse: vnde hæ suncontrariæ.

Omnem hominem currere est impossibile.

Nullum hominem currere est possibile.

Hæ verò sunt subcontrariæ.

Quemdam hominem currere est possibile.

Quemdam hominem currere est non possibile.

Et quod dictum est de possibili dicendum est de alijs modis eos loco ly *possibile*, ponendo, cætera verò vt iacent reliquendo. Ex quibus etiam patere potest quæ sint subalternæ, & quæ sint contradictoriæ.

Rogas 6. *Vnde in modalibus desumenda sit affirmatio, vel negatio, veritas, vel falsitas?*

Resp. Affirmationem, & negationem desumendam esse ab affirmatione, & negatione modorum. Quare hæc est affirmatiua hominem non esse leonem est necesse; hæc verò negatiua, hominem esse leonẽ non est necesse, quia in prima modus affirmatur, in secunda negatur.

Pro veritate, & falsitate assignantur hæ regulæ. Prima est. Modalis de necesse est vera cuius de inesse est vera, seu potest reduci ad enunciationem de inesse in materia necessaria; & ideo ista est vera; hominem esse animal est necesse, quia reducitur ad hanc. Homo est animal, quæ est in materia necessaria. Falsa erit illa cuius dictum resoluitur in propositionem de inesse in materia impossibili, vel contingenti: vnde ista est falsa. Hominem esse lapidem est necesse, quia resoluitur in istam, homo est lapis, quæ est impossibilis.

Secunda regula. Enunciatio modalis de impossibili est vera, cuius dictum resoluitur in enunciationem de inesse impossibilem: vnde hominem esse Angelum est impossibile est vera, quia sua de inesse est impossibilis, .s. homo est Angelus. Illa est falsa, cuius de inesse est necessaria, vel contingens, vndè hæc est falsa, hominem esse animal est impossibile, quia sua de inesse est necessaria .s. homo est animal: & hæc est falsa, hominem esse doctum est impossibile,quia sua de inesse .s.homo est doctus, est contingens.

Tertia regula. Modalis de possibili, vel contingenti est vera cuius de inesse est necessaria, vel contingens: illa verò est falsa, cuius de inesse est impossibilis.

Quarta regula. Omnes modales necessariæ sunt veræ; & omnes impossibiles sunt falsæ. At de his plura videri possunt apud Fonsecam, & Toletum.

Ro-

Rogas 7. *Quomodo differant modales de sensu diuiso, & de sensu composito?*

Resp. Quod modalis in sensu diuiso est illa, in qua modus mediat inter subiectum dicti, vt verbum dicti, vt Petrum possibile est disputare. Modalis in sensu composito est illa, in qua modus vel totaliter præcedit, vel totaliter subsequitur, vt possibile est Petrum disputare, & Petrum disputare est possibile. Sensus compositus ex Aegidio quodl. 3. q. 3. est quando enunciatio verificatur ratione formæ, ita vt non repugnet simultas formæ subiecti, & prędicati, & ab Aegidio vocatur verificatio per se, vt cum dicitur prædestinatus potest saluari; album potest disgregare visum; hæ sunt veræ per se, & in sensu composito, quia prædicatum competit subiecto ratione formæ, nempe ratione ordinationis diuinæ, vel ratione albedinis, & ideo vtraque forma simul stare potest. Sensus diuisus est quãdo verificatur enunciatio ratione subiecti, vel per accidens, non tamen ratione formæ, vt si dicatur, prædestinatus potest damnari; hæc est vera per accidens, & in sensu diuiso .i. non ratione prædestinationis, sed ratione materiæ, vel subiecti, quod prædestinationi substernitur; ipsum enim subiectum vt Sortes, vel Plato, cùm sit liberi arbitrij potest damnari. Sic etiam ista album potest fieri nigrum, est vera per accidens, & in sensu diuiso ex Aegidio ibidẽ, quia est vera ratione subiecti: album enim non potest fieri nigrum secundum se, sed tantum ratione materiæ, vel subiecti, quia subiectum quod est sub forma albi potest esse sub forma nigri. Ex hoc autem sequitur quod sensus diuisus dicat potentiam in subiecto ad opposita successiuè, non verò simultaneè, vt dicit compositus.

CAPVT NONVM.
De Aequipollentia Modalium.

§. 1.
Consequentia modalium explicantur.

Docet Aristoteles Antiquos in quibusdam consequentijs, & æquipollentijs modalium errasse, ideo & eorum errorem corrigit, & quomodo inter eas secundum veritatem sit æquipollentia ostendit. At relicto antiquorum errore, de æquipollentia ex mente Arist. dicam.

Vt autem Aristotelis mens, & Aegidij interpretatio percipiatur, noto quod cõsequentiæ sunt vel impossibilium ex possibilibus: vel necessariarum ex impossibilibus: vel necessariarum ex possibilibus. De contingentibus nulla erit specialis mentio, quia quæ de possibilibus dicentur, intelligenda sunt etiam de contingentibus.

Quod igitur attinet ad primas consequentias; docet quod ad negationem possibilis sequitur affirmatio impossibilis, & sic ad non possibile, & non contingens sequitur contradictoriè impossibile; & ad impossibile sequitur non possibile. Quia verò impossibile licet quoad sensum habeat contradictionem, quoad formam tamen non eam habet, cum impossibile est esse sit affirmatio; sicut etiam est possibile est esse; ideo vt sic etiam contradictio se-

cundum formam apponenda est particula negatiua ad ly impossibile, absque vlla mutatione dicti; vndæ hæ sunt æquipollentiæ, & consequentię in his duobus modis. 1. Possibile est esse: ergo non impossibile est esse. 2. Possibile est rem non esse: ergo non impossibile est rem non esse. 3. Nō possibile est rem esse: ergo impossibile est rem nō esse.

Quod attinet ad secundas consequentias nota quod iste duæ Impossibile est esse, & necessarium est esse, licet sint affirmatiuæ, habent tamen sensum cōtrarium, ideo earum consequentia quantum ad contrarietatem erit in contrarietate dicti, & conformitate modi, .i. vt dictum in vna sit affirmatum in altero negatum; modus vero in vtraque aut sit affirmatus, aut negatus. Quod si ad necesse ponatur negatio, tunc erit æquiualentia secundū contradictionē, non secundum contrarietatem: Vnde istæ sunt æquipollentes contrariè. 1. Impossibile est esse: ergo necessarium est non esse. 2. Non impossibile est esse: ergo non necessarium est non esse. 3. Non impossibile est non esse: ergo non necessarium est esse.

Quoad tertias consequentias. Illa de necesse sumpta cum negatione præposita tam ad modum, quam ad verbum dicti, sequitur ex possibili: vnde istæ sunt æquipollentes contradictoriè.

1. Possibie est esse: ergo non necesse est non esse. 2. Non possibile est esse: ergo necessarium est non esse. 3. Possibile est non esse: ergo non necessarium est esse. 4. Non possibile est non esse: ergo necessarium est esse.

§. 2.

Quomodo possibile sequatur ad necesse.

Dixerat Aristoteles ad necesse sequi possibile, ideo dubitat an ad possibile sequatur è conuerso necesse.

Vt hanc difficultatem soluat duas distinctiones præmittit. Prima est. Possibilitas, seu potentia duplex est; alia quæ est in rebus irrationalibus; alia quæ est in rebus rationalibus: prima non est potentia ad opposita, sed ad determinatum, vt potentia ignis ad calefaciendum: hæc enim non est ad opposita .s. ad calefacere, & non calefacere, sed est determinata ad alteram partem tantum .s. ad calefaciendum. Secunda verò est ad opposita, vt homo potest dormire, & non dormire, & plura alia opposita. Aduertit autem quod per primam potentiam non intendit quod omnis potentia irrationalis sit determinata ad vnam partem; nam Bos habet potentiam ad opposita .s. ad ambulandum, & non ambulandum; sed tantum vult quod non omnis potentia irrationalis sit ad opposita, vt patet de igne.

Secunda distinctio est. Potentia æquiuocè dicitur de duplici potentia: quædam enim est potentia coniuncta cum actu, & cum dicimus possibile est aliquem ambulare, cum actu ambulat: quædam verò non est coniuncta cum actu, sed præcedit actum, vt cum dicimus Sortes potest ambulare, quia ambulabit, etiam si adhuc non ambulet actu. Ex his autem potentia quæ præcedit actum habet tantum esse in rebus

ge-

generabilibus, & corruptibilibus: potentia verò, quæ est coniuncta cum actu habet esse in rebus ingenerabilibus, & etiam in rebus generabilibus, quia nihil prohibet aliquam rem transmutabilem habere vno modo potentiam coniunctam cum actu, & alio modo .s. respectu alterius habere potentiam præcedentem actum. His præmissis.

Respondet ad difficultatem propositam, possibile quod se habet ad opposita, & quod procedit actum, non sequi ad necesse: possibile tamen quod non se habet ad opposita, & est simul cum actu, posse sequi ad necesse.

Notat autem Aegidius, quod possibile potens esse cum actu duobus modis potest actum respicere, vel ita vt actus perficiat totam eius potentiam, & tale possibile sequitur ad necesse: vel ita vt non perficiat actu totam potentiam, vt cum dicitur, Sortes currit, ibi actus non perficit potentiam totaliter, quia etiam bene posset non currere; & tale possibile non sequitur ad necesse, nisi cum reduplicatione subiecti, vt Sortes currit, quando currit. Hic tamen non oportet plus dicere, nisi quod ad necesse sequitur possibile, quod nō valet ad opposita, & est simul cū actu.

Ratio autem Aristotelis est, quia ad particulare sequitur vniuersale, vt ad Sortem sequitur homo; sed necesse est particulare, & possibile est vniuersale: ergo ad necesse sequitur possibile.

Ex hoc autem sequitur, quod modales de necesse præcedant omnes alias modales: tum quia necesse est principium omnium aliarum, & est principium essendi, tum quia necessaria cum sint sempiterna sunt actu, & per consequens sunt priora illis, quæ sunt potestate.

CAPVT DECIMVM.
De Contrarietate affirmationis, & negationis.

§. VNICVS.
Quomodo affirmatio sit negationi contraria.

IN fine secundi lib. perhier. mouet Aristoteles hanc dubitationem. An enunciationes quæ habent contraria prædicata, vt omnis homo est iustus, omnis homo est iniustus; & quæ contrariæ opinantur etiam si sint de eodem prædicato, vt omnis homo est iustus, nullus homo est iustus, sint contrariæ, & quomodo? .i. an enūciationes affirmatiuę quarum vna est prædicato finito, altera de prædicato infinito, vt homo est iustus, homo est iniustus, sint contrariæ, an verò illæ quarum vna est affirmatiua vniuersalis, & altera negatiua, vt omnis homo est iustus, nullus homo est iustus?

Respondet autem illas enunciationes esse contrarias, quæ opinantur contrariæ, non verò quæ habent contraria prædicata. Multas Aristoteles in hanc rem adducit rationes, at breuitatis causa nonnullas tantum cum Aegidio refero.

Prima ratio est. Contraria sunt quæ maximè à se distant; sed illæ enunciationes, quæ opinantur contrario modo maximè à se distant, vt sunt istæ, omnis homo est iustus; nullus homo est iustus: ergo illæ erunt contrariæ, non verò quæ sunt de contrarijs prædicatis.

Secunda, illa quæ est implicita non est contraria explicitæ: sed hæc bonum est malum est implicita, hæc verò bonum non est bonum est explicita, .i. est explicite falsa: ergo illę, quæ contrariæ opinantur, & non illæ quæ sunt de contrarijs prædicatis, erunt contrariæ.

Tertia, quia sicut est in illis opinionibus, in quibus prædicata non habent contrarium, ita debet esse in illis, in quibus prædicata habent contraria: sed in illis ea sunt contraria, quæ contraria opinantur: ergo & in istis; pr. mi. nam contraria huius, homo est homo, est ista, homo non est homo, quæ contrariè opinatur: ergo etiam in alijs, vnde contraria huius, bonum est bonum, erit hæc, bonum non est bonum; non verò hæc, bonum est malum.

In fine capitis, & libri docet vnā enunciationem veram non esse contrariam alteri enunciationi veræ; hoc autem probat, quia contraria circa idem non possunt esse simul: sed enunciationes veræ possunt esse simul circa idem: ergo vna enunciatio vera non poterit esse contraria alteri veræ. Hæc est sententia textus, & vtriusque libri perhier. ex doctrina Aegidij.

CAPVT VNDECIMVM.
De Enunciationibus Hypotheticis.

§. I.
Enunciationem Hypotheticam definio, & diuido.

NOn determinat Aristoteles in his libris de enunciatione hypothetica duplici de causa (vt docet Aegidius lib. 1. perhier. pag. 48. col. 4.) primo quia liber iste immediatè ordinatur ad libros posteriorum, seu scientiæ demonstratiuæ, in quibus requiritur veritas absoluta, & non conditionata, quia autem enunciatio hypothetica non dicit veritatem absolutam, sed conditionatam: vt si dicam, si veneris ad me dabo tibi equum: ideo de ea in his lib. non determinat. Secundò, quia enunciatio hypothetica nō est aliud, quam duæ cathegoricæ, vnde non differunt in specie, & quia qui tractat de partibus, tractat pariter de toto, saltim implicitè, cùm totum sit suæ partes: ideo ex eo quod de cathegoricis pertractauit, sufficienter etiam de hypothetica putandus est pertractasse. Ad completam tamen cognitionem enunciationis specialiter de hypothetica quædam modo decerno.

Enunciatio ergo hypothetica est oratio constans ex pluribus cathegoricis vnitis per notam, vel conditionis, vel coniunctionis, vel disiunctionis; vt si veneris ad me dabo tibi equum. Nota conditionis est, *si.* Nota coniunctionis est, *&*. Nota disiunctionis est, *vel*.

Hinc fit quod enunciatio hypothetica sit triplex .s. conditionalis, & est illa, quæ habet plures cathegoricas vnitas per notam conditionis; vt, si veneris ad me, dabo tibi equum, & si Spiritus Sanctus non procederet à Filio, distingueretur ab eo. Coniunctiua, seu copulatiua, & est illa, quæ habet plures cathegoricas vnitas per notam coniunctionis; vt Sortes currit, & Plato disputat. Disiunctionis est quæ habet plures cathegoricas vnitas per no-

notam disiunctionis, vt Sortes est albus, vel est niger.

Conditionalis triplex est, alia causalis, vt quæ constat particula *quia*, vt quia sol est, dies est. Alia illatiua, seu rationalis, vt quæ constat particula *ergo*, vel igitur; vt Sortes currit: ergo mouetur. Alia est quæ specialiter dicitur conditionalis, & constat particula, *si*. Hæc autem rursus triplex est: alia enim est in qua antecedens habet cōnexionem causæ cum consequenti tanquam cum effectu, siue antecedens sit causa naturalis, siue libera; vt si ignis applicaretur naui, nauis combureretur: & si Petrus poneretur in talibus, vel talibus circumstantijs, faceret hoc, vel illud. Alia est in qua antecedens nō habet connexionem causæ cum consequenti, sed tantum signi, vel conditionis requisitæ, vt si magister statuat quod qui primus accesserit ad gymnasium, accipiat librum; fieri poterit hæc conditionalis. Si Sortes prior accesserit ad scholam, recipiet librum. Alia est in qua antecedens nullam prorsus connexionem habet cū consequenti, neque causæ, neque conditionis, vel signi; & hæc propriè dicitur cōditionalis disparata: vt si cœlum in Italia tonaret, Sortes in India volaret.

§. 2.

Dubia quadam tango.

CIrca has enunciationes. Rogas primò. ***Quid requiratur ad veritatem earum?***

Resp. Ad veritatem copulatiuæ affirmatiuæ requiritur, quod quælibet pars sit vera. Ita Aegidius lib. 1. Elench. pag. 23. col. 1. cuius hæc sunt verba. Dicendum quod copulatiua affirmatiua ad hoc quod sit vera, oportet quod quælibet pars sit vera: si enim Sortes, & Martinus currant, oportet quod Sortes currat, & Martinus currat, & quia huiusmodi copulatiua requirit veritatem sigillatim in qualibet sui parte, oportet, quod sigillatim de qualibet parte possit inferri, & etiam affirmetur de pluribus simul: sic ergo talis copulatiua requirit veritatem in qualibet sui parte; altera ergo parte existente falsa, tota iudicabitur falsa. Falsum est ergo quod Sortes, & Martinus currant simul, altero non currente, & quia altero non currente falsum est quod currant; verum erit quod non currant: verum est ergo quod Sortes, & Martinus non currant, solo altero non currente. Sed si cursus potest negari à duobus prædictis, quia solum alter non currit, non oportet quod si cursus negatur ab ambobus simul, quod negetur à quolibet per se, sed sufficit quod negetur ab altero tantum. Hęc Aegidius. Ex quibus etiam patet quid requiratur ad falsitatem talis enunciationis.

Ad veritatem disiunctiuæ requiritur, quod altera pars saltim sit vera: cum enim copulatiua ei opposita exigat veritatem in vtraque parte, disiunctiua debet saltim in altera veritatem importare, alias esset falsa: at ad falsitatem requiritur quod vtraque pars sit falsa.

Ad veritatem, & falsitatem conditionalis non requiritur veritas, & falsitas singularum partium, sed tantum veritas, vel falsitas illationis, seu connexionis antecedentis cum con-

ſequenti; ex quo etiam fit quod cõditionalis vera ſit neceſſaria, quia fundatur in connexione extremorum, & conditionalis falſa ſit impoſſibilis, quia fundatur in repugnantia extremorum. Intelligitur hoc de conditionali in rigore, qualis eſt illa, in qua antecedens habet connexionem cauſæ cum cõſequenti tanquam cum effectu; non verò de conditionali fundata in aliqua promiſſione, vel lege, vt cum dicitur, ſi cras veneris ad me dabo tibi equum, quæ ſolet dici conditionalis concomitanter; nam ad veritatem huius ſatis eſt quod tũc exiſtat fundamentum concomitantiæ .ſ. voluntas, v. g. dandi equum, etiam ſi poſtea per libertatem voluntatis mutetur decretum: vnde quando promittens habet tale propoſitum, enunciatio eſt vera, at quando non habet eſt falſa. Ex quo alterius fit, vt cognitio rerum ſub conditione importãte veram illationem pertineat ad ſcientiam neceſſariam, quia vel conditio eſt neceſſaria, vel impoſſibilis: cognitio verò rerum ſub conditione importante concomitantiã, vel coexiſtentiam pertineat ad cognitionem coexiſtentiæ, vel cauſæ coniungentis vnum cum alio.

Rogas 2. *Qui ſint loci arguendi in his enunciationibus?*

Reſp. In conditionalibus ſunt iſti. Primus locus: A tota conditionali cum deſtructione conſeqentis ad deſtructionem antecedentis, valet conſequentia. Secundus eſt: A tota conditionali cum poſitione antecedentis ad poſitionem conſequentis, eſt bona conſequentia, vt ſi ſol lucet, dies eſt: ſed ſol lucet: ergo &c. Tertius: A conditionali ad diſiunctiuam includentem cõſequens, & contradictorium antecedentis, valet: vt ſi ſol lucet, dies eſt: ergo vel eſt dies, vel ſol non lucet.

In copulatiuis à copulatiua affirmatiua ad partem illius valet: vt Sortes diſputat, & Plato ſcribit: ergo Sortes diſputat: non tamen valet à parte ad totum, vt Sortes diſputat: ergo Sortes diſputat, & Plato ſcribit.

In diſiunctiuis primus locus eſt: A parte diſiunctiuæ ad totam bona eſt conſequentia: vt Sortes diſputat: ergo vel diſputat, vel ambulat: nam non requiritur plus ad veritatem conſequentis, quam requiratur ad veritatem antecedentis. Secundus eſt: A tota diſiunctiua non valet ad partem. Tertius eſt: A tota diſiunctiua cum deſtructione vnius partis ad poſitionem alterius, valet: vt Sortes diſputat, vel ambulat: ſed non diſputat: ergo ambulat. Plura vide apud Sotum, Tolet, Fons, mihi iſta ſufficiunt.

Rogas 3. *An in diſputationibus ſint admittendæ conditionales impoſſibiles?*

Reſp. cum Argẽtina, Gerar. Maſſa, aliiſque ex noſtris conditionales impoſſibiles relinquentes rationem formalem ſubiecti admittendas eſſe, ſecus autem non: probatur autem, quia ſuppoſito quod homo nõ eſſet riſibilis, adhuc tamen eſſet rationalis, tunc multæ quęſtiones poſſent fieri de homine, vt v. g. vtrum eſſet animal? vtrũ differret ab equo? ergo conditionalis non deſtruens rationem ſubiecti adhuc eſt dubitabilis, et per conſequens admittenda.

Secundò, quia illa conditionalis impoſſibilis eſt admittenda in diſputatione, quæ habet cathegoricam du-

dubitabilem: nam ideo hæc conditionalis est dubitabilis; An Asinus posset volare si haberet pennas; quia habet cathegoricam dubitabilem, istam nempe, an omne habens pennas, vel alas possit volare; & ratio dubitandi est, quia videmus reperiri aliqua animalia pennata, et tamen numquam, vel raro volare, vt patet de Structione: sed quando non destruitur ratio subiecti remanet cathegorica dubitabilis, vt patet: ergo &c. Vnde hæc est dubitabilis rationabiliter: An si Spiritus Sanctus non procederet à Filio, distingueretur ab eo? quia habet cathegoricam dubitabilem, quæ est: An Filius distinguatur à Spiritu Sancto generatione passiua, vel sola spiratione actiua? Si enim distinguitur ob primam rationem, adhuc Spiritus Sanctus esset distinctus à Filio, etiam si ab eo non procederet; non tamen si distingueretur tantum ob spirationem actiuam.

Tertiò, quia talis modus disputandi vtilis est ad inuestigandum, an aliquod prædicatum conueniat alicui subiecto, si enim manet integra ratio subiecti, et manet proprietas de qua est conuenientia, & ex ea probatur, quod nisi subiecto conueniret aliqua perfectio, tunc non conueniret ei talis proprietas, in tali casu conditionalis est admittenda: v. g. conueniebant Græci, & Latini (vt colliges ex Aegidio p. 5. d. 11. p. p. q. 2.) in hoc, quod Spiritus Sanctus procederet à Patre, & distingueretur à Filio; discrepabant autem in hoc, quia Græci negabant ipsum procedere à Filio, tunc Latini arguebant: si non procederet à Filio, non distingueretur ab ipso: hoc autem benè sequitur; & per consequens tales conditionales sunt admittendæ.

CAPVT DECIMVM.

De Enunciationibus exponibilibus.

§. 1.

De Enunciatione exclusiua.

NOmine enunciationis exponibilis significatur enunciatio, quæ ratione alicuius termini inclusi indiget explicari, & declarari per plures enunciationes, qua de causa enunciationes exponibiles dicuntur virtualiter hypotheticæ.

Diuiditur autem enunciatio exponibilis in tres species .s. in exclusiuam, exceptiuam, & reduplicatiuam, de quibus omnibus est dicendum.

Enunciatio exclusiua ex Aegidio p. 5. d. 21. p. p. q. p. est illa, quæ includit dictionem exclusiuam ratione cuius excluditur omne illud, quod habet alietatem cum eo, cui additur: vt cum dicitur solus homo est risibilis; & Sortes est solum, vel tantum Logicus. Dictiones exclusiuæ sunt *solus*, tantum, & similes, de quibus nonnulla quæri possunt.

Rogas ergo primò. ***An in enunciatione dictio exclusiua stare possit tam nominaliter, quam aduerbialiter; & tam ex parte subiecti, quam prædicati.***

Resp. Ex Aegidio p. 5. d. 21. p. 2. q. vnica affirmatiuè; & vtroque modo stare posse tam ex parte subiecti, quam ex parte prædicati. Vt stat nominaliter ex parte subiecti excludit alia supposita à consortio, & participatione illius formæ, vt Sortes,

&

& Plato tantum sunt Logici; sensus enim est quod nullus alius ab his est Logicus. Vt stat nominaliter ex parte prædicati excludit consortium alterius formæ ab illo supposito, vel subiecto vt Sortes est solus Logicus; sensus enim est, quod Sortes non habeat aliam formã prẹter Logicam. Si stet aduerbialiter, tunc solus est idem quod tantum, & ex parte subiecti, & tunc excludit id quod non habet esse in subiecto, non tamen alia quæ in eo habent esse alias coniunctio esset falsa: vnde: hæc, filius tantum est Deus: est falsa: quia non tantum est Deus, sed etiam homo, & in eo vtraque natura reperitur, & proinde quando stat aduerbialiter ex parte subiecti, non debet excludere ea, quæ in tali subiecto, vel supposito habent esse. Si stet aduerbialiter ex parte prædicati excludit consortium alterius naturæ à natura affirmata, vt Pater est tantum Deus, est vera; quia sensus est, quod sola natura diuina est illa, quæ non compatitur secum aliquid aliud in supposito, quod faciat realem compositionem in hypostasi. Vide Aegidium loco citato.

Rogas 2. *An dictio exclusiua eodem modo semper excludat?*

Resp. negatiuè cum Aegidio dist. 21. p. p. q. 2. quia aliquando excludit simpliciter, aliquando excludit secundum aliquem modum; nam si dicatur, solus ignis est calidus in summo: ergo aer non est calidus: tunc non excluditur aer simpliciter, sed tantum secundum aliquem modum: sic etiam cum dicitur de sapientia genita, *Gyrum* cœli *circuiui sola*; non excluduntur simpliciter aliæ personæ, sed tantum secundum appropriationem, & idem dicendum est de ista; solus pater est immortalis: excluduntur enim aliæ personæ non simpliciter, sed tantum secundum appropriationem.

Rogas 3. *An exclusio possit aliquo modo impediri?*

Resp. Cum Aegidio p. 5. d. 21. p. p. q. p. quod impeditur in duobus casibus: primò quando vnum est de intellectu primario alterius: secundo quando vnum implicatur in alio: vnde quia superiora sunt de intellectu primario inferiorum; vnũ tamen relatiuum non est de intellectu primario alterius, nec subiectum est de intellectu primario accidentis, ideo quando dictio exclusiua additur inferiori non excluduntur superiora, quando tamen additur accidenti, vel vni relatiuo excluditur subiectum, aut alterum correlatiuum; si ergo dicatur, Sortes est tantum homo; non excluditur à Sorte ratio animalis, viuentis &c. Si verò dicatur, Pater est tantum doctus, excluditur filius, & si dicatur accidens est tantum amouibile, excluditur subiectum, & substantia, quia habet alietatem cum accidente. Insuper deinde excluditur ratione implicationis. Hęc tamen implicatio dupliciter cõtingere potest: vel propter totalitatem: vel propter denominationem. Propter totalitatem, sic totum integrale, & totum vniuersale implicant suas partes; sed totum integrale ita implicat, quod eius totalitas in qualibet parte saluari non potest, & ideo hoc totum non solum non excludit partes: sed etiam includit, qua de causa non valet, sola domus: ergo non paries; valet tamen

men sola domus: ergo paries. Non est autem sic in toto vniuersali: quia licèt non valeat, solum animal: ergo non homo: vel solus homo: ergo non Sortes: non tamen valet, solus homo: ergo Sortes. In hoc igitur conueniunt hæc duo tota, quod nullum suas partes excludit, in hoc tamen discordant, quod vnum suas partes includit, & non aliud. Secundò est hæc implicatio ratione denominationis, & sic quodlibet accidens denominatiuè sumptum suppositum implicat, & ideo cum accidenti denominatiuè sumpto additur dictio exclusiua, non excluditur suppositum; hinc Aristoteles p. ph. 2. 19. contra Parmenidem ait. Si sola alba accipiantur, vtrum significante albo multa sunt, quia aliud erit esse albo, & susceptibilis ergo, *solum*, additum albo non excludit susceptibile, & per consequens etiam non excludit ea, quæ sunt in susceptibili; & ideo non valet: solus musicus cantat: ergo ædificator non cantat, dato quod ars ædificandi habeat esse in susceptibili musici.

Rogas 4. *An dictio exclusiua dicat idem si sumatur cathegorematicè, & si sumatur syncathegorematicè?*

R. cum Aegid. p. 5. d. 21. p. p. q. 3. quòd hæc dictio, *solus*, sumi possit vel cathegorematicè, & significatiuè; vel sincathegorematicè, & consignificatiuè: si sumatur primo modo dicit solitudinem circa id, cui adiungitur: nam sicut albus significat albedinem, sic solus significat solitudinem; & sicut de nullo dicitur album, in quo non sit albedo; ita de nullo dicitur *solus*, verè, & significatiuè in quo non sit solitudo. Si autem sumatur secundo modo, tunc dicit exclusionem, & hoc dupliciter, vel à forma subiecti, vel à forma prædicati prout apponitur vel subiecto, vel prædicato.

Rogas 5. *Quot sint modi arguendi in exclusiuis?*

Resp. Esse tres. Primus. Ab exponibili, & exponente valet consequentia, & è conuerso. 2. Ab exponibili exposita copulatiuè, ad quamlibet exponentium valet consequentia. 3. A qualibet exponentium ad exponibilem disiunctiuè valet consequentia.

§. 2.

De Enunciatione exceptiua.

ENunciatio exceptiua est illa in qua ponitur particula *præter*, vel *nisi*, aut alia similis. Pro his noto primò, quòd in enunciatione exceptiua particula *præter*, exigit, quòd subiectum supra quod cadit, sit in eadem linea à qua exceditur, vt si dicatur, omnes Sacerdotes celebrãt præter Petrum, ly Petrus, qui excipitur exigit contineri in linea Sacerdotum, aliàs enunciatio non erit exceptiua, quale hæc non est exceptiua, omnes Sacerdotes præter Petrũ sæcularem celebrant; quia sæculares non continentur in linea Sacerdotali.

Noto 2. ad conceptiuam requiri, vt terminus, à quo fit exceptio, supponat vniuersaliter seu distributiuè; quare ista non est exceptiua, aliquis Sacerdos præter Petrum Sacerdotẽ, celebrat: quia excipere est à toto genere partem detrahere, ab eo autem quod est particulare determinatum, nihil potest detrahi: & si ali-

quando tales enunciationes proferantur, aliquis Rex præter Chræsum fuit diues. Ly pręter idem dicit quod vltra. Vide Fonseccam lib. 3. c. 26.

Loci arguendi in exceptiuis communiter assignantur isti. Primus est: Ab exceptiua ad omnes suas exponentes, & è conuerso, tenet consequentia. Secundus: Ab exceptiua copulatiuè exposita ad quamlibet exponentem, tenet consequentia. Tertius: In exceptiuis, quæ exponuntur disiunctiuè respectu copulatiuarum, tenet consequentia à qualibet exponente ad totam, per regulam disiunctiuarum.

§. 3.

De enunciatione reduplicatiua.

ENunciatio reduplicatiua est illa, in qua ponitur vna ex his dictionibus. ***Prout, in quantum, quatenus, vt sic, secundum quod,*** vel similis. De hac enunciatione multa inuestigari possunt; vnde.

Rogas primò. ***An reduplicatio importet causam?***

Resp. cum Aegidio p. s. d. 11. p. 2. q. 1. & 2. post. pag. 105. particulam reduplicatiuam importare per se causam. Pro quare noto ex eodem quod per se, & primo, & secundum quod ipsum se habent per ordinem: nam per se dicit tãtum causalitatem: quia per se, vt à ***primo*** distinguitur, idem sonat, quod per causam existentem in se. Primo supra ***per se*** addit præcisionem causæ, vel reduplicationem essentię supra subiectũ: nam illud est primo, quod est tale in eo quod tale. Secundum quod ipsum, vt ab alijs distinctum addit immediationem: licet autem ista tria ita se habeant quantum ad additionem, tamen quantum ad prædicationem seruant ordinem contrarium: quia quicquid est secundum quod ipsum, est primo; et quicquid est primo, est per se; & quia in primo, & secundum quod ipsum, inuenitur reduplicatio, inuenitur etiam in per se, cum habeat rationem vniuersalis respectu illorum. Hoc præmisso: probatur reduplicationem importare causam; quia reduplicatio reperitur in eo, quod est per se, primo, & secundum quod ipsum: sed ista important causalitatem, & id quod est ratio, quare aliquid sit tale: ergo reduplicatio importat causam, & rationem formalem quare aliquid sit tale; vnde si calor est ratio calefaciendi, ignis calefaciet non quia ignis; sed quia calidus; sic etiam quia ars ædificatiua est ratio ædificandi, licet homo, vel musicus ædificet, non tamen ædificabit quia homo, vel quia musicus; sed quia ædificator.

Rogas 2. ***An reduplicatio cadat supra subiectum, vel supra prædicatum?***

Resp. cum Aegidio lib. 2. post. pag. 104. quod cadit supra subiectum tanquam supra id, quod reduplicatur: cadit supra prædicatum, seu est ipsius prædicati, tanquã eius cuius est conditio; vnde reduplicatio est subiecti tanquam eius, quod reduplicatur; quia semper reduplicatur subiectum; nam dicitur homo vt homo est rationalis; est autem prædicati modo dicto.

Rogas 3. ***Quare reduplicatio sit subiecti tanquam eius, quod reduplicatur, & sit prædicati tanquam eius, cuius est conditio?***

Resp.

Resp. cum Aegidio loc. cit. quod reduplicatio dicit specialem, & præcisum modum inhærentiæ; de inhærentia autem duplex potest esse quęstio; vna cuius sit conditio, & sic certum est quod est conditio prædicati; prædicatum enim inest, non subiectum; & ideo sub hac ratione reduplicatio erit conditio prædicati. Altera quæstio de inhærẽtia esse potest .s. à quo dependeat, & in quo habeat esse eius causa, & sic inhærentia, & reduplicatio, quæ dicit modum inhærentiæ, est ipsius subiecti, non verò prædicati; licet enim prædicatum inhæreat, causa tamen inhærentiæ non est in prædicato, sed in subiecto; vt habere tres inest triangulo; causa tamen inhærentiæ non est in ipso habere tres, sed est in ipso triangulo; & ratio est, quia in illo est quærenda causa alicuius, in quo illud habet esse; sed prædicatum habet esse in subiecto, & non subiectum in prædicato: ergo causa huius inhærentiæ quærenda est in subiecto, & non in prædicato.

Confirmatur, quia subiectum intelligitur tanquam fundamentum, prædicatum verò tãquam adueniens fundamento; sed causa aduenientiæ non est sumenda in eo quod aduenit, sed in eo cui aduenit; non enim quærenda est causa in febre quare .s. isti aduenerit; sed in febricitante; ergo causa talis aduenientiæ non est quærenda in prædicato, sed in subiecto. Hinc fit quod semper reduplicetur subiectum; dicitur enim iustitia, vt iustitia est bona; quia denotatur quod causa ob quam bonitas insit iustitiæ quærenda est non in ipsa bonitate; sed in ipsa iustitia, quæ est subiectum bonitatis; licet autem reduplicatio reduplicet subiectum, & in eo habeat causam, quia tamen dicit inhærentiam, & solum prædicatum inest; ideo est tantum conditio prædicati. Notat autem Aegidius quod vt reduplicatio fiat ordinatè, debet quidem reduplicari subiectum; reduplicatio tamen debet poni ex parte prædicati, vt dicatur, triangulus habet tres in eo quod triangulus: sic enim dum reduplicatur subiectum datur intelligi quod in ipso sit causa reduplicationis; sed prout reduplicatio se tenet ex parte prædicati, datur intelligi quod sit conditio prædicati.

Rogas 4. *An aliquando possit reduplicari prædicatum?*

Resp. cum Aegidio loc. cit. prædicatum numquam reduplicari secundum se, & præcisa æquiuocatione, quãdo tamen latet æquiuocatio, tunc posse reduplicari: ratio est, quia si reduplicaretur prædicatum, tunc illa reduplicatio non posset designare nisi duo .s. vel causam inhærentiæ, vel specificationem inhærentiæ: si designaret causam inhærentiæ esset falsa locutio, quia causa inhærentiæ est quęrenda in subiecto, non in prædicato: si designaret specificationem inhærentiæ, tunc non esset quid intelligibile, quia non est intelligibile, quod idem eodem modo sumptum se ipsum specificet; & per consequens omni æquiuocatione præcisa non potest ipsum prædicatum reduplicari. Si autem in prædicato includatur æquiuocatio, tunc potest reduplicari, ideo dicitur quod animal rationale prædicatur de homine in eo quod definitio: tunc .n. reduplicatur prædicatum, quia in reduplicatione includitur æquiuoca-

tio .i. in ipsa definitione: nam definitio prædicatur, accipitur ibi definitio pro re ipsa, quæ subijcitur intentioni definitionis; sed cum subditur in eo quod definitio, tunc definitio accipitur pro intentione definitionis: animal enim quod subijcitur intentioni generis, prædicatur de homine secundùm hanc intentionem .s. secundùm quod genus: sic etiam definitio .i. id quod subijcitur intentioni definitionis secũdum intentionem definitionis prædicatur de definito: atque adeo æquiuocatur ibi de definitione.

Rogas 5. *An in aliqua figura possit fieri syllogismus cum reduplicatione maioris extremitatis.*

Resp. ex Aegidio lib. 1. prior. pag. 47. col. 4. negatiuè, & ratio est, quia in omni figura in conclusione prædicatur maior extremitas, si autem hæc sumeretur cum reduplicatione, reduplicaretur prædicatũ super subiectum, quod est contra naturam, et rationem reduplicationis, cum reduplicationis sit retinere subiectum super prædicatum.

Secundò, quia si fieret in prima, vel tertia figura tunc fieret reduplicatio prædicati supra subiectum, quod est inconueniens, vt patet cõsideranti. In secunda etiam figura, licèt maior extremitas subijciatur, non tamen propter hoc potest reduplicari super medium in vtraque propositione, eo quod subiectum maioris propositionis, & subiectum minoris in tali figura oppositionem habent, vnde non erunt præmissæ ambæ veræ sicut in reduplicatione maioris.

Rogas 6. *An in omni figura possit fieri reduplicatio medij, & minoris extremitatis?*

Resp. ex Aegidio 1. prior. pag. 48. quòd in secunda figura potest fieri minoris reduplicatio in minori propositione; non tamen potest ibi fieri reduplicatio medij: in tertia autem figura potest fieri reduplicatio medij, non tamen minoris extremitatis. Ratio autem est, quia si in secunda figura fiat reduplicatio medij, aut reduplicatio ponetur ad medium, & tunc erit propositio falsa, quia cum in secunda figura medium prædicetur, tunc fiet reduplicatio prædicati ad prædicatum sic; nullum malum est eligendum in quantum eligendum; aut reduplicatio ponetur ad maiorem extremitatem, quæ subijcitur medio; sed hoc etiam est incõueniens; nam diceretur, *nullum malum in quantum eligendum est eligendum*; quæ tamen propositio est falsa: ergo in secunda figura nullo modo potest fieri reduplicatio ad medium; significaretur enim, quod oppositum esset causa oppositi, quod nullo modo est admittendum. Potest tamen in ea fieri reduplicatio minoris extremitatis in minori propositione, & potest concludi cum reduplicatione minoris sic, *nullum malum est eligendum: sed omne bonum est eligendum in quantum bonum: ergo nullum bonum est malum in quantum bonum*. Neque etiam fieri potest in tertia figura, quia vel reduplicatio apponetur ad minorem extremitatem, quæ est prędicatum, vel ad subiectum .s. ad medium; sed quomodocunque apponatur semper propositio redditur falsa, vt patet consideranti in prædictis terminis; ergo neque in tertia figura potest fieri reduplicatio modo dicto. Ex quo fit quod vtraquè

hæc

hæc reduplicatio tantùm in prima figura locum habere possit.

Dices. Syllogismus secundæ figuræ descendit à syllogismo primæ conuersa minore: ergo cum fiat syllogismus negatiuus in prima figura cum reduplicatione medij; tunc per conuersionem maioris, quæ negatiua est, fiet secunda figura cum reduplicatione medij; v. g. nullum eligendum est malum in quantum eligendum; omne bonum est eligendum; ergo nullum eligendum &c. conuersa maiore fiet secunda figura.

Resp. ex Aegidio ex tali syllogismo reduplicante medium in prima non posse amplius descendere syllogismum secundæ figuræ consistente, & permanente reduplicatione medij: nam maior manente illa reduplicatione non conuertitur, sed tantùm conuertitur acceptis terminis principalibus sine reduplicatione: benè enim dicitur, nullum malum est eligendum, & è conuerso, nullum eligendum est malum; similiter benè dicitur, nullum malum est eligendum in quantum malum, sed non è conuerso, nullum eligendum in quantum malum est malum.

Sed instabis contra, quia tunc sequeretur quòd aliqua vniuersalis negatiua non conuerteretur simpliciter; hac autem est contra Aristotelem: ergo &c.

Insuper in conuersione facienda obseruãdum est, quod termini stent sub eisdem determinationibus in conuertente, & conuersa; & ita si fuerit reduplicatio posita ad prædicatum, conuersa propositione erit eadem reduplicatio ad subiectum, quæ prius fuerat ad prædicatum, & per consequens fiet recta conuersio propositionis vniuersalis negatiuæ manente eadem reduplicatione.

Respondet Aegidius omnem quidem propositionem vniuersalem negatiuam conuerti; esse tamen animaduertendum quod quædam sunt determinationes, quæ disponũt subiectum, vel prædicatum, & quæ ita se habent, debent manere cum termino post factam conuersionem, & huiusmodi sunt album, nigrum, & similia: quædam autem disponunt subiectum in quantum subiectum, & quædam prædicatum in quantum prædicatum, & huiusmodi non manent cum conuersione in terminis, vt v. g. si dicam. Omnis homo est animal; hac quod dico *omnis*, cùm disponat subiectum in quãtum subiectum; si de subiecto fiat prædicatum, & auferatur ab eo ratio subiecti, non est amplius ei addenda illa particula *omnis*, sed debet conuerti sic, quoddam animal est homo. Similiter est ista, *nullus homo est asinus*: namquam cito homo desinit esse subiectum, relinquit dispositionem eius, quæ eidem conueniebat in quantum subiectum, & per consequens conuertitur sic, *nullus asinus est homo*. Eodem modo dicendum est de reduplicatione ex parte prædicati; nam reduplicatio est conditio prædicati in comparatione ad subiectum, & in quantum prædicatum est, & ideo desinit esse reduplicatum, vbi desinit esse prædicatum, vnde si conuertatur, & prædicatum fiat subiectum, non amplius erit reduplicatio cum eo, & ideo sic conuertitur, nullum malum est eligendum in quantum malum: ergo nullum eligendum est malum: vel sic nul-

nullum eligendum est malum in quantum eligendum; ità quod semper fiat reduplicatio subiecti ad prędicatum, aliter enim erit propositio falsa, & aliquando nugatoria. Ex quibus patet tum ad argumentum; tum etiam patet per cuius reduplicationem est syllogizandum in omni figura.

☞Ex his autem quæ dicta sunt de reduplicatione solui potest apparens quædam contradictio, quæ videtur ex doctrina Aegidij insurgere: nam si considerentur ea, quæ in lib. priorum tradit de reduplicatione videtur, quod sit conditio prædicati; si verò considerentur quæ ab eo traduntur in lib. post. videtur dicendum esse eam magis se tenere ex parte subiecti. Verum hoc ex eiusdem doctrina facilè soluitur: quando enim dicit magis se tenere ex parte prædicati loquitur de inhærentia formaliter, ipsum enim prædicatum formaliter inest, & talis inhærentia inchoatur à prædicato, & terminatur ad subiectum: quando verò asserit reduplicationem importunè causam inhærentiæ, & hanc esse sumendam ex parte subiecti, non ex parte prædicati, loquitur de inhærentia subiectiuè: hæc enim est in subiecto, non in prædicato; licet enim prædicatum formaliter exigat inhærere, hæc tamen inhærentia à subiecto dependet, & in eo passiuè exercitur.

Rogas. *An sit eadem ratio de destributione, & de reduplicatione?*

Resp. ex Aegidio p. prior. loc. cit. negatiuè, quia distributio formaliter est ipsius subiecti in comparatione ad prædicatum, & habitudo per distributionem significata incipit à subiecto, & tendit in prædicatum, & ideo additur ad subiectum: at reduplicatio formaliter loquendo è conuerso se habet; nam importat formalitatem inhærentiæ, quæ formalitas incipit à prædicato, & terminatur ad subiectum; licet in genere dependentiæ è conuerso res se habeat; & ideo ad denotandam hanc formalem exigentiam dicitur conditio prædicari.

Rogas. *Quomodo in reduplicatiuis desfignanda sit oppositio.*

Respondeo quod vt reduplicatiuæ euadant contradictoriæ, propositio negatiua debet etiam negare particulam reduplicantem hac ratione. *Sortes in quantum homo est albus*, eius contradictoria erit, *Sortes non in quantum homo est albus*, quod si diceretur, *Sortes in quantum homo non est albus*, iam hæc non opponeretur contradictoriè primæ propositioni, sed contrariè, & vtraquè esset falsa. Hoc autem benè aduertendum est ad euitandas captiosas argumentationes ex talibus propositionibus originem sumentes.

§. 4.
De Enunciationibus impossibilibus.

SAepè ad inuestigandam veritatē vel falsitatem alicuius enunciationis cathegoricæ vtimur his terminis. *Si per impossibile, ex hypothesi impossibili* esset &c. tunc sequeretur per locum ab intrinseco quod subiectum esset tale, vel tale v.g. si per impossibile homo non esset rationalis sequeretur per locum ab intrinseco quod non esset risibilis; si haberet alas sequeretur, quod volaret;

ret; ideo ad inuestigandam hanc exigentiam sequelæ, videndum est quid sit sequela per locum ab intrinseco, vel ab extrinseco.

Circa quam difficultatem varij sunt dicendi modi, quos breuiter referam.

Quidam asserunt tunc aliquid inferri per locum ab intrinseco ex enunciatione impossibili: quando circumscripto quouis alio, & aliquo solum remanente sequitur effectus, & eo ablato non ponitur, vt si per impossibile homo non esset animal, & esset rationale, homo distingueretur ab equo, & hoc per locum ab intrinseco, per locum vero ab extrinseco sequeretur quod non differret; quod differret sequitur per locum ab intrinseco, quia sequitur remanente suppositione, secunda pars sequitur per locum ab extrinseco, quia sequitur sic; non manente animali non manet rationale: sed non manente rationali non manet per quod differret ab equo: ergo si homo non esset animal non differret ab equo.

Alij volunt sequi per locum ab intrinseco esse idem ac sequi per immediatam sequelam; per locum verò extrinsecum esse idem ac sequi per mediatam sequelam. Vnde si dicas. Si non esset possibilis formica, neque esset possibilis hic Deus ob essentialem connexionem, quam habet omnipotentia Dei cum singulis creaturis. Hæc sequela est mediata, quia si non esset possibilis formica, neque esset possibilis talis habitudo Dei ad formicam, quæ cum ponatur eadem indiuisibilis cum habitudine ad alias creaturas, nequè esset possibilis hæc omnipotentia Dei, quæ de facto est; & per consequens neque hic Deus.

Alij putant quod argumentari per locum intrinsecum essentialiter importet acceptionem argumenti ex intrinseco conceptu, & quidditate alicuius rei, vt si Sortes non esset animal, esset tamen rationalis, discurret ne? argumentamur quod discurerret sumendo argumentum à formalitate rationalitatis: argumentari verò per locum ab extrinseco est sumere argumentum à conceptu extrinseco rei.

Alij asserunt quod quando enunciatio hypothetica non continet ex parte conditionis, & antecedentis implicantiam in adiecto, (quod est vnam partem destruere aliam) tunc licitum est argumentari ex suppositione impossibili ad inferendam vnam partem contradictionis, cum verò propositio continet talem implicantiam, tunc non licere sic argumentari, & ex ea sequi vtramquè partem contradictionis, vt si homo haberet animam, & non haberet animam non tantum colligeretur quod discurreret, sed etiam quod non discurreret; si verò solum diceretur, si homo non haberent animā, tunc benè inferretur solum quod nō discurreret. Si ab authore petas quid concipitur in similibus enunciationibus quando dicitur, *si homo*, &c. Respondet concipi aliquid latens sub accidentibus hominis commune ad habere animam, & non habere animam.

Pro resolutione noto cum Aegidio p. priorum p. 59. col. 3. duplicem esse consequentiam, alteram essentialem, & naturalem, alteram verò positiuam, & accidentalem. Conse-

ſequentia eſſentialis eſt quando cõſequens intelligitur in antecedenti; accidentalis verò eſt quando conſequens non intelligitur in antecedenti: in prima conſequens eſt de intellectu actuali antecedentis, in ſecunda autem nequaquam. Quo præmiſſo.

Dico cum Aegidio argumentari per locum ab intrinſeco eſſe argumentari per conſequentiam eſſentialem, ſeu per antecedens, de cuius actuali intellectu ſit conſequens; vndè ſi dicatur, ſi ſortes non eſſet animal, eſſet tamen rationalis, eſſet nè ſenſitiuus? dico quod non eſſet ſenſitiuus; quia ſenſitiuum ſequitur eſſentialiter ad animal, & eſt de intellectu animalis. Sic etiam ſi dicatur, ſi Deus non eſſet omnipotens non eſſet poſſibilis leo; eſt ab intrinſeco, quia de actuali conceptu omnipotentiæ eſt plenitudo eſſendi, & de conceptu leonis eſt participatio talis plenitudinis, vnde ſicut participatio plenitudinis intelligitur in ipſa plenitudine, ita ab intrinſeco negatio plenitudinis tollit eius participationẽ ab alio: ſic etiã ſi non eſſet poſſibilis leo, ſequeretur per locum ab intrinſeco, quòd non eſſet talis plenitudo eſsendi in omnipotentia. Argumentari autem per locum ab extrinſeco erit argumentari per antecedens in quo non intelligatur conſequens, ſeu per conſequentiam accidentalem.

Rogas. *Quomodo ex impoſſibili ſequatur quodlibet oppoſitorum.*

Reſp. Ex Aegidio p. prior. pag. 59. col. 3. quod in conſequentia eſſentiali ex impoſſibili non poteſt ſequi quodlibet, nec vnum oppoſitorum poteſt ſequi ex altero; in conſequentia tamen accidentali poſse ſequi quodlibet, & vnum oppoſitorum ex altero.

Addit inſuper quòd quando dicitur ex impoſſibili ſequitur quodlibet, intelligitur præter ſuum oppoſitum, & ſic etiam neceſsarium ſequitur ad quolibet præter ad ſuum oppoſitum: & ratio eius eſt quia nihil ponit, & perimit idem; ſi autem ponit ſuum conſequens: ergo non perimit ipſum, ſed vnum oppoſitorum perimit alterum oppoſitum, ergo antecedit ad ipſum: ergo neutrum oppoſitorum ſequitur ad reliquum. Accedit quod vnum oppoſitorum non eſt de intellectu alterius. Quòd verò in aliquibus conſequentijs vnum oppoſitorum ſequatur ad alterum, non eſt quia vnum ponat alterum; ſed ipſum conſequens propter neceſſitatem ſui ponitur, & non propter ſuum antecedens: in conſequentijs ergo naturalibus antecedens ponit ſuum conſequens: in accidentalibus tamen hoc non eſt neceſse.

Rogas. Quomodo in iſta: *Si per impoſſibile non eſſet actio productiua caloris, & non eſſet calor, ſequeretur quod lignum eſſet calidum?*

Reſp. quod ſequeretur per locum ab extrinſeco, quia ſequeretur ex aliquo quod non eſset eſsentialis, & formalis ratio conſtitutiua talis effectus, quidquid ſit quod altera pars ſequatur per locum ab intrinſeco. Sic etiam ſi non eſset obiectum, & eſset entitas cognitionis ab intrinſeco ſequeretur quod eſset repræſentatio, ab extrinſeco verò quod non eſset.

SE-

DISPVTATIO QVARTA.
De Enunciatione, tam quoad substantialia, quam quoad accidentalia.

SECTIO PRIMA.
In quo consistat essentia Enunciationis vt abstrahit à Cathegorica, & hypothetica?

§. 1.
Præmissis aliorum sententijs, vera cum Aegidio stabilitur.

TItulus procedit de enunciatione perfecta; hæc enim perfectum sensum generat, & de sola enunciatiua, quæ significat verum, vel falsum, & ad logigicum pertinet. Non est autem difficultas de ea, quatenus est cathegorica, & simplex; sed quatenus abstrahit à simplici, & coniuncta, à Cathegorica, & hypothetica.

Qua in re Prima sententia est asserentium essentiam enunciationis vt sic conceptæ consistere in iudicio intellectus, ratione cuius est exinde capax veritatis, vel falsitatis. Ita nonnulli apud Ioannem de S. Thom. q. 5. a.p.

Secunda setētia est asserentium eius essentiam consistere in significare esse vel non esse, ex quo postea sequitur quod sit vera, vel falsa. Ita alij apud eundem.

Tertia sententia est asserentium essentiam enunciationis consistere in ratione affirmationis, vel negationis. Ita alij apud eundem.

Quarta sententia est asserentium eius essentiam consistere in significare verum, vel falsum per modum obiecti complexi. Ita docet Ioan. à S. Thoma loco citato.

Vltima sententia est asserentium Enunciationem in abstracto essentialiter consistere in vnione prædicati cum subiecto, præscindendo ab eo, quod hæc vnio sit inter extrema debita, vel non debita. Hæc sententia est Ægidij in prolog. post. & elenc. p.p. & alijs in locis, vt mox ostendam. Hæc sententia vera est, vnde pro resolutione.

Sit prima conclusio. Ratio formalis cōstitutiua enunciationis secundum suam rationem abstractā, non consistit in appræhensione, vel iudicio, sed distinguenda est ratio enunciandi à ratione appræhēdendi, & iudicandi, ita vt hæc sit posterior ratione enunciandi, & sequatur ad ipsam. Hæc conclusio colligitur ex Ægidio 2. met. q. 3. & 4. & quodl. 4. q. 7. Ægidius enim dicta q. 3. ait: *nam licet veritas causetur in intellectu ex compositione, & diuisione, tamen non est compositio, & diuisio; sed est qualitas quadam simpliciter generata in anima, ex compositione, vel diuisione ipsius intellectus, & est habitus quidam existens realiter apud intellectum.* Et q. 4. vbi impugnans distinctionem quorundam asserentium veritatem, & scientiam esse idem secundum subiectum, differre tamen secūdum rationem, quia scientia dicitur secundum quod per eam iudicamus; veritas verò secūdum quod per ipsam appræhendimus, ait. *Ista ratio non valet, quoniam vtrumque conuenit vtrique; quoniam & per veritatem iudicamus, & apprahendimus. De ratione enim veritatis est quod sit manifesta-*

tiua unde verum est manifestatiuum sui ipsius: cum ergo bene iudicamus de his, quæ cognoscimus, & per veritatem cognoscimus, quoniam verum est manifestatiuum ipsius; patet quod per veritatem iudicamus, & apprehendimus, & per scientiam iudicamus, & apprehendimus, & ideo non valet talis distinctio. Hæc Ægidius. Ex quibus sic probo conclusionem. Iudicium supponit veritatem, & veritas supponit enunciationem, cum supponat compositionem, & diuisionem, ex qua resultat veritas: ergo enunciatio non potest essentialiter consistere in iudicio, vel apprehensione; id enim quod est posterius non potest esse constitutiuũ eius quod est prius, saltim prioritate secundum rationem, vel eo modo, quo est prius.

Secundo pr. ex Ægidio 2. s. d. 7. q. 2. a. 2. quia Intellectus Angelicus cognoscit intellectum Petri componere speciem hominis, & albi; & tamen non cognoscit an per talem compositionem cogitet affirmatiuè, vel negatiuè, alias Angelus cognosceret cogitationes cordium ex Ægidio: ergo enunciatio, seu illa compositio speciei hominis, & speciei albi, quæ est opus secundæ operationis intellectus, non consistit essentialiter in iudicio: aliàs sicut Angelus clare videt illam compositionem, ita clare videret iudicium de extremis, & per consequens cogitationes cordium cognosceret.

Tertio ex eodem 2. s. d. 23. p. p. a. 1. *Verum, & falsum sequuntur cõpositionem, & diuisionem, affirmationem, & negationem*. sed in affirmatione, & negatione non consistit essentia enunciationis vt sic, ergo nec in veritate, nec in falsitate: ergo nec in iudicio, quod vel est ex veritate, vel ad veritatẽ ordinatur.

Vltimo probo conclusionem sic: Iudicium supponit essentialiter cõnexionem prædicati cum subiecto: ergo non est ratio formalis constitutiua enunciationis, vt sic: pr. ant. quia iudicare non est aliud, quàm videre, & asserere talem connexionem esse rectam, vel non rectam, conformem, vel disconformem naturis rerum: ergo supponit compositionem prædicati cum subiecto, & per consequẽs relationem enunciationis.

Sit secunda conclusio. Ratio essentialis enunciationis nõ consistit in affirmatione, vel negatione, in veritate, vel falsitate; sed in connexione prædicati cum subiecto. Hęc conclusio est Ægidij loc. cit.

Probatur autem p. pars, quia affirmatio, vel negatio, veritas, vel falsitas supponunt connexionem prædicati cum subiecto, vt patet ex Ægidio loc. cit. ergo in eis non potest consistere ratio enunciationis.

Confirmatur ex quodl. 4. q. 7. quia ex Arist. 3. de anima t. 21. Res apud intellectum sunt sicut erant membra animalis apud Empedoclem; erant enim diuisa, vt erant capita sine ceruicibus &c. & per amicitiam coniuncta fuerunt, ita tamen vt quædam fuerint coniuncta rectè, quædam nõ rectè; ex prima vnione factum est verum animal, quod saluatum est; ex secunda falsum, & saluatum non est: ita sunt res apud intellectum, & intellectus postea eas componit, & diuidit; & si componit rectè faciendo

do propositionem affirmatiuam, vel negatiuam, secundùm quod sunt in re coniuncta, vel diuisa, enunciatio est vera, si è contra, est falsa: ergo veritas, & falsitas, affirmatio, & negatio consurgunt ex coniunctione specierum subiecti, & prædicati: ergo hæc coniunctio est prior, & per consequens non potest constitui in sua ratione per affirmationem, & negationem, per veritatem, vel falsitatem.

Probatur secunda pars ex Ægidio tum in prol. post. tū elenc. pag. 1. quia intellectus noster cum sit potentia cognoscens non statim ac intelligit subiectum intelligit prædicatum; & ideo ne erret in formādo enuaciationem, indiget regulari, & dirigi: ergo ex Ægidio enunciatio essentialiter, seu quoad substantiam consistit tantùm in vnione prædicati cum subiecto. Quod verò hæc vnio sit recta, vel non recta .i. quod prædicatum vniatur cum subiecto debito, vel non debito, non pertinet ad essentiam enúciationis in genere, sed ad eius differentias: nam si vniatur debitum subiectum cum debito prædicato, enunciatio est vera, secus autem est falsa: Item si vnio dicat esse, est affirmatiua, si nō esse, est negatiua.

Confirmatur, prius est vnio aliquorum ad inuicem, quàm quod talis vnio sit recta, vel non recta; ergo rectitudo non est ratio cōstitutiua vnionis; ergo nec enunciationis.

Ex his autem colligi potest quomodo in hac ratione conuenire possit enunciatio hypothetica: nam in vtraque est vnio prædicati cum subiecto, in illa quidē per modum simplicis dictionis; in alia verò per modum affirmationis, vel negationis: cum enim hypothetica habeat plures cathegoricas, & subiectum, ac prædicatum in ea sit aliqua affirmatio, vel negatio; dicitur conuenire in ratione enunciationis cum cathegorica, quatenus copula vnit duas cathegoricas, aut duas affirmationes, vel negationes, per modum prædicati cum subiecto. An vero hæc ratio dicatur de vtraque vniuocè, vel per prius de cathegorica, & per posterius de hypothetica, dicam infra.

§. 2.
Argumenta soluuntur.

Verum contra propositam veritatem. Ob. p. Enunciatio ab Aristotele, & Ægidio definitur per significare verum, vel falsum; nam dicitur quod est oratio verum, vel falsum significans: ergo eius essentialis ratio posita erit in veritate, vel falsitate, & non in connexione prædicati cum subiecto.

R. dist. ant. enunciatio concepta secundùm rationem abstractam à cathegorica, & hypothetica, nego ant. enunciatio vt contracta ad cathegoricam concedo: & sic intelligitur illa definitio tradita ab Arist. & Ægidio: est enim definitio enunciationis cathegoricæ, & simplicis, non vero enunciationis abstractæ; hic autem loquor de ea sub prima ratione. Hæc responsio elicitur ex Ægidio lib. p. perhier. pag. 52. Addo quod illa definitio non est essentialis, sed accidentalis, vt dicam infra.

Ob. 2. Ex Ægidio dicta pag. 52. col. 2. definitio ibi tradita ab Aristotele conuenit tàm enunciationi

simplici, quam compositæ, qua de causa dicitur in ea, *cuius partes significant vt dictio, non vt affirmatio, vel negatio.* Quia hoc conuenit cuilibet orationi mundi; omnis namq; oratio mundi, siuè sit cathegorica, siue hypothetica conuenit in hoc, quod eius partes separatæ significent vt dictiones: ergo definietur enunciatio, vt abstracta, seu vt cómunis vtrique.

R. Ægidium vtrumque asserere, nempè & quod per eam definitionem definiatur tantum enunciatio simplex, & cathegorica; & quod definiatur enunciatio in communi; hoc tamen non asserit coniunctiuè, sed tantum diuisiuè, quatenus docet vtrumq; posse probabiliter sustineri; at ego primam viam Ægidij amplector.

Addo tamen etiam secundam viam posse cum prima coniungi, ità vt per prius definiatur enunciatio simplex, quæ immediatè resoluitur in partes significantes vt dictiones, & per posterius enunciatio coniúcta, quatenus mediatè in partes significantes, vt dictiones resolui potest; & proinde sicut diuisio enunciationis in simplicem, & coniunctam est analogi in analogata; vt docet pag. 53. col. 4. ita & definitio.

Ob. 3. si ante iudicium daretur enunciatio, daretur etiam compositio, & diuisio, & consequenter veritas, & falsitas: sed ante iudicium neutrum datur: ergo nec datur enunciatio: ergo ratio constitutiua enunciationis est iudicium. Mi. pr. ex Ægidio p. perhier. pag. 49. col. 4. dicente, Veritatem esse *in mente sicut in cognoscente non est aliud, quam iudicare ita esse in re, vel non esse, & hoc est componere, vel diuidere:* & infra ait: *similitudines rerum apprehensa ab anima possunt dupliciter considerari: vno modo in se, & absolutè: alio modo per comparationem ad res, quarum sunt similitudines, & prout intellectus per illas similitudines indicat identitatem, vel diuersitatem in rebus; & secundum quod indicat identitatem est compositio; & si non fallatur est vera; si fallatur est falsa. Secundum autem quod indicat diuersitatem, sic est diuisio; & si non fallatur est vera; si fallatur est falsa*: ergò compositio, & diuisio, seu connexio prædicati cum subiecto, supponit iudicium.

R. primo neg. mi. & ad probat. desumptam ex Ægidio dico Doctorem ibi loqui de compositione in ordine ad obiectum, non de cópositione in ordine ad subiectum, seu ad intellectum enunciantem. Compositio in ordine ad subiectú est vnio ipsarum specierum ratione cuius gignitur similitudo in intelligentia; & hæc antecedit iudicium, quia sicut in intelligentia indiuisibilium non potest aliquid intelligere sine specie; sic in intelligentia diuisibilium non potest intelligere prædicatum, & subiectú, nisi prius vniat species vtriusque, & sic enúciet saltim secundum abstractissimam rationem, vt colliges ex Ægidio 2. s. dist. 7. citata. Compositio in ordine ad obiectum in re supponit iudicium, quia non tantum dicit vnionem ipsarum specierum, sed etiam dicit ita esse, vel non esse in re, quod supponit comparationem vnionis in subiecto, cum vnione in re, & iudicium de ea, ex quo iudicio sequitur compositio, vel diuisio

uisio in re, aut vera, aut falsa, vt dicebat Doctor.

R. 2. dist. mi. ante iudicium non datur compositio vt asserta, & iudicata, concedo: vt appræhensa, & copulata, nego: Ægidius loquitur primo modo, non secundo, quo pacto intelligitur conclusio. Licet autem intellectus aliquando simul vniat, & iudicet, vt cum dicit, *sortes est homo*: potest tamen vnum ab altero seiungere, vt accidit in quæstionibus, cum v.g. quæritur, An Astra sint paria? in hac enim est cōpositio prædicati cum subiecto, non vt iudicata, & asserta; sed tantum vt copulata, & complexa. Et notaquod per hanc coniunctionem præcisè conceptam, non dicitur intellectus verus, vel falsus; sed tantum per coniunctionem vt iudicatam, & assertam.

SECTIO SECVNDA.

Vtrum Enunciatio Cathegorica sit simplex qualitas, vel formaliter composita?

§. 1.

Aliorum sententiæ proponuntur, & vera cum Aegidio approbatur.

PRæsens difficultas non procedit nec de veritate causata in intellectu ex vi compositionis, & diuisionis: hæc enim licet ex enunciatione componente, vel diuidente causetur, non tamen est formaliter composita, sed est simplex qualitas, & simplex quidam habitus ex Ægidio 4. met. q. 3. Nec procedit de iudicio, & appræhensione elicita ab intellectu de ipsa enūciatione per illam simplicem qualitatem veritatis: nam etiam tale iudicium, & talis appræhēsio est vnicus actus simplex: nam ex Ægidio p. 5. dist. 38. p. 2. q. 2. ad 2. aliud est componere, & diuidere, aliud est de compositis iudicare, vel composita intelligere, & appræhendere; primum includit formaliter compositionem; non tamen secundum, qua de causa talis actus iudicij, & intellectionis admittitur in Deo; Deus enim sicut cognoscit materialia immaterialiter, & diuisibilia indiuisibiliter, ita etiam cognoscit composita incomponibiliter, & enunciabilia inenunciabiliter, & per consequens actus cognitionis, iudicij, & appræhensionis de compositis, & enunciabilibus non includit formaliter compositionem, alias non esset in Deo, sed ad summum potest supponere plures actus, vel conceptus compositos, & vnitos de quibus iudicat; hinc est quod actus ille iudicij vnico actu exprimitur, vt cum dicitur, *ita est*. Difficultas ergo tantum est de enunciatione vt antecedit iudicium; seu vt est formata, non vt est iudicata, & contemplata. Quæritur autem, an enunciatio sic formata dicat simpliciter vnicum actum indiuisibilem, vel dicat plures actus ad inuicem tamen vnitos vnitate ordinis, & continuationis?

Prima sententia est asserentium enunciationem formari per vnicum actum non solum vnitate ordinis, sed etiam vnitate simplicis qualitatis, præsupponentem tamen plures conceptus simplices, ex quibus postea resultat simplex actus enunciandi. Ita docent Caiet. p. 2. q. 113. a. 7. ad 2. Ferrar. p. contra gent. c. 55. Soto in summulis c. de proposit. Io-

annes

annes à S.Thom.q.5.de enunciat.a. 2.& alij ex Thomistis.

Secunda sententia est asserẽtium enunciationem non formari, aut perfici per vnicum simplicem conceptum, sed per attributionẽ vnius ad alterum, & per compositionem vtriusque ad inuicem; & proinde enunciationem esse formaliter ex pluribus conceptibus compositam. Hanc sententiam docet Ægidius in prol. tùm elenc.tum post. pag. 2. & p.5.dist.38.p.2.q.2.& quodl.4.q.7.

Pro resolutione noto primo cum Ægidio in prol. elen. pag. 2. quod *semper intellectus noster in intelligendo aliquid format; quia in intelligendo simplicia format simplicem conceptum, seu definitionem; in intelligendo composita format enunciationem*: & in intelligendo cõclusiones ex principijs format argumentationem, seu syllogismum. Hi autem conceptus formati sunt diuersi, quia oriuntur ex diuersa potẽtialitate intellectus, nam conceptus formatus per primam operationem intellectus (ex Ægid.in prol.post, pag.2.) oritur ex potentialitate in ordine ad intelligendum simplicia, & formandam definitionem: conceptus vero formatus per secundam operationem, oritur ex potentialitate in ordine ad coniungendum prædicatum cum subiecto; cum non statim ac intelligit subiectum, intelligat prædicatum; & ita suo modo dicendum est de conceptu formato per tertiam operationem. Ex hoc autem sequitur quod aliquid sit repræsentabile per secundam operationem, quod non est repræsentabile per primam; nempe illa coniunctio prædicati cum subiecto expressa per enunciationem; hæc enim non est repræsentabilis per simplicem apprehensionem, sed per conceptum distinctum; & per consequẽs ad formandum cõceptum enunciationis non erit sufficiens simplex operatio, sed necessaria erit composita.

Noto 2.ex Ægid. p. 5. dist. citata, quod. *Ad hoc vt intellectus intelligendo, enunciationem formet, duo requiruntur. Primò quod in eo sit pluralitas formarum, seu specierum intelligibilium: nam in formando enunciationem requiritur quadam compositio, qua sine pluralitate conceptuum, vel intellectuum esse non potest, vt potest patere ex 3.de anima, vbi de intellectu simplicium, & compositorum determinatur, secundo ad enunciationem formandam requiritur quod non statim intellecto aliquo intelligantur omnia, qua possunt ei inesse, vel non inesse; nam ex hoc intellectus componit, & diuidit, vel enunciationem format, quia in intelligendo naturam, & quidditatem alicuius, non statim intelliguntur omnia, qua ei insunt, vel non insunt: vel possunt inesse, & non inesse, & ideo quod non potest apprahendere per simplicem intuitum, apprahendit componendo, & diuidendo.* Hæc Ægidius. Ex quibus habetur quę requirantur ad enunciationem, & vndè compositio in ea reperta oriatur. His præmissis, pro resolutione.

Sit conclusio. Enunciatio non formatur ab intellectu per vnicum conceptum, sed per plures habentes tantùm vnitatem attributionis in ratione prædicati, & subiecti.

Probatur autem primo ex notatis cum Ægidio, quia potentialitas secũdæ operationis intellectus non est

est ad simplicem conceptum, sed ad compositum, nedum obiectiuè, sed etiam formaliter: ergo actus explens talem potentialitatem non erit formaliter simplex, sed compositus; actus enim debet correspondere potétię: sed expletur per enunciationem: ergo enunciatio erit formaliter composita; seu importabit conceptum formaliter cópositum. ant. patet ex p. not. est enim potentialitas ad vniendum prædicatum cum subiecto per esse, vel ad separandum per non esse.

Secundò, quia vbi formaliter datur vnio duarum specierum, ibi formaliter datur compositio: sed in enunciatione, qua intellectus dicit Sortes est albus, datur vnio duarum specierum, nempe datur vnio speciei hominis, & speciei albi: ergo in ea datur &c. prob. mi. tum ex not. tum ex 2. sent. d. 7. q. 2. a. 2. tum etiam quia species hominis nó potest repræsentare hominem, & album, cum sit similitudo desumpta ab obiecto distincto ab albedine; ergo &c.

Tertiò quia aliàs nulla esset differentia inter Deum, & Angelos ex vna parte, & homines ex altera: nam Deus & Angeli cognoscunt enuntiabilia inenuntiabiliter & cognoscunt ea, quæ obiectiuè sunt composita, absque eo quod eorum intellectio sit formaliler composita; ergo si enunciatio hominis non est formaliter composita, sed tantum virtualiter, & ex parte obiecti, nulla erit differentia inter hominem, & Deum.

Confirmatur, quia ex Ægidio ideo Deus, & Angeli intelligunt enunciabilia inenunciabiliter, quia intelligunt simplici intuitu subiectum, & quidquid ei inest, vel inesse potest: sed intellectus noster nó intelligit simplici intuitu subiectum, & ea quę illi insunt, vel inesse possunt: intelligendo enim naturam alicuius non statim intelligit prædicata, quæ ei insunt, vel possunt inesse: alias non erraret: ergo non cognoscet enuntiabilia inenuntiabiliter, sed enunciando, & componendo, & diuidendo formaliter.

§. 2.

P. Ioannis à S. Thoma argumenta diluo.

VErum contra propositam veritatem: Ob. p. Intellectus potest vnico conceptu, vel specie plura compræhendere, & repræsentare: sed per secundam operationem format vnicum conceptum respicientem plura, eaquè compræhendentem, eo modo quo totum compræhendit partes: ergo conceptus ille erit simpliciter vnus, & tantùm multiplex obiectiuè.

R. neg. ma. quia vt dictum est §. 1. vna species non potest esse repræsentatiua, plurium, si sit species desumpta ab obiectis; licèt enim species deriuatæ ab idæis diuinis possint plura repræsentare, vt sunt species angelis congenitæ; species tamen desumptę ab obiecto hoc pręstare nó possunt, cum ipsa obiecta, quorum sunt formales similitudines, sint formaliter diuersa. Nec facit quod eadem species naturæ humanæ repræsentet Sortem, & Platonem; & per consequens quod eadem possit plura repræsentare: quia species naturæ humanæ directè tantum

tum

tùm repræsentat quidditatem naturæ, indirectè verò, & per vnionem ad fontanale principium. C. ad phantasma, ex quo est accepta repræsentat esse naturæ, sortem nempe, vel Platonem; vnde quando dicitur, Sortes est homo, est ibi pluralitas specierum, nam est species naturæ, & coniunctio cum specie residente in phantasmate, seu est ibi vnio quidditatis, & esse: naturæ & suppositi; vt colliges ex Ægidio 2.s.d.3.p. 2. q. 2.a. 2.pag.250.dum ait, quod Angelus quia non componit prædicatum essentiale cum suis suppositis, intelligendo hominem intelligit & particularia hominis, quod tamen negat de intellectu humano, & per consequens intellectus humanus intelligendo naturam, & Sortem componit naturam cum supposito, & speciem cum specie. Deinde negatur mi. quia in enunciatione reperitur pluralitas cōceptuum, & intellectuum ex Ægidio loc.cit.

Ob. 2. Scientia est vnus habitus simplex, & vna simplex qualitas, & tamen sufficit ad attingendum omnia obiecta talis scientiæ: ergo etiam vnitas conceptus geniti per secundam operationem intellectus sufficiet ad attingendum prædicatum, & subiectum eiusdem enunciationis.

R. neg.conseq.propter disparitatem, nam ex Ægidio 2. met. q. 3. scientia, & veritas formaliter accepta non est ipsa enunciatio, vel discursus; sed est habitus causatus ex eis, ideo licet attendendo ea, circa quæ habet esse, seu attendendo obiecta importet complexionem, & compositionem;tamen attendendo suam formalitatem, & quidditatem est simplex habitus, & qualitas simplex: cœterum enunciatio non solum dicit complexionem attēdendo obiecta, & ea circa quæ habet esse: Sed etiam attendendo suam formalitatem; cum formaliter includat pluralitatem specierum, & conceptuum, & pluralitatem intuitus ex 2.not.

Ob.3.quando vnum cognoscitur cum connotatione ad aliud, vtrumque cognoscitur conceptu formaliter, & entitatiuè vno, licet ad plura obiecta terminato: ergo etiam in secunda operatione intellectus, quę est maioris perfectionis, quam sit prima, poterit dari vnus simplex conceptus ad plura terminatus, pr. ant.quia quando intelligitur accidens in concreto, vt album, intelligitur per vnum conceptum, licet in eo plura includantur, nam includitur accidens, & subiectum: ergo &c.

R.neg.ant.licet enim quando accidens intelligitur per primam operationem intellectus, intelligatur subiectum propter dependentiam, quam habet à subiecto, vt docet Ægidius p.elenc.pag.41.cum enim non sit ens, nisi quia est aliquid entis, nempe subiecti, non poterit intellectui obijci, & ab eo cognosci absq; connotatione subiecti, à quo dependet (quod etiam est verum in relatiuis, Pater enim non potest intelligi sine filio ob dependentiam vnius ad alterum) tamen non est verum, quod tunc sit vnitas conceptus, sed est ibi aliqua compositio, nempe est compositio conceptus accidentis, & subiecti; sicut quando intelligitur species, est ibi quædam

dam compositio ex conceptu generis, & ex conceptu differentiæ, ex quibus vnitis resultat species, vt docet Ægidius p.elen.pag.2.& 3.& quodl.4.q.7. Ex hoc autem fit, quod à fortiori non detur vnitas conceptus in secunda operatione intellectus. Quomodo autem in dicta compositione simplicium non sit veritas, nec falsitas, & quomodo sit, docet Ægidius egregiè loc. citatis.

Rogas: *An diuisio enunciationis in Cathegoricam, & hypotheticam sit vniuoca*. R. Cum Ægidio lib. p. perhier. pag. 53. col. 4. non esse vniuocam, sed analogam: Ratio est, quia enunciatio per prius dicitur de enunciatione vnà simpliciter, seu de cathegorica, & per posterius de coniunctione vna, seu hypothetica: vnde ista nō est vna simpliciter, sed tantum secundum quid, & ratione coniunctionis: ergo &c.

Secundo quia ex Ægidio p. perhier. pag. 48. col. 4. enunciatio cathegorica dicit veritatem absolutam, & non conditionatam, hypothetica verò non dicit veritatem absolutam, sed tantum conditionatam, vt si dicam, si veneris ad me, dabo tibi equum: ergo non possunt vniuocè conuenire. Accedit quod (vt insinuat Ægidius ibidem) hypothetica non est aliud, quám duæ cathegoricæ, atque adeo hypothetica non est species condistincta à cathegorica, quia quod formaliter componit aliud non distinguitur ab illo vt species, sed tantum vt includens, & inclusum.

Ioa. à S. Th. q. 5. de enunc. a. 3. putat hanc diuisionem esse vniuocam: fundamentum est, quia hypothetica est oratio profecta, & non nisi enunciatiua, & significat verum, vel falsum: ergo conuenit vniuocè.

R. Ex doctrina Ægidij conced. ant. nam enunciatio diuiditur in vnam simpliciter, & vnam coniunctione: neg. conseq. quia enunciatio de qua hic est sermo dicit veritatem absolutam, & non conditionatam, cum immediatè ordinetur ad demonstrationem, quę expostulat veritatem absolutam, non conditionatam, & quia veritas absoluta tantum est in cathegorica, in hypothetica vero quatenus resoluitur in Cathegoricā, nam ex se tantum est vera conditionaliter; ideo &c.

SECTIO TERTIA.

Vtrum Diuisio Enunciationis cathegoricæ in affirmatiuam, & negatiuam, sit generis in species?

§. 1.

Sententias propono, & verum seligo cum Aegidio.

PRima sententia est asserentium diuisionem hanc esse accidentalem, ex eo quia est diuisio enunciationis penes qualitatem .s. penes affirmare, vel negare. Ita asserunt nonnulli, quos suppresso nomine refert Ioan. à S. Thom. q. 5. a. 4.

Secunda sententia est asserētium hanc diuisionem esse analogam, ex eo quod detur per prius, & posterius: affirmatio enim est prior negatione. Ita Soto lib. 2. simul.

Tertia sententia est asserentium dictam diuisionem esse vniuocam, & esse generis in suas species. Ita

 docet

docet Ægidius lib. p. perhier. pag. 53. D. Th. p. perhier. lect. 8. Boetius, Ammonius, Simplicius, Suessanus, Toletus, Ruuius, lib.p. perhier. c. 4.

Sit prima conclusio. Enunciatio diuiditur in affirmatiuam, & negatiuam tamquam genus in suas species.

Probatur autem ex Ægidio, quia illud quod prædicatur de aliquibus in quid, & in plus, est genus: sed enunciatio prædicatur in quid, & in plus de affirmatione, & negatione: ergo est genus respectu vtriusq; pr. mi. quia vt dictum est sectione p. §. 1 essentia enunciationis consistit in vnione, vel separatione prędicati a subiecto, quę ratio reperitur in vtraque enunciatione, & ad vtramque contrahitur per differentias essentiales: nam copulatio, & vnio affirmatiua essentialiter differt à negatiua, cùm negatio essentialiter opponatur affirmationi, & totaliter eam destiuat.

Sit secunda conclusio. Vni enunciationi affirmatiuæ opponitur tãtum vna negatio. Est Ægidij lib.p. perhier. pag. 56. Intelligitur de oppositione contradictoria.

Probatur autem quia contradictio consistit in sola remotione affirmationis per negationem: sed vniuersalis affirmatiua remouetur per particularem negatiuã: & vniuersalis negatiua remouetur per particularem affimatiuam: vt hæc, *omnis homo est albus*, remouetur per hanc, *quidam homo non est albus*: ergo vni affirmationi opponitur contradictoriè vna negatio. Ex quo fit quod istæ duæ erunt differentiæ essentialiter oppositæ; quarum vna dicit esse, alia dicit non esse.

Notat autem ibi Ægidius quod vniuersalis affirmatiua non solum remouet affirmationem vniuersalem, sed etiam vltra hoc designat extremam distantiam secundum quam negat totum quod affirmatio ponit: & ob id vniuersalis affirmatiua, & vniuersalis negatiua non opponuntur contradictoriè, sed tantum contrariè.

Sit tertia conclusio. Negatio non negat plus, quam affirmet affirmatio. Est Ægidij loc. cit. Ratio eius est, quia si plus negaret negatio, quam affirmaret affirmatio, tunc illud quod per eam negaretur, esset affirmatio; & sic vna negatio haberet plures affirmationes, quod est falsum.

Notat tamen Ægidius quod licet negatio non negat plus, quam affirmet affirmatio; potest tamen negare pro pluribus: differt enim dicere negare plus, & negare pro pluribus, vt patet cum dicitur, *homo est animal*, in ea enim affirmatur animal simpliciter; non tamen affirmatur nisi pro homine: sed cum dicitur, *homo non est animal*, in ea negatur animal, quod prius affirmabatur, & non plus; negatur tamen pro pluribus, nam negatur ibi simpliciter pro quolibet supposito.

§. 2.

Argumentorum solutiones.

VErum contra propositam veritatem. Ob. p. species debent esse coæuę sub suo genere, ita quod inter eas nulla detur prioritas, vel posterioritas: sed affirmatio, & negatio nõ sunt coæuæ sub enunciatione:

rione: ergo enunciatio non erit genus ad eas, & per consequens præfata diuisio non erit generis in species, sed analogi in analogata: pr. mi. quia affirmatio est prior negatione, tum quia compositio est prior prioritate naturæ, quam diuisio: tum etiam quia habitus est prior priuatione, & ob id negatio in priuatione fundatur.

R. ex Aegidio dist. ma. debent esse coæuæ quantum ad participationem rationis superioris, & genericæ concedo: quantum ad simultatem coexistentiæ inter se, nego: hæc enim prioritas nó destruit vniuocationem, vt patet in speciebus numeri; ternarius enim est posterior binario, & hic est prior, & tamen vniuocè conueniunt in ratione numeri, quia in participatione talis rationis nullá habent prioritatem, vel inæqualitatem: hoc autem secundo modo affirmatio est prior negatione; quæ prioritas est quoad tria; quoad vocem, quia negatio addit vnam partem; addit enim ly. *Non*, vt homo currit, homo nó currit. 2. quoad intellectũ; quia affirmatio dicit compositionem, negatio autem diuisionem, compositio autem est prior apud intellectum. 3. quoad rem, quia affirmatio est habitus, negatio verò est priuatio; & ratione harum prioritatum negatio in affirmatione fundatur.

Ob. 2. species numqnam debent poni in definitione generis: sed affirmatio, & negatio ponuntur in definitione enunciationis; nam ait Aristoteles. *Est autem enunciatio vox significatiua de eo quod est, & de eo quod non est:* ergo enunciatio non potest esse genus respectu earum.

R. Ex Ægidio neg. mi. & ad prob. dico Aristotelem ibi non definire enunciationé, sed diuidere per suas differentias constitutiuas specierũ, quæ sunt affirmatio & negatio.

Ob. 3. Ad esse, & non esse nihil datur commune vniuocum: ergo nec ad affirmationem, & negationem: ergo diuisio non est vniuoca, sed analoga: conseq. pr. quia affirmatio dicit esse, & negatio dicit nó esse: ant. pr. quia esse, & non esse immediatè opponuntur, & ideo nó possunt habere aliquid commune.

R. dist. ant. Ad esse, & non esse specificè, & adæquatè sumpta nihil datur commune concedo: quia sic includunt tam enunciationem, quam contradictionem; & inter contradictoria non datur conceptus medius, aut secundũ formam, aut secundum subiectum: ad esse, & non esse inadæquatè accepta, vt .s. tantum dicunt aliquid enunciatum de subiecto, abstrahendo ab eo quod enuncietur de ipso affirmatiuè, vel negatiuè, non datur aliquid commune nego: nam datur ipsa ratio enũciationis, quæ in ipsis speciebus reperitur tãquã gradus genericus simul cũ differentijs constituẽs species contradictoriè oppositas.

R. 2. dist. ant. ad esse, & non esse non datur aliquid commune, vt esse, & non esse sunt significata à parte rei, concedo: ad esse, & non esse vt enunciata per intellectum, nego: datur enim ipsa ratio enunciandi, quia tàm propositio, quæ dicit esse, quã propositio, quæ dicit non esse, est enunciatio, & habet hoc commune vniuocum.

P. Ioannes à S. Th. asserit hoc ar-

gumento aliquos male torqueri, ſed ſine fundamento, vnde facile putat ſe ad argumentum reſpondere poſſe, dicendo: inter eſſe, & non eſſe non dari medium, nec aliquid commune: dari tamen inter ſignificare eſſe, & non ſignificare eſſe; hoc autem eſt, ſignificare complexè extrema, & vnire illa, & addit, eſſe, & non eſſe opponi contradictoriè: ſignificare verò affirmatiuè, vel negatiuè opponi contrariè.

Sed hæc ſolutio nulla eſt, vnde argumentum etiam torquet deridentem. Ratio autem eſt, quia ex Ariſtotele enunciatio affirmatiua, & enunciatio negatiua opponuntur contradictoriè ſi ſumantur modo dicto §. 1. ſed illa ſignificat eſſe, hæc autem ſignificat non eſſe; ergo ſignificare eſſe, & non eſſe opponuntur contradictoriè: non enim eſt intelligibile, quod vniuerſalis affirmatiua, & particularis negatiua opponantur contradictoriè, & quod ſignificare eſſe, & ſignificare non eſſe, quæ ſunt differentiæ conſtitutiuæ enunciationis affirmatiuæ, & negatiuæ non opponantur contradictoriè, ſicut opponuntur conſtituta per ipſas.

Nec facit quod in vtraquè ſit ſignificatio, quæ eſt poſitiua: nam contradictio vt dictum eſt §. 1. conſiſtit tantum in remotione affirmationis, quia non eſt contradictio penes ſignificare, vel non ſignificare; ſed penes ſignificare eſſe, & ſignificare non eſſe.

Inſuper ſi ſignificare eſſe, & ſignificare non eſſe opponuntur, contrariè, quam oppoſitionem habebunt inter ſe ſignificare eſſe vniuerſaliter, & ſignificare non eſſe vniuerſaliter; ſignificare eſſe vniuerſaliter, & ſignificare non eſſe particulariter? certe prima oppoſitio erit contraria, ſecunda verò erit contradictoria, vt conſtat ex figuris enunciationum de ineſſe: ergo ſignificare eſſe vniuerſaliter, & ſignificare non eſſe particulariter erunt contradictoria: ergo argumentum torquet deridentem.

Ob. 4. Affirmatio, & negatio ſunt accidentia enunciationis: ergo non ſunt differentiæ eſſentiales: pr. ant. quia eadem enunciatio inuariata tranſit de affirmatiua in negatiuam, per poſitionem, vel ſubtractionem particulæ, *Non*, & tamen eſt eadem ſecundum ſubſtantiam, cum ſemper habeat idem prædicatum, & ſubiectum: ergo &c.

Confirmatur quia, affirmatio, & negatio ſunt qualitates enunciationis: ergo non erunt differentiæ eſſentiales: pr. ant. ex illa regula, *qualis*, ne, vel af. id eſt ad interrogationem factam per, ly *qualis* eſt iſta enunciatio? reſpondendum eſt per eius qualitatem.

R. ex Ægid. p. poſt pag. 95. col. 4. neg. ant. quia variatatur tam materialiter quam formaliter: nam licet per additionem particulæ *non*, non remoueantur omnes materiales dictiones: remouentur tamen ſignificata: quia antea intellectus iudicabat de ea complexiuè, nunc iudicat diuiſiuè; antea prædicatū vniebatur cum ſubiecto; nunc remouetur a ſubiecto, quod eſt variare eſſentialiter & adæquatè enunciationem. Ad conf. R. diſt. ant. ſunt qualitates ſecundum eſſe nego; ſecundum dici concedo: cum differentia eſſentialis ſit qualitas ſecundum dici.

De-

Deinde Ob. p. contra secundam conclusionem. Huius affirmatiuæ, *omnis homo est albus*, non opponitur tantum hæc, *quidam homo non est albus*; sed etiam ista, *nullus homo est albus*; cum in ista includatur illa: ergo vnius affirmationis erunt duæ negationes.

Respondet Ægidius quod licet vniuersalis negatiua includat particularem negatiuam: tamen vniuersalis negatiua addit aliquid plus, quia non solum remouet affirmationem; sed etiam remouet quamlibet eius partem, quod pertinet ad cōtrarietatem, non ad contradictionem.

Ob. 2. quidquid repugnat consequenti, repugnat antecedenti: sed hæc, *quidam homo non est albus*, quæ sequitur ad illam: *nullus homo est albus*, repugnat huic, *omnis homo est albus*: ergo *omnis homo est albus*, repugnabit huic antecedenti, *nullus homo est albus*, & sic vnius affirmationis erunt duæ negationes.

R. ex Ægidio loc. cit. conclus. 2. quod licet illa, *omnis homo est albus*, repugnet tamquam contradictoria huic, *quidam homo non est albus*, tamen non est contradictoria huius, *nullus homo est albus*, ob rationem dictam, quia vniuersalis negatiua nō tantum remouet affirmationem; sed vlterius remouet totum.

Ob. 3. opponi est eiusdem de eodem non æquiuocè: sed hæc, *nullus homo est albus*, remouet totum id, quod affirmat hæc, *omnis homo est albus*: ergo erit eius contradictoria.

R. ex Ægidio concedo ma. vlterius tamē requiritur quod solum affirmatio remoueatur, & non sit extrema distantia, quia tunc erunt contrariæ vt dictum est.

SECTIO QVARTA.

Vtrùm veritas sit essentialis, & intrinseca enunciationi?

§. 1.

Opposita sententiæ referuntur.

PRæmittendum est p. cum Aegidio 2. met. q. p. dari veritatem: tùm quia nisi esset veritas nihil posset intellectui manifestari; est enim de ratione veritatis manifestare; & multa iam intellectui manifestata sunt; multa etiam possunt ei manifestari; & ideo opatet quod sit veritas; tum etiam quia cum sit hæc enunciatio, *nulla veritas est*, vel est vera, vel est falsa: si est vera: ergo datur veritas: si non est vera, sed falsa: ergo sua contradictoria erit vera, .s. aliqua veritas est; & per cōsequens dabitur veritas.

Præmittendum est 2. ex eodem lib. 2. met. q. 2. quod hæc veritas duplex est; alia enim est veritas, quæ consistit in adæquatione rei ad sua principia, quo pacti illa est vera caro, quæ adæquatur principijs carnis, & quæ magis adæquatur, magis est caro, & magis participat rationē carnis; & hæc veritas est in rebus ipsis, & est veritas transcendentalis: alia est veritas quæ consistit in adæquatione intellectus ad res ipsas; & hæc est in intellectu, non in rebus, & dicitur veritas formalis. In præsenti non est sermo de veritate primo modo, quia illa pertinet ad metaphysicum; sed de veritate secundo modo. Hæc autem formaliter est in intellectu tanquam in subiecto, vt docet Ægidius p. sent. d. 19.

d.19. par.2. p.2. q. p. & lib. 2. met. q.3. & quodl.4. q.7. assimilatio enim, adæquatio, seu conformitas cum rebus, est in ipso intellectu, tãquam in subiecto: sicut sanitas formaliter tantum est in animali: causaliter vero est in compositione, & diuisione, vt docet 2.met. q. 3. dum ait. *Licet autẽ veritas causetur in intellectu ex compositione, vel diuisione; veritas tamen non est compositio, neque diuisio; sed est qualitas quadam simpliciter generata in anima ex compositione, & diuisione.* Significatiuè autem est in enunciatione, vt docet p. sent. loc. cit. nam enunciatio est, quæ verum, vel falsum significat; quatenus id quod causatum est per cõpositionem vel diuisionem exprimitur, & significatur per enunciationem; & sub hac ratione quæritur. *An enunciationi sit intrinsecum, & essentiale significare verum, vel falsum?*

Prima sententia est asserentium veritatem, & falsitatem consistere in relatione rationis inter enunciationem, & obiectum enunciatum. Hanc sententiam tradit Vasquez p. p. disp. 26. c. 2. & alij quos suppressis nominibus refert Ouiedo de anim. cont.7. p.p.

Secunda sententia est asserẽtium veritatem consistere in quadam relatione reali prædicamentali inter iudicium, & obiectum ab vtroque distincta. Hanc docet Suarez disp. 8. met. sec. 1. & alij recentiores.

Tertia sententia est asserentium veritatem identificari formaliter, & ex natura rei cum actibus intellectus, ita vt actus qui est verus (idem asserunt de falso) sit talis per suam intrinsecam entitatem, vt etiam de potẽtia Dei absoluta non possit esse falsus. Hanc sententiam amplectuntur Hurtadus disp 9. de anima sec.3 & ex parte Ouiedo de anim. cont.7. p.1. §. 3. quatenus asserit veritatem esse partim intrinsecam actui, & partim extrinsecam: intrinsecam quidẽ quatenus dicit ipsam entitatem actus, extrinsecam verò quatenus dicit obiectum ab actu distincto.

Quarta sententia est asserentium enunciationem non esse intrinsecè, & essentialiter veram, vel falsam, sed tantum esse talem aut causaliter, aut significatiuè, & consequenter enunciationem esse veram, vel falsam accidentaliter. Hanc sententiam docet Ægidius loc. cit. quam tamen per sequentes conclusiones explico.

Prima conclusio. Veritas formaliter, & absolutè accepta, non est actus intellectus, sed est simplex habitus, aut simplex qualitas causata ab actibus, & ab obiectis, & intellectui immediatè inhærens, eiq; manifestans res ipsas.

Probatur autem ex Ægidio 2. met.q.2. dicente. *Ad istam quæstionem possumus dicere, quod accipiendo veritatem in se, & absolutè, & non per comparationem ad ea, circa quæ habet esse, omnis veritas est incomplexa. Nam licet omnis veritas causetur in intellectu ex compositione, vel diuisione, veritas tamen non est compositio, vel diuisio, sed est qualitas quadam simpliciter generata in anima ex compositione, vel diuisione ipsius intellectus, & est habitus quidam existens realiter apud intellectum.*

Secundo ex eodem p. sent. dist. 19. p.2. q. p. & quodl. 4. q. 7. nam

vtio-

vtrobique docet quod ficut cibus dicitur ſanus, non quia aliquid de ſanitate ſit formaliter in cibo, ſed tantum quia eſt in eo ſecundum cauſam, quia eſt aptus natus ſanitatem cauſare, vnde non eſt ſanus formaliter, ſed tantum cauſaliter formaliter vero ſolum animal eſt ſanum: ſic res dicuntur veræ non formaliter, ſed tantum cauſaliter quatenus poſſunt cauſare ſimilitudinem, vel adæquationem ſui, ſolus tamen intellectus dicitur verus formaliter; quia ſolus intellectus habet in ſe illam aſſimilationem, vel adæquationem formaliter.

Ex quibus. Argumentor. Habitus, & ſpecies, ex qua ſumitur ratio ſimilitudinis, & adæquationis non ſunt formaliter actus intellectus, neq; ipſis actibus immediatè inhęrent, ſed tantum potentiæ intellectiuæ: ſed veritas formaliter & ſecundum ſe accepta eſt habitus, & qualitas, ac ſpecies ex qua rei ſimilitudo ſumitur ex Ægidio: ergo ex eodem veritas non erit actus intellectus formaliter, ſed tantum cauſaliter.

Secundo argumentor ex Ægidio 2. met. q. 4. non ideo intellectus eſt formaliter verus, quia actus intellectus v.g. iudicium, & appræhenſio ſunt veri; ſed ideo hi actus ſunt veri; quia intellectus in ſe habet veritatem formaliter ratione cuius verè iudicat, & verè appræhendit; de ratione enim veritatis eſt quod ſit manifeſtatiua, ita vt per eam intellectus verè iudicet, & verè appræhendat: ergo veritas abſolute concepta non eſt formaliter actus intellectus, ſed erit habitus intellectui inexiſtens ratione cuius poſtea in exercitio elicit actus veros. Plura dicam in met.

Sit ſecunda concluſio. Veritas formaliter accepta non eſt relatio realis ſecundum eſſe, ſed tantum ſecundum dici. Hæc concluſio non eſt expreſſe propoſita ab Ægidio; colligitur tamen euidenter ex eius doctrina locis citatis.

Probatur autem primo ex Ægid. quodl. 4. q. 7. dicente. *Aduertendum tamen quod oportet veritatem habere fundamentum non vanum, nec caſſum. Si enim veritas eſt in aſſimilatione rei ad intellectum, vel oportet quod res ſit apta nata cauſari ab intellectu ſecundum quod ſe habent res ad intellectum diuinum: vel quod ſit apta nata cauſare ſimilitudinem in intellectu, ſecundum quod ſe habent res ad intellectum noſtrum: vel ambo ſint apta nata cauſari à tertio ſecundum quod ſe habent res ad intellectum angelicum.* Hæc Ægidius. Ex quibus ſic argumentor.

Aſſimilatio, & adæquatio in qua conſiſtit veritas formaliter dicit eſſe cauſatum vel ab obiecto, vel ab intellectu, vel à tertio: ergo hæc aſſimilatio, & per conſequens veritas formaliter non poteſt eſſe relatio realis ſecundum eſſe, ſed tantum ſecundum dici, ita vt formaliter dicat quid abſolutum, quod tamen habeat quędam modum relatiuum: pr. conſeq. quia ex 5. ph. ad relationem realem ſecundum eſſe non datur per ſe motus.

Secundo ex Ægidio 2. met. q. 2. relatio adæquationis quam importat veritas in ordine ad res, eſt ſicut relatio quam importat ſcientia in ordine ad obiecta ſcibilia: ait enim. *Sicut ſcibile non dicitur relatiuè ad ſcien-*

scientiam, quia relatio sit aliquid reale in scibili, sed quia scientia dependet à scibili: ita de adæquatione est similiter; res enim dicuntur adæquari, quia adæquatio quæ est realiter in intellectu, dependet à rebus: sed dependentia ob quam scientia dependet a scibili, est posita in hoc quod scientia causetur à scibili, vt patet: ergo dependentia adæquationis à rebus, erit posita in hoc, quod adæquatio causetur à rebus, & ideo in rebus asserit esse veritatem causaliter, & effectiuè: ergo adæquatio, & veritas non erit intrinsecè relatio secūdum esse, cum ad hanc non detur per se motus, aut causalitas effectiua. Et simile argumentum colligere poteris ex his, quæ docet 2.met.q.4.

Tertio argumentor ex Ægidio p. sent.dist.19.p.2.q.2.veritas essentialiter dicit adæquationē non quamlibet, sed importantem notitiam, & manifestationem apud intellectum: ideo si ignis genitus adæquaretur generanti, talis adæquatio non mereretur nomen veritatis; ita Ægidius: sed relatio non manifestat aliquid subiecto in quo est, sed tātum alteri .s. cognoscenti vnum relatiuum: si enim sit relatio inter duo alba; hæc relatio non manifestat aliquid ipsis albis, sed tantum intellectui contemplanti vnum relatiuum, eo enim ipso est in prospectu intelligentiæ, & reliquum: ergo veritas non potest esse relatio realis, & secundum esse; si enim veritas manifestat intellectui cui inexistit; certè non erit relatio secundum esse, nam huius essentia posita est in esse ad aliud; non in manifestare: ergo veritas intrinsecè erit habitus quidam importas modum relatiuum & per consequēs erit relatio secundū dici.

Sit tertia conclusio. Nec veritas formalis, nec significatiua, nec causalis est intrinseca, aut essentialis enunciationi; sed tantum est eius accidens. Hæc conclusio colligitur ex doctrina Ægidij.

Probatur autem de veritate formali ex Aegidio loc.cit. quia veritas formalis formaliter tantum est in intellectu, non autem in enunciatione: ergo non potest esse prædicatum intrinsecum enunciationis; esset enim in ea tamquam eius genus, vel differentia; sicut quia animal & rationale sunt intrinseca, & essentialia homini, ideo formaliter sunt in homine tamquam eius principia essentialia: ità si veritas formalis essentialiter pertineret ad enunciationem, deberet esse in ea tamquam eius prædicatum quidditatiuum, & constitutiuum.

Deinde probatur de veritate significatiua ex Aegidio cap. de substantia, vbi cum Aristotele ponit hanc differentiam inter substantiā, & orationem quantum ad recipere contraria, & ait. *Nam substantia secundum sui mutationem suscipit contraria: nam cum aliquis est niger, & factus est albus, in ipso facta est mutatio; sed ipsa oratio, & opinio immutabilia permanent, ita quod cum oratio erit vera, vel falsa non fit mutatio in oratione, sed in re*. Ex qua doctrina probo conclusionem sic.

Enūciatio inuariata perseuerans quoad sua intrinseca potest transire de vera in falsam, & è conuerso: ergo veritas, vel falsitas non est intrinseca, & essentialis enunciationis: pr. conseq. quia impossibile est quod varietur prædicatum intrinsecum,

secum, & essentiale, & non varietur id cuius est prædicatum intrinsecum; ergo si variatur veritas sine variatione enunciationis quoad sua intrinseca, veritas non erit enunciationi essentialis, sed accidentalis.

Secundo pr. ex Ægid. quæst. 10. de cognit. angel. & quodl. p. q. 10. & 2. sent. dist. 7. q. 2. a. p. quibus in locis docet Angelum non posse certitudinaliter cognoscere futura, ex eo quod futura non habent determinationem in esse; & ex altera parte species per quas angelus cognoscit, cum sint deriuatæ ab idæis diuinis, habent repræsentare quidditatem, & esse; qua de causa si obiectum non habeat esse, non poterunt certo ab angelo per illas species cognosci. Hac præmissa doctrina.

Argumentor sic. Si enunciatio intrinsecè, & essentialiter esset vera, tunc enunciatio quæ modo præfertur de obiecto futuro, haberet intrinsecè suam veritatem vel falsitatem; & quia ex altera parte esset determinata per esse; esset enim iam scripta, vel prolata; certo, & intuituè cognosceretur ab angelo: ergo angelus certo cognosceret obiectum per eam significatum esse determinatè futurum, & per consequens certo cognosceret futura: sed angelus non potest certo cognoscere futura: ergo enunciatio prolata non erit intrinsecè, & essentialiter vera, vel falsa veritate significatiua.

Dices, Angelum non posse has enunciationes de futuro certo cognoscere quoad earum veritatem, vel falsitatem significatiuam; quia ad hoc requiritur cognitio temporis, vel futuritionis, in qua erit ipsum obiectum.

Contra ex Ægidio q. 10. de cog. ang. ad 3. & 4. Cognitio temporis non est causa, vt angelus cognoscat rem futuram: ergo negatio cognitionis de futuritione non erit causa tollens certitudinem cognitionis ab angelo: pr. ant. quia ordo cognitionis angelicæ est, vt cognoscat naturam, & cognoscendo naturam cognoscat supposita, in quibus existit illa natura, & cognoscendo supposita existentia sub tali natura, cognoscat & tempus, in quo huiusmodi supposita habent esse in tali natura: ergo ignorantia temporis non potest impedire cognitionem horum futurorum.

Secundo pr. ex Ægidio, quia ideo Angelus nō potest cognoscere cogitationes cordium, quia per eamdem speciem potest homo cogitare de proposito, & de opposito, vt per speciem habitus potest cogitare de habitu, & de priuatione, & per speciem hominis vnitā cum specie albi potest cogitare hominē esse album, quod do esse verum; & non esse album, quod suppono esse falsum: ergo veritas, vel falsitas nō est intrinseca enunciationi; tunc enim nō posset per eam oppositum cognosci, cum iam ad alterum esset natura sua determinata.

Tertio, quia ex Ægidio lib. de causis pag. 67. lit. l. quælibet res est id, quod est per essentiam, & id quod est per essentiam verificatur de re, etiam re non existente; vt homine existente verum est quod homo sit animal; & homine non existente, verum est quod homo sit animal; aliter tamen, & aliter: nam homine non existente, non est vera

T: hæc

hæc propositio, homo est animal, nisi hac vnica veritate, videlicet, quod res importata per hominem habet essentialem habitudinem ad rem importatā per animal: sed homine existente, hæc propositio, *homo est animal*, est vera duplici veritate .s.& per essentialem dependentiam prædicati ad subiectum,& per actualem existentiam amborum in tertio: homine enim existente, vera est hæc homo est animal, quia id quod importatur per hominem, & id quod importatur per animal actualiter existunt in illo indiuiduo, vel homine, qui ponitur actu esse. Hæc ex Ægidio. Ex quibus argumentor sic. Ex vi non existentiæ hominis illa enunciatio desinit esse vera altera veritate: ergo veritas quæ desinit nō poterat esse enunciationi intrinseca, ita quod esset ratio constitutiua illius.

Ex his colligitur veritatem causalem non esse intrinsecam enunciationi; vrgent enim de ea eædem rationes; quia nempe eadem enunciatio inuariata quantum ad complexionem prædicati cum subiecto modo causat verum, vt quando obiectum ei correspondet, & modo falsum, vt quando ei amplius non respondet: ab eo enim quod res est, vel non est, enunciatio dicitur vera, vel falsa ex Aristotele, & Ægidio cap. de subst. in fine: ergo ex sola variatione rei nunc causatur in enunciatione in se inuariata, veritas, nunc falsitas.

Colligitur etiam veritatem esse accidens enunciationis, cum ab ea possit abesse, & adesse sine essentiali eius mutatione; vnde cum variatur enunciatio de vera in falsam, variatur accidentaliter, non vero substantialiter, & essentialiter.

Rogas. An veritas sit accidēs intrinsecè, vel extrinsecè adueniens enunciationi?

R. Veritatem formalem esse accidens,& qualitatem intrinsecè aduenientem; hæc enim est simplex qualitas inhærens intellectui in eo ab obiecto causata; vnde cum intellectus per eam dependeat ab obiecto, vt mensuratum à mensura;& relatio mensurati ponat aliquid reale in mensurato, ideo veritas formalis erit accidens intrinsecè adueniens, vel inexistens intellectui. Veritas autem significatiua, quæ est illa, quæ conuenit enunciationi, cum sit veritas signi ad placitum (enunciatio enim est instrumētum logicale, & per consequens est signum ad placitum) non potest dici accidens intrinsecè eā afficiens, sed tantum extrinsecè; resultat enim ex obiecto, vel ex intellectu opinante sine mutatione intrinseca eiusdem enunciationis; vnde dicenda est denominatio extrinseca desumpta, aut ab obiecto causante, aut ab intellectu per qualitatem,& habitum veritatis iudicante.

Rogas. Quomodo ab Ægidio dicitur quod in enunciatione sit veritas causaliter, & quomodo vt in signo?

R. quod enunciatio potest considerari dupliciter, vel vt complexa, vel vt iudicata,& asserta. primo modo cōtinet veritatem tamquam causa instrumentalis; veritas enim causatur ex compositione, vel diuisione: at secundo modo continet veritatem tamquam signum veritatis formalis residentis in intellectu.

§. 2.

§. 2.
Argumenta Hurtadi, Arriaga, & Ouiedi solu.

VErum contra hanc vlt. conclusionẽ. Ob. p. cũ Hurtado disp. 9. de anima sec. 3. Perfectio, & imperfectio alicuius rei, est ipsi rei intrinseca: sed veritas est perfectio actus, & falsitas est imperfectio: ergo quælibet est actui, seu enunciationi intrinseca.

Confirmatur, veritas diuina, qua Deus cognoscit Petrum existentem, est perfectior veritate creata, qua Petrus cognoscit Deum esse: ergo veritas est perfectio intrinseca actus; alias veritas diuina non esset perfectior veritate creata.

Confirmatur 2. si veritas non esset intrinseca actui, non esset vnde Deo repugnaret falsitas; quia etiam si Deus haberet propositionem falsam, adhuc illa esset tantæ perfectionis intrinsecæ, quantæ si esset vera; quia in ratione propositionis veræ, vel falsæ non constitueretur per se ipsam, sed per obiectum extrinsecum.

Confirmatur 3. Amor Dei circa creaturas non constituitur in ratione boni formaliter per ipsas creaturas, sed per se ipsum: ergo nec actus verus constituetur in ratione veri per obiectum extrinsecum, vel per extrinsecam adęquationem, sed per suam entitatem intrinsecam: pr. conseq. quod est veritas, vel falsitas respectu actuum intellectus, id est bonitas, & malitia respectu actu voluntatis: ergo idem est dicendum de veritate, quod de bonitate: ergo vtraq; est omnino intrinseca actui.

R. neg. ma. vniuersaliter intellectam: esto enim vera sit de perfectione formali, non tamen est vera de perfectione extrinseca, vel significatiua; hæc enim tantum inferre potest perfectionem intrinsecam, cuius est signum, non tamen dicit esse talem formaliter: esse enim cognitum, vel intellectum dicit perfectionem, non quia ipsum esse cognitum, vel intellectum sit quid intrinsecum rei, sed quia infert intrinsecam rei perfectionem verbi gratia gradũ intelligibilitatis: veritas autem enunciationis non est talis formaliter, seu non est veritas formalis; hæc enim tantum est in intellectu; sed est veritas significatiua.

Ad p. cõf. R. conced. ant. dist. conseq. ex Ægid. quodl. 4. q. 7. veritas diuina est perfectio actus concedo; veritas creata nego: & disparitas est, quia veritas diuina est assimilatiua, quatenus ex illa res ipsa est apta nata causari: at creata non est ita assimilatiua, quia sit apta nata obiectum causare; sed ab obiecto causatur, nec causatur, vt forma, sed vel vt instrumẽtum, vel vt signum. Item veritas diuina identicè dicit infinitam perfectionẽ essentiæ; formaliter vero vt obiectum primarium tantum respicit verum diuinum: at creata formaliter respicit obiectum sibi proportionatum, & licet etiam attingat verum infinitum, ipsum tamen non attingit intensiuè, sed extensiuè, seu non attingit vt obiectum proportionatũ, sed quatenus cõtinetur intra sphæram obiecti adæquati.

Ad 2. R. neg. sequelam, quia veritas diuina non dicit assimilatio-

nem causatam ab obiecto, sed causantem obiectum; ideo in Deo & est perfectio intrinseca, & est talis, vt ei repugnet falsitas;cũ ei repugnet falsum causare, & sibi assimilare.

Ad 3.concedo totum de bonitate, & veritate diuina; nego tamen paritatem de bonitate, & veritate creata; quia bonitas actus est transcendentalis, veritas vero de qua modo est sermo, est instrumentalis, & significatiua. Concedo quidem enunciationem habere suam veritatem transcendentalem; de hac tamen non est in præsenti difficultas.

Ob.2.Hic actus; *Petrus est homo* per suam essentiam est repræsentatio Petri sicuti est: ergo per suam essentiam est verus: ergo veritas est ei intrinseca & essentialis.

R.neg.ant.quia ex Ægidio quodl. 5.q.9.actus intelligendi, seu enunciandi mẽtaliter non est imago, aut repræsentatio rei, nisi impropriè, eo modo .s. quo tabula, in qua est pictura, dicitur imago; non quia ipsa tabula sit imago, sed quia habet in se picturam, quæ est imago:propriè tamen non est imago, sed hæc est ipse conceptus Petri, & hominis: *nam* (ait Ægidius ibi) *verbum interius est illud, quod exprimitur, & significatur per verbum exterius; vt illud est verbum lapidis interius, quod significatur per hoc nomen, lapis, exterius. Constat autem quod cum quis profert hoc nomen,* lapis, *non intendit significare actum intelligẽdi per quem intelligit lapidem: sed intendit significare conceptum illum, vel rationem illam, quam concipit in mente de lapide: ratio enim quam significat nomen, non est actus intelligendi, sed est ipsa definitio*. Vnde licet impropriè ille actus sit imago rei, quatenus habet esse in verbo: non est tamen propriè; sed sic id quod repræsentat Petrum per essentiam, & sicuti est, tantum est ipsa veritas formalis, aut ipse conceptus rei.

Ob. 3. vel actus per suam essentiam assimilatur obiecto, vel non: si primum:ergo per suam essentiam est formaliter verus: si secundum: ergo per suam essentiam est formaliter falsus: ergo non potest esse indifferens vt constituatur verus, vel falsus.

R. Actum per suam essentiam nec assimilari, nec non assimilari: quia similitudo & dissimilitudo cum obiecto non conueniũt actui, sed conceptui, & veritati formali, non veritati significatiuæ ad placitum, nisi tantum impropriè: vnde dico quod per suam essentiam præscindit ab vtroque, & essentialiter tantum dicit complexionem per rationem: quia tamen esse signum ad placitum potest ei conuenire, & non conuenire, ideo potest habere veritatem, vel falsitatem significatiuam absq; aliqua intrinseca mutatione, & absque eo quod hæc veritas conueniat, vel non conueniat ei ex vi alicuius rationis formalis, & essentialis in eo repertæ.

Ob.4.ex Ouiedo, & Arriaga veritas partim est intrinseca,& partim extrinseca:intrinseca quatenus dicit entitatem actus, extrinseca quatenus dicit obiectum ab actu distinctũ: ergo quantum ad actum erit ei intrinseca:pr.ant. quia eo ipso quod ego dicam *Petrus currit*, & existat Petri cursus, intellectus iudicat id, quod est de facto, & res de facto se habet eodem modo, quo iudicatur

ab

ab intellectu alio quocunque prædicato secluso: ergo eo ipso quod sit tale iudicium in intellectu, & obiectum ad quod terminatur existens, actus est verus, quia actum esse verum nihil aliud est quā rem enunciare sicuti est. Idem dicunt de actu falso.

R. ex doctrina Ægidij quod si loquamur de veritate formali adæquate accepta, hæc quidem partim est intrinseca, & partim extrinseca: intrinseca quidem non actui, sed potentiæ intellectiuæ, cum veritas formalis, seu similitudo, & adæquatio formalis cum obiecto sit in intellectu, non in actu; & ideo hæc est intellectui intrinseca: extrinseca autem quatenus adæquatio, & similitudo, quæ relationem importat, complectitur etiam obiectum, a quo vt à causa, & mensura, causata est veritas formalis in intellectu: adæquate ergo loquendo de veritate hæc partim est intrinseca, partim extrinseca: loquendo autem de veritate significatiua, hæc non est actui intrinseca, vel essentialis, sed accidentalis & extrinseca, quatenus non conuenit ei ex vi suæ naturæ, sed ex vi impositionis; veritas enim est in enunciatione, non tamquam in subiecto, sed tamquam in signo, vt docet Ægidius tum loc. citatis, tū lib. p. elenc. pag. 14. col. 3.

Ad arg. ergo neg. ant. & ad prob. dist. ant. eo ipso quod ego dicam &c. intellectus iudicat, &c. iudicat per ipsum actū, & per ipsam enunciationem formaliter, nego: quia sic iudicat per habitum veritatis, vt dictum est supra: iudicat tamquam per signū concedo: illa enim enunciatio mentalis, vel vocalis est signum intellectus iudicantis per veritatem formalem in se residentem de obiecto existenti a parte rei, & de conformitate veritatis formalis cum veritate causali.

Ob. 5. ex Ægidio lib. p. perhier. pag. 51. col. 4. dicente. Licet oratio, vel enunciatio non sit instrumentum naturale, est tamen instrumentum rationis: nunc autem instrumentum debet definiri per suum finē, & sic quia enūciatiō est instrumētum rationis, debet definiri per suū finē qui est operatio, operatio autem eius est significare verū, vel falsum, & ideo dico quod enunciatio est oratio verum, vel falsum significans: Hæc Ægidius: ergo ex Ægidio enunciatio definienda est per veritatem, & falsitatem: ergo veritas, vel falsitas erit enunciationi intrinseca, & essentialis.

R. datam definitionem non esse per causam intrinsecam, sed per extrinsecam vt innuit Ægidius, est enim per causam finalē; & ideo ex ea definitione potius colligitur veritatem esse extrinsecam enunciationi, quam intrinsecam. Addo consequēter non esse definitionem essentialem, sed accidentalem, vnde nihil contra me.

SECTIO QVINTA.

Vtrum enunciatio possit transire de vera in falsam?

§. I.

Sententias refero, & cum Aegidio rem dirimo.

Licet ex dictis superiori sectione constet eamdem enunciationem posse trāsire de vera in falsam, quia tamen quidam recentiores asse-

ſerunt hunc tranſitum eſſe impoſſibile etiam ſi veritas importet obiectum extrinſecum ; idcircò de hac re ſpecialem libet inſtituere ſectionem. In qua.

Prima ſententia eſt aſſerentium enunciationem non poſſe tranſire de vera in falſam, non ſolum ſi veritas, & falſitas ſint omnino intrinſeca, & identificata cum actu ; ſed etiam ſi veritas actus formaliter obiectum ipſi actui extrinſecum importet. Hanc ſententiam amplectuntur Ouiedo de anima contr. 7. p. 2. Arriaga diſp. 14. log. ſec. 2.

Secunda ſentẽtia eſt aſſerentium enunciationem poſſe tranſire de vera in falſam quam ſentẽtiam expreſsè tradit Ægidius tùm cap. de ſubſtantia: tum p. poſt. pag. 95. col. 2. & 3. Suarez 2. 2. diſp. 3. ſec. 13.

Pro reſolutione ſit concluſio. Enunciatio poteſt tranſire de vera in falſam per ſolam mutationem factam in obiecto à quo cauſatur veritas enunciationis. Hæc concluſio eſt Ægidij loc. cit. & maximè p. poſt. pag. 95. cuius verba ſunt iſta. *Dicendum quod quia veritas, & falſitas opinionis non cauſatur ex intellectu opinante, ſed ex re opinata ; vt ideo ſit vera opinio, quia ſic eſt in re, & ideo falſa, quia ſic non eſt : & quia veritas, & falſitas opinionis cauſatur ex re opinata, non ex intellectu opinante, nulla mutatione facta in intellectu opinante, ſed ſolum mutata re opinata, opinio vera fiat falſa, & è cõuerſo: vt ſi opinionẽ quis habeat, quod Petrus ſedeat, manente eo in hac opinione, nulla mutatione penitus facta in ipſo, ſurgente Petro erit illa opinio falſa, quæ prius erat vera: ergo opinans penitus exiſtens idem, nullo modo mutatus poteſt habere opinionem veram, & falſam: cuius ratio eſt, quia huiuſmodi veritas, vel falſitas non cauſatur ex opinante, ſi igitur de eadem re penitus nullo modo aliter ſe habente, nec in aliud, & aliud relata, poſſet eſſe opinio vera, & falſa : conſequens eſſet, quod talis veritas, & falſitas nõ cauſaretur ex re opinata, ſicut non cauſatur ex intellectu opinante: quia eodem modo penitus ſe habente poteſt habere opinionem veram, & falſam: ſed ſi non cauſaretur veritas, & falſitas ex re opinata, oporteret quod cauſaretur ex intellectu opinante: ergo ſicut nunc veritas, & falſitas opinionis cauſatur ex eſſe, & non eſſe rei ; ita ſtante hac hypotheſi ; veritas, & falſitas opinionis cauſaretur ex opinari, vel non opinari opinãtis: ergo ſicut nunc dicimus, quare eſt vera opinio ? quia ſic eſt : & quare falſa? quia ſic non eſt : ita tunc diceremus, quare eſt vera? quia ſic intellectus opinatur : & quare eſt falſa? quia ſic non opinatur: quidquid ergo opinaremur eſſet verum, & nulla opinio eſſet falſa.* Hæc Ægidius : Ex his autem argumentor ſic.

Veritas, & falſitas non cauſantur in opinione, & enunciatione ex intellectu opinante, & enunciante, ſed ex re opinata, & ex obiecto enunciato: nam ideo eſt vera, quia ſic eſt in re: ergo nulla facta variatione in enũciatione, & opinione per ſolam mutationem obiecti tranſeuntis de eſſe ad non eſſe, variabitur enunciatio de vera in falſam : ant. eſt Ariſt. tùm p. poſt. loco cit. apud Ægidium dicente. *Non contingit opinari quod opinatur falſò* .i. quod creditur eſſe falſum : tùm 4. met. vbi reprobat opinionem aſſerentium quicquid apparet eſſe verum ; & patet ex doctrina

ctrina præmissa cum Ægidio: conseq. pr. quia remota, aut variata causa remouetur, vel variatur effectus, qui ab illa in causari dependet: sed in casu variatur causa, cum obiectum, quod est causa veritatis actualis illius enunciationis, varietur per transitum de esse ad non esse: ergo variatur veritas: ergo eadē enunciatio inuariata intrinsecè, variatur de vera in falsam. Ex hoc autem colligere poteris essentiam enunciationis cōsistere in complexione enunciatiua vnius de altero: hæc enim inuariata remanet, etiam si varietur veritas.

Confirmatur, quia hæc enunciatio, *Petrus sedet in hoc instanti*, sedente Petro in eo instanti, in quo illam profero, est vera; sed transacto eo instanti, si Petrus surgat, & ego adhuc persistam in prolatione eiusdem enunciationis, est falsa, vbi prius erat vera: ergo iam transiuit de vera in falsam sine sua mutatione per solam mutationem Petri: ergo &c.

Respondet Ouiedo de anima cont. 7. p. 2. §. 2. præfatam enunciationem adhuc in instanti sequenti esse veram quoad conceptum internum comparatum cum instanti A. in quo Petrus sedebat; non tamen quoad externam vocem, quia vox externa non significat idem instans A. quod antea significabat, sed illud instans in quo profertur, & ideo variandam esse de præsenti in præteritum.

Contra primo, & suppono quod voces, & termini ex Ouiedo non significent immediatè conceptum, sed rem ad extra, vt docet in log. contr. 8. p. 3. Quo posito. Argumentor sic, & sumo eius fundamentum. Id significant voces, quod proferens intendit audienti notum fieri, & ad quod exprimendum designatæ sunt à linguę authore, qui vocibus significationē est impartitus; sed author linguæ, & proferens has voces. *Petrus in hoc instanti sedet*, non intendit exprimere conceptum repræsentantem Petrum sedentem, sed obiectum huius conceptus .s. in re Petrum sedere in hoc instanti. A. ergo hoc est quod per voces primario significatur, & non conceptus repræsentans hoc obiectum. Hæc fere ad verbum ex Ouiedo; solum enim mutatum est exemplum, vt eisdem in argumento. Tunc sic. Voces huius enunciationis, *Petrus in hoc instanti nempè A. sedet*, primario exprimunt Petrum in eo instanti sedere, non verò exprimunt primario cōceptum mentis: ergo quoad primarium significatū illa enunciatio est variata de vera in falsam, quando nempè profertur in instanti B. in quo amplius Petrus non sedet: ergo enunciatio variari potest &c.

Secundo quia si dicam ipsi. *Petrus in instanti B. sedet*; non intendo ei manifestare quod cōceptum habeam de Petro, quod in A. sederet, sed quod in B. perseueret vnio sessionis cum Petro; quę tamen re vera non perseuerat: ergo eadem enunciatio inuariata quoad intrinsecam complexionem terminorum variata est de vera in falsam: quia opinor vnionem sessionis adhuc perseuerare, quod tamen est falsum.

Confirmatur, quia tam in .A. quam in .B. opinor Petrum sedere, & in vtroque signo idem profero;

&

& tamen opinio, & conceptus, ac etiam enunciatio prolata in primo signo est vera, in secundo est falsa: ergo eadem opinio, idem conceptus, & eadem enunciatio nunc est vera, nunc est falsa. Quod si varietur conceptus, & etiam enunciatio de præsenti in præteritum, iam non est eadem enunciatio, sed diuersa, & variata; quia prima erat de præsenti, secunda est de præterito, & ex Arist.lib.p.perhier.alia est enunciatio de præsenti, alia de præterito, & alia de futuro; difficultas autem est de enunciatione vt perseuerante in eadem linea intrinseca non vt variata.

Secundo probo conclusionem sic. Per solam mutationem, & variationem factam in mensura, & regula extrinseca, variatur mensuratum, & regulatum, etiam si mensuratum quoad intrinseca non mutetur: nam si Sortes ferat arma tempore prohibito, & dum continuat eundem actum, tollatur lex prohibens, iam actus de disconformi incipit esse conformis per solam variationem mensuræ, vel legis: sed obiectũ est mensura veritatis enunciationis: ergo per solam variationem obiecti de esse ad non esse, erit variata enunciatio, & tamen quoad intrinseca eadem immutata perseuerabit.

Confirmatur, quia sicut se habet voluntas ad bonum, & malum: ita se habet intellectus ad verum, & falsum: sed idem actus voluntatis inuariatus in se & quoad intrinsecam entitatem, potest variari quoad bonitatem, & malitiam: ergo & idem actus intellectus poterit variari quoad veritatem, & falsitatem mi.pr.ex Ægidio 2 sent.dist. 40.q.p. a.3.quia si quis pergat ad ecclesiam vt audiat sacrum, actio est bona moraliter; & si continuando actionem entitatiuam variet in progressu intentionem, & vadat vt videat fœminam, actio variatur de bona in malam: ergo etiam idem eueniet in conceptu, & enunciatione respectu veritatis, & falsitatis, si obiectum varietur de esse in non esse. Vide Ægidium loc.citato, & quod asserit de actu volũtatis applica ad actum intellectus: currit enim paritas, cum respectu vtriusque mensura sit extrinseca actui.

§. 2.

Argumenta Ouiedi, & Arriagæ soluo.

VErum contra propositam conclusionem. Ob. p. cum Arriaga, & Ouiedo loc.citatis. Implicat obiectum, quod semel pro aliquo instanti determinato extitit, aut extiturum est, pro illo non existere, alias simul existeret, & non existeret pro eodem instanti, quod repugnat: ergo implicat enunciationem affirmantem cursum Petri pro instanti.A.& quę semel fuit vera, mutari in falsam; pr.conseq.quia repugnat mutari de vera in falsam sine obiecti mutatione: sed hæc est impossibilis pro instanti determinato, & pro pluribus si determinata sint: nam si semel pro omnibus illis datur cursus Petri prout requirit veritas propositionis, quæ de omnibus illis affirmat cursum, repugnat non dari cursum in omnibus illis, & cõsequẽter propositionẽ reddi falsam.

R.neg.conseq.& ad prob.dist.mi. est

est impossibilis mutatio pro eo instanti vt in eo vnio formæ cum Petro concipitur vt signata concedo: vt est exercita nego: duobus enim modis considerari potest vnio cursus cum Petro, vel vt exercita, vel vt signata: primo modo consideratur quando est exercitium à parte rei tam sessionis,& durationis eiusdem cum Petro, quam significationis enunciationis hìc, & nunc exprimentis exercitium vtriusque .s. tam obiecti, quam eiusdem enunciationis.

Secundo modo cõsideratur quãdo de præsenti (præsentialitate cadente supra enunciationem) apprehenditur, & exprimitur per enunciationem cursum esse vnitum cum Petro vt de præterito, ita vt enunciatio dicat ex vi terminorum exercitium de præsenti, vnio tamen formæ cum Petro non sit exercita de præsenti, sed tantum de præsenti sit signata vt exercita de præterito: vnio ergo cursus vt signata non potest in casu argumenti mutari, quia ab intellectu nunc enunciante apprahẽditur forma vt vnita pro illo instanti, pro quo ex parte obiecti erat vnita: vnio tamen vt exercita potest mutari, quia exercitium cursus dicit vnionem cursus tam pro instanti signato, quam pro exercito dum enunciatur propositio. Licet ergo Petrus pro. A. non possit non currere; pro .B. tamen non currit secundum esse exercitum, sed secundum signatum, & enunciatio affirmat, in .B esse exercitium, & ideo est falsa vt exercita, quia enunciat Petrum actu currere, & tamen actu non currit, licet actu in .B. apprahendatur, & signetur cursus pro. A.

Ob. 2. Enunciationem esse de præterito est idem ac obiectum illius ante illam extitisse; esse autem de præsenti idem est ac illi coexistere, esse denique de futuro idem est ac esse prius quam obiectum sit; hæ autem denominationes, prioris, posterioris, vel coexistentis, sunt denominationes partim intrinsecæ, & partim extrinsecæ, quæ possunt variari sine mutatione subiecti: ergo & hæ denominationes in enunciatione quod sit de præsenti, aut de præterito, vel de futuro, erunt etiam partim intrinsecæ, & partim extrinsecæ,& quę possunt mutari propositione immutata quantum ad veritatem; licet enim quoad voces externas videatur esse falsum dicere, Petrus currit in instanti A. si instans non sit præsens, tamen tunc in mente non dantur ea tempora propriè, & per ly *currit* in A. solum significatur cursum Petri coexistere instanti A. hoc autem verè dicitur etiam transacto instanti, quia semper affirmatur cursus pro illo instanti; sicut imago Christi Domini Crucifixi modo est verè imago, quia licet modo Christus non sit Crucifixus, repræsentat tamẽ Christum, non pro hoc, sed pro eo tempore, quo fuit Crucifixus.

R. neg. mi. quia denominatio, qua subiectum dicitur coexistens realiter, & intrinsecè dicit vnionem cũ forma nempè cũ cursu vt exercito realiter: denominatio vero qua subiectum dicitur futurum, vel præteritũ dicit vnionem vel realiter futuram, vel realiter præteritam, non tamen realiter exercitam, & ideò non possunt variari hæ denominationes vt cadunt supra subiectum

 nisi

nisi per realem mutationem subiecti de esse v.g. ad non esse sub forma; enunciatio autem in qua dicitur Petrum currere pro A. non habet in B. in quo est exercitium suæ significationis correspondentiam cum obiecto, quia in B. nó est vnio cursus cum Petro vt exercita, quo pacto exprimitur per ly currit, sed tantum vt signata, vel vt concepta; tunc enim actu cócipitur, sed exercitium formę conceptę verè, & realiter prætcrijt, non autem est.

Dices in enunciatione prolata in B. tantum affirmatur cursus pro A. quæ affirmatio vera est, cum pro A. correspondeat obiecto: ergo non est vnde possit falsificari.

R. dist. ant. in B. affirmatur cursus pro A. vt signatus concedo, vt exercitus nego: quando enim in B. dico Petrus currit, & per intellectũ intelligo cursum inesse Petro pro A. tunc mihi nó repræsentatur cursus vt exercitus à subiecto in B. sed vt signatus; dum autem in B. enuncio; enunciatio exprimit exercitium subiecti pro ea præsentialitate, qui tamen cum non sit, sed fuerit, reddit enũciationem disconformem, & falsam.

Ad exemplum de imagine Christi Domini dico, quod est disparitas, quia imago Christi Crucifixi est signum commemoratiuum, non autem demonstratiuum de præsenti; at enunciatio, in qua dicitur, *Petrus currit*, etiã si intellectus intelligat aut referat ad A. est tamen quãtum est ex vi terminorũ, quibus cóponitur, signum demóstratiuũ cursus pro instanti prolationis exercitæ; ideo non potest esse vera, nisi ex parte obiecti sit exercitium cursus correspondens præsentialitati enunciationis. Item enunciatio est in fieri, & de præsenti; nam si esset de præterito, non esset amplius eadem, sed diuersa; at imago est in facto esse, & de præterito: signum autem in fieri exigit correspondentiam in fieri in obiecto.

Ob. 3. ex Ouiedo. Ad hoc vt propositio in hoc instanti sit vera, debet supponi eius obiectum non solum in hoc instanti, sed etiam in omni tempore importato per copulam, eo modo, quo per eam importatur: sed eo ipso, quod in hoc instanti supponitur obiectum existẽs in omni tempore importato per copulã, implicat quod in aliquo tempore importato per copulam non existat: ergo implicat postea propositionem reddi falsam: ma. pr. quia veritas dicit conformationem actus cum obiecto: ergo vt sit vera in hoc instanti debet in eo cóformari cum obiecto: ergo si obiectum dicit durationem non solum de præsenti, sed etiam de præterito, & futuro, debet propositio conformari cum obiecto, vt dicit duratioñe nedum præsentem, sed etiam præteritam, & futuram.

R. dist. ma. sed etiam in omni tẽpore importato per copulam vt exercitam in hoc instanti, seu vt omni tempore, quod importat copula exercita in hoc instanti, concedo: omni tempore importato per copulam in alio instanti, seu tempore quod copula existens in alio instãti importat, & exercet, in hoc verò significat nego: quia veritas existẽs in hoc instanti, tantum petit, existentiam obiecti, quam copula in hoc instanti exercet, non vero existen-

ſtentiam . quam copula in hoc inſtāti ſignificat vt exercitam in alio.

Sed contra inſurgit Ouiedo: copula huius enūciationis, *Petrus currit*, in quocunque tempore exiſtat, habet eamdem ſignificationem: ergo ſignificat idem tempus: ergo importat idem tempus: ergo non diſtinguitur tempus importatum per copulam exiſtentem in hoc inſtanti à tempore importato per copulam in ſequenti inſtanti ant. pr. quia actus iudicij mentalis repræſentat obiectum per ſuam entitatem, & non per aliquid ſuperadditum: ergo dum eadem entitas perſeuerat, habet eamdem ſignificationem, licet ſit diuerſa corriſpondentia ad ſpatium imaginarium.

R. diſt. ant. habet eamdem ſignificationem quantum ad vnionem formæ cum obiecto in eſſe ſignato, concedo: in eſſe exercito, nego: hāc tantū habet quando eſt correſpondentia vtriuſque exercitij, tam obiecti, quam enunciationis; hæc autem deſinit eſſe in obiecto, cum deſinit curſus; & tamen ex parte enunciationis perſeuerat ſignificatio exercitij, ideo ab ea deſitione tranſit in falſam.

SECTIO SEXTA.

Vtrum Enunciationes de futuro contingenti ſint determinatè veræ, vel falſæ?

§ I.

Oppoſitas ſententias propono, & cum Aegidio difficultatem ſoluo.

Licet veritas, vel falſitas non ſit eſſentia enunciationis, nec etiam ſit eius veluti phyſica paſſio à principijs ſpecificis proueniens; eſt tamen eius paſſio ex impoſitione, & inſtitutione quatenus termini conſtituentes enunciationem impoſiti ſunt ad exprimendum conceptum rei, & eſſe, vel non eſſe obiecti; ideo ſub hac ratione quæritur, an enunciationes de futuro cōtingenti ſint determinatè veræ, vel falſæ, veritate modo dicto ad eas ſpectante.

Certum eſt autem in omni ſententia, quod ſi accipiantur enunciationes contradictorię de futuro cōtingenti ſub diſiunctione, tunc altera pars illius diſiunctiuę eſt determinatè vera, altera falſa, vt docet Ægidius tū in calce p. perhier. tum etiam de cognitione angelorum q. 10. ad 5. vnde hæc enunciatio, *Cras erit bellum nauale, cras non erit bellum nauale*: eſt vera, quia ſignificatum eius ſimpliciter, & neceſſariò eſt verum. Difficultas tantum eſt de eiſdem enunciationibus determinatè, & cathegoricè acceptis; vt ſi v.g. accipiatur altera pars illius diſiunctiuæ, nempe, *cras erit bellum nauale*; vel accipiatur determinatè oppoſita, *cras non erit bellum nauale*, an ſic acceptæ ſint determinatè veræ, vel falſæ?

Prima ſententia eſt aſſerentium enunciationes de futuro contingenti eſſe determinatè, veras, vel determinatè falſas. Hanc ſententiam ex antiquis amplexi ſunt Bonauent. Ricchar. Maior. Gab. Greg. Capreol. & alij. Ex recentioribus autem Suarez de ſcient. Dei lib. 2. c. 2. & 7. Vaſquez p. p. diſp. 66. c. 2. Herice tract. p. diſp. 6. c. 7. Hurtadus, Faſol. Arriaga, & Ouiedo de anima contr. 7. p. 5. §. 2. & alij apud hos auctores.

Secunda sententia est asserentium enunciationes de futuris contingentibus non esse determinatè veras, vel falsas ex se. Hanc sententiam tuetur Ægidius lib. p. perhier. in calce, & de cognit. angel. q. 10. ad 5. D. Th. lib. p. perhier. ca. 6. & quæst. 2. de verit. a. 12. & cum eo omnes Thomistæ, nempe Caiet. Ioannes, Ripa, Nunno, Ledesma de auxilijs disp. 2. fol. 632. Aluarez, Æstius, Corneis, Curiel. Item Scotus cum suis p. sent. dist. 39. p. 2. & 3. Salmaticenses tract. 3. de scient. Dei dub. 6. & alij apud ipsos. Pro resolutione.

Sit conclusio: enunciationes de futuro contingenti non sunt ex se determinatè veræ, vel determinatè falsæ.

Probatur autem p. ex Ægidio loc. cit. quia si enunciationes in singularibus de futuro contingenti essent determinatè veræ, vel falsæ, tunc oporteret, quod enuncians pro omni signo determinatè diceret verum, vel falsum, & sic oporteret omnia determinatè esse, vel determinatè non esse, quo dato tolleretur natura contingentium: sed hoc est inconueniens: ergo & id ex quo sequitur. pr. sequela, quia ex Arist. & Ægidio lib. 1. perhier. loc. cit. ista duo ad inuicem conuertuntur. s. quod aliquid sit verum, & quod ita sit in re: nam si verum est dicere quod album sit, de necessitate sequitur, quod ita sit in re, & è conuerso: ergo si enunciatio affirmatiua de futuro contingenti est determinatè vera, eius significatum determinatè eueniet, & per cõsequens necessariò, & non contingenter, si enim eius significatum esset indifferens, & ad vtrumlibet, tunc æqualiter se haberet ad fieri, & non fieri, & per consequens enuncians non posset determinatè dicere, hoc est verum, vel hoc est falsum.

Dices has enũciationes, non esse determinatè veras, vel falsas per se, & ex natura rei, sed per accidens, & ex suppositione euentus pro tempore futuro, quatenus ex suppositione, quod die crastino futurum sit bellum nauale, pro omni instanti antecedenti verum est dicere quod cras erit bellum nauale: hæc autem necessitas cum sit ex suppositione, nullo modo opponitur contingẽtię.

Contra, quia talis futuritio etiam si sit ex suppositione in omni signo antecedente bellum nauale, est vera & realis futuritio petens causam efficientem à qua fit: ergo non potest prouenire ex euentu futuro: euentus enim futurus cum nondum existat non potest tribuere realem, & determinatam futuritionem, ergo necesse est vt proueniat ex determinatione diuinæ voluntatis præexistentis, alias non haberet causam à qua liberè proueniret, & per consequens esset necessaria, & ex naturis rerum originaretur.

Secundò. Si Enunciatio cathegorica, quæ absolutè, & sine disiunctione dicitur, *cras bellum nauale erit*, sit determinatè vera: ergo est necessariò, & ineuitabiliter vera: ergo necessariò, & ineuitabiliter, cras erit bellum nauale: ergo non contingenter; hoc autem est tollere cõtingentiam à rebus: ergo dicendum erit, quod enunciatio cathegorica de futuro contingenti non sit determinatè vera: prima conseq. pr. quia si non sit ineuitabiliter vera, sed po-

potest eius veritas mutari, tunc vel potest mutari in eodem instanti, in quo est vera, vel in instanti praecedenti, vel in instanti subsequenti vsque ad instans in quo fiet res: sed non potest mutari in instanti, in quo ponitur vera, quia tunc pro eodem instanti esset vera, & non vera: nec in instanti praecedenti, quia si esset vera in aliquo instanti dato, est etiam vera pro quolibet instanti dato: nam si hodie verum est, quod cras erit bellum nauale, erit etiam verum pro heri, & sic ab aeterno: nec potest mutari pro instanti subsequenti inter instans enunciationis, & instans in quo res fiet, quia ex quo enunciatio de futuro contingenti est determinatè vera antequam res fiat, nó potest mutari eius veritas, nisi mutetur res, cuius enunciatio est signum: sed res contingens non potest mutari antequam fiat, quia antequam fiat non est, nec subijcitur alicui mutationi: ergo si enunciatio de futuro contingenti est determinatè vera pro aliquo instanti praecedenti illud instans, pro quo fit res, erit etiam pro quolibet instanti praecedenti determinatè vera, nec poterit mutari: nec potest mutari pro instanti, in quo fit res, quia in illo veritas habet suum significatum sibi correspondens de praesenti; est auté impossibile quod enunciatio mutetur de veritate in falsitatem posito, quod sibi correspondet suum significatum: nec potest mutari pro instanti consequenti factionem rei, quia re facta iam veritas transiuit in praeteritum, quod autem transiuit in praeteritum est immutabile ex 6. eth. ergo cum non detur instans, in quo possit illa veritas mutari, erit ineuitabiliter vera.

Secunda conseq. pr. quia illa est consequentia necessaria, quando ad oppositum consequentis sequitur oppositum antecedentis ex lib. 1. prior. sed ita est in proposito: ergo &c. pr. mi. quia si ista enúciatio, qua dicitur, *cras erit bellum nauale*, est ineuitabiliter vera: ergo significatum eius ineuitabiliter ponetur in esse, quia si non sequitur da oppositum. s. quod bellum nauale possit non poni in esse, ponatur ergo quod non eueniat; ergo prius fuit verum dicere quod bellum nauale non eueniet: sed hoc est oppositum antecedentis, in quo dicebatur, bellum ineuitabiliter eueniet, ergo &c.

Tertiò argumentor ex Ægidio li. p. perhier. in fine §. quaeritur, vbi docet quod aliquid vel habet esse in se ipso, vt est quod habet esse in praesenti, & de hoc verè enunciari potest quod sit: vel habet esse in suis causis, & tunc de eo non potest verè dici quod sit, sed tantum secundum quod habet esse in suis causis: hoc autem potest esse tripliciter, primò quod ita sit in causa, vt de necessitate ab illa proueniat, vt quod sol cras oriatur: secundò vt ita sit in sua causa, quod habeat inclinationem ad suum effectum, qui tamen impediri possit, vt quod rosa floreat in vere: tertiò vt ita sit in sua causa, vt sit in ea purè in potentia, eo quod non est magis determinata ad vnú, quam ad aliud, vt quod Sortes currat, & ista sunt in causa ad vtrumlibet; & de istis est sermo. Hac doctrina praemissa argumentor sic.

Non est alio modo veritas in enunciatione, quam sit entitas in significato enunciationis: nam ab eo

quod

quod res est, vel non est, enunciatio dicitur vera, vel falsa: sed effectus contingens antequam fiat nullam habet determinationem ad essendum: ergo enunciatio de futuro contingenti antequam fiat nullam habet determinationem ad significandam determinatè veritatem, vel falsitatem: mi. pr. illud quod est indifferens ad vtrumlibet, seu ad vtrũque oppositorum non est determinatum ad alterum ipsorum; sed effectus contingens antequam ponatur in esse est indifferens ad esse, & non esse, quia potest disiunctim esse, & non esse, aliter non esset contingēs, nec esset in causa ad vtrumlibet: ergo non est determinatus ad alterum prӕcisè in essendo: ergo nec est determinata enunciatio in significando.

Confirmatur, quia eo modo effectus antequam fiat habet determinationem ad essendum, quo modo causa in qua continetur virtualiter, est determinata ad agendum: impossibile enim est, quod effectus antequam à sua causa producatur, sit determinatus ad esse de futuro, nisi eius causa productiua sit determinata ad agere de futuro: sed causa contingenter causans est indeterminata ad agendum, & non agendum, alias non causaret contingenter: ergo effectus contentus in ipsa virtualiter est indeterminatus antequam fiat ad essendum, vel non essendum.

Cōfirmatur 2. quia si effectus futurus contingens ita continetur in sua causa, q̃ antequam fiat possit de ipso formari propositio determinatè vera ad vnam partem contradictionis tunc eamdem haberet determinationem ad essendum, quam habet dum actualiter ponitur in esse extra suas causas pro illo instāti, pro quo primò ponitur in esse; pr. quia ex quo de futuro contingenti est veritas determinata ad vnam partem contradictionis, sicut est pro primo instanti, pro quo ponitur primò in esse extra suas causas, oportet necessariò concedere, quod ex parte effectus, de quo habetur veritas, sit consimilis determinatio ad essendũ; quia dispositio vniuscuiusque in entitate est sua dispositio in veritate: sed effectus contingens habet pro illo instanti, pro quo primò ponitur in esse determinationem ad vnam partem contradictionis, ita vt pro illo primo instanti impossibile sit ipsum non esse, alias idem simul esset, & non esset, ideò Aristoteles p. perhier. dixit omne, quod est, quando est necesse est esse: ergo effectus contingens antequam fiat habebit talē determinationem ad essendum de futuro pro illo instanti, pro quo ponitur in esse, quod nō poterit habere determinationem ad non esse pro illo instanti, pro quo postea ponitur in esse: sed constat quod omnis effectus sic prӕdeterminatus vt in sua causa virtualiter contentus ad essendum pro tali instanti determinato de futuro, quod non potest habere determinationem ad non essendum pro illo eodem instanti determinato de futuro, est effectus simpliciter necessarius. ergo &c.

Confirmatur 3. ex doctrina prӕcitata, quia modi habendi esse reale, & proinde determinatum tantum sunt habere illud vel in se ipso, vel in sua causa productiua: sed

su-

futura contingentia nō habent prædictum esse in se ipsis, cum non existant: nec habent illud in sua causa, quia hæc est indifferens ad vtrūlibet: ergo futura contingentia nec in se, nec in causa habent esse reale determinatum: ergo nec enunciationes de eis formatæ poterunt habere determinatam veritatem, aut falsitatem. Neque dici potest habere esse obiectiuū reale per modum essentiæ ratione cuius dicunt ordinem ad existentiam, & sic ex vi talis esse habere determinationem; nam hoc esse obiectiuum non est determinatum determinatione ex se, seu in se, vt patet; nec est determinatum ex vi causæ, quia causa supponitur indifferens ad vtrumlibet: ergo etiam secundum esse obiectiuū dicunt indifferentiā. Accedit quod esse obiectiuum est esse vt possibile produci à causa, nec est prius quam intelligatur causa determinata: sed causa est indeterminata: ergo in ea non potest præhaberi hoc esse obiectiuum determinatum.

Rogas. Vnde ergo certò cognoscuntur à Deo?

R. Cognosci certò non ex eorum veritate obiectiua determinata, sed ex decreto diuino a quo determinationem habent, & ex eorum præsentia in æternitate vt docent communiter Thomistæ Tract. de scient. Dei; & tradit apertè Ægidius p. sent. dist. 35. p. p. q. 4. & 3. ad 5. & dist. 38. p. 3. q. vnica lit. B.

§. 2.

Opposita sententia argumenta soluo.

VErum contra propositā conclusionem cū Auctoribus oppositæ sententiæ.

Ob. p. Hæc enunciatio, *crastina die erit bellum nauale*, adueniente die crastina, & tempore, pro quo ineundum est bellum, erit determinatè vera; quia iam futurum quod per eam enunciabatur, factum est præsens: ergo est etiam vera in quouis tempore antecedenti: pr. cōseq. p. quia de qualibet re necesse est vt verificetur altera pars contradictionis, secūdò quia bellum, quod cras erit præsens in omni signo antecedenti habet rationem futuri, nam in omni verum est quod cras erit: ergo si bellum cras tali hora habebit esse præsens, etiam in omni signo antecedenti habet determinatè esse futurum: ergo enunciatio hoc enuncians erit determinatè vera. Tertiò, quia futuritio belli crastini dicitur talis per ordinem ad esse, quod tunc acquiret, & determinatio futuritionis competit ei per ordinem ad determinatum esse, quod tunc habebit: ergo si die crastina habebit determinatum esse, non verò non esse, oportet quod in omni duratione antecedenti habeat determinatam futuritionem: ergo enunciatio hoc enuncians erit determinatè vera.

R. neg. conseq. quia ex doctrina tradita in textu cum Arist. & Ægidio hæc est differentia inter enunciationem de præsenti, & de præterito ex vna parte; & enunciationem de futuro contingenti ex altera; quod illæ sunt determinatè veræ; hæc autem non, sed tantum sub disiunctione. Nec ex eo, quod in tempore futuro sit necessarium, quod è duobus actibus immediatè oppositis alterum determinatè insit subiecto capaci, inferri potest quod in tem-

tempore præsenti potentia in tali subiecto sit determinata ad alterum eorum tantum, & non indifferens ad vtrumque, & ratio est quia tunc indifferentia determinabitur, quæ modo manet indifferens, & indeterminata.

Ex quo patet ad primam probationem, licet enim adueniente tempore belli res futura educatur ex indifferentia, & determinetur, ratione cuius determinationis verificatur de ea quod sit; tamen in tempore antecedenti semper est in statu futuritionis ad vtrumlibet, ideo non potest causare veritatem determinatam.

Ad 2. prob. R. neg. ant. si intelligatur de futuritione completa, determinata, seu in esse exercito; & ad probationem ibidem inuolutam dico quod licet illud quod est futurum completè, quale est futurum illud, quod est determinatum per decretum, habeat postea esse existẽs, & quod exinde est sic existens, prius fuerit futurum includendo decretum: tamen id quod concipitur vt futurum ante decretum, vel eo præciso, quod dici potest futurum incompletè, non habet esse existens, nec infallibilem determinationem ad essendum, sed indifferentiam ad esse, & nõ esse pro tali tempore, ideo antequam sit non potest de eo dici, quod determinatè erit.

R. 2. dist. ant. habet rationem futuri, si sit futurum in esse exercito, concedo: si in esse signato, nego: & ad prob. dico, quod valet de futuro in esse exercito, non in actu signato, quia esse cras non tantum includit esse signatum futuri, sed etiam esse exercitum quod esse est post determinationẽ voluntatis, & post decretum diuinum de eius existentia. Per futurum in esse signato intelligo quidditatem futuri, quæ est in statu possibili, eadem enim quidditas, & essentia, quæ est possibilis fit sub esse: hæc tamen licet determinet quidditatem, est nihilominus indifferens ad esse, & nõ esse: per futurum in esse exercito intelligo complexum ex quidditate futuri, & ex ipso esse, quatenus decretum est vt illa quidditas fiat sub esse: primum futurum non potest dici quod erit, sed quod poterit esse; benè tamen secundum; hoc autem tantum habet post decretum diuinę voluntatis.

Ad 3. dist. ant. futuritio in esse exercito concedo: in esse signato nego: quia in esse signato tantum dicit quidditatem, quæ potest transire, & non transire ex statu possibilitatis ad statum actualitatis, & per consequens non inuoluit infallibilem ordinem ad essendum.

Ob. 2. Ante omne decretum hæ sunt contradictoriæ, bellũ erit, bellũ non erit: ergo vna est determinatè vera ex regulis cõtradictoriarum.

R. quod illa regula intelligitur, vel distinctè, & determinatè; & sic aut simpliciter, aut ex suppositione; primo modo est vera in necessarijs, secundo modo est vera in materia contingenti de præterito, vel de præsenti, quia altera pars iã determinatè euenit, & facta est necessaria ex suppositione: vel intelligitur indistinctè, & indeterminatè, seu sub disiunctione, & sic est vera in materia contingenti de futuro; necesse enim est, quod altera pars sit, non tamen magis hæc, quam illa,

la, sed altera duarum indistinctè; hæc enim est propria necessitas principij contradictionis, ex qua inferri non potest necessitas alterius partis determinatæ sumptæ, nec tolli contingentia.

Ob. 3. verum & falsum est passio propositionis, sicut par & impar est passio numeri: sed in omni signo numerus est par, vel impar: ergo & propositio.

R. pro nunc. neg. paritatem, quia par, & impar sequuntur numerum ex natura rei: at verum & falsum non sequuntur propositionem ex natura subiecti, & ex esse signato, sed ex esse exercito, & ex determinatione primæ causæ efficientis, qualis est decretum Dei.

Ob. 4. futurum contingens ante decretum est repræsentabile per essentiam diuinam: ergo ante decretum est verum, vel falsum.

R. dist. ant. est repræsentabile in ratione possibilis, vel secundum quidditatem signatam præscindentem ab esse concedo: in ratione futuri, aut in esse exercito, & complexo cum esse nego. Hæc dicta sint satis pro nunc de hac difficultate, plura afferam p.p. si Deo placuerit.

SECTIO SEPTIMA.

Alia quædam dubia de veritate enunciationis expedio.

§. I.

De Duratione veritatis enunciationis.

VLterius circa veritatem enunciationis dubitari potest, & primo dubitatur.

An veritas enũciationis sit æterna?

R. cum Ægidio p. sent. dist. 19. p. 2. p. 2. q. 3. quod simpliciter loquendo secundum quod æternitas mensurat esse extra terminos, sic non potest esse nisi vna veritas æterna; tamen quantum ad aliquas conditiones multæ possunt esse veritates æternæ. Ratio primæ partis est, quia æternitas simpliciter mensurat esse extra terminos: sed esse extra terminos non potest esse nisi vnum; cum sit esse primum, purum, & habeat omnem rationem essendi: ergo veritas ęterna non potest esse nisi vna, & per consequens veritas enunciationum de obiectis creatis, & limitatis non poterit esse æterna simpliciter.

Ratio secundæ partis est, quia æternitas simpliciter duas conditiones habet, nempè quod careat principio, & careat fine; quantum ad primam conditionem, licet creatura potuerit esse æterna, de facto tamen nulla est æterna, quantum autem ad secundam, cum multa sint, quæ non desinant esse, veritas illorum sic sumpta, potest dici æterna.

Verũ contra. Ob. p. Veritas enunciationum non incæpit esse, nec potest desinere esse: ergo est æterna simpliciter ant. pr. a. D. Ansel. in principio lib. de veritate, & in Monol c. 18. quia hæc enunciatio, *futurum est aliquid*, semper erit vera; & hæc, *præteritum est aliquid*, semper erit vera: ergo est impossibile cogitare quod veritas principium, vel finem habeat. Ita D. Ansel.

Confirmatur ex eodem quia si veritas habuit principium, & habebit finem, tunc antequã ipsa inciperet verũ erat dicere, quod non erat veritas: & si habet finem, tunc post-

quam finita erit, verum erit dicere, quod non est amplius veritas: sed verum non potest esse absque veritate: ergo veritas erat antequam esset, & erit post quã finita erit, quod est absurdum; ergo dicendum est quod veritas enunciationis nec habuit principium, nec habebit finem.

Pro responsione notat Ægidius, quod veritas prima est mensura omnium veritatum, & non dicitur veritas huius, vel illius, quia sit in hoc, vel in illo: sed quia hoc, vel illud est in veritate: sicut non dicitur tempus huius temporalis, vel illius eo quod sit in tẽporalibus, sed quia temporalia sunt in ipso. Licet autem omnia sint vera per comparationem ad veritatem primam tamquam ad mensuram; enunciationes tamen de omnibus non eodem modo comparantur ad illam veritatem, & mensuram; quia aliquę sunt quæ & si enunciantur, non tamen semper adest illis veritas prima, ita vt per illam vera dici possint, vt si dicatur, *Petrus sedet, Ceruus currit*: aliquæ verò sunt quibus numquam deest veritas prima secundum quam non possint dici vera, vt ea quæ immutabiliter vera sunt, vt cum dicitur, *futurum est futurum*, duo & tria sunt quinque, & similia. Quo posito.

Ad arg. R. neg. ant. & ad prob. cum dicitur, semper verum fuit dicere futurum est aliquid, &c. dist. per veritatem intrinsece existentem in enunciatione & mensurato nego: per veritatem extrinsecam. f. per veritatem ipsius mensurę tali enunciationi correspondentem concedo: non enim est sensus quod illa enunciatio, seu illa veritas semper fuerit, & numquam incæperit esse; sed quod nunquam talis enunciatio enunciari potuit, quod veritas prima ei deesset, per quam vera esse non posset; & ita intelligitur D. Anselmus.

Ad confir. R. dist. ant. verum erat dicere, quod veritas non erat per veritatem alicui enunciationi inexistentem nego: per veritatem extrinsecam, & mensuræ tali enunciationi potentem correspondere si daretur intellectus enuncians, concedo: quia non est intelligibile, quod si daretur intellectus creatus enuncians, illli deesset veritas prima, & omnem creatam veritatem mensurans.

Ob. 2. Dantur enunciationes, quæ sunt veræ ob infallibilem veritatẽ, & necessariam connexionem, vt omne totum est maius sua parte, de quolibet verum est affirmare, vel negare: ergo istæ sunt æternæ: nam quod est immutabile, & necessarium est æternum, & non potest deficere.

Confirmatur quia quod non potest intelligi non esse, de necessitate est æternum, sed veritas talium enunciationum non potest intelligi non esse, quia quicquid intellectus intelligit, intelligit per veritatem talium: ergo &c.

R. ex Ægidio neg. conseq. quia veritates enũciationum necessariarum possunt deficere, vel propter defectum in intellectu, vel propter defectum ipsarum rerum: vnde antequam aliquid creatum esset, non erat aliqua veritas, nisi veritas prima; nec erat ista propositio vera, de quolibet affirmatio, vel negatio: quia non erat qui enunciaret eam,

&

& per consequens non erat ipsa enunciatio: & si erat, non erat nisi in mente diuina, prout ibi non est aliud, quam Deus ipse.

Ad conf. R. Ægid. quod aliquid non possit intelligi non esse, dupliciter potest contingere. s. vel ex parte eius quod intelligitur, vel ex parte intellectus. Ex parte eius quod intelligitur, non potest aliquid intelligi non esse, quando esse est de ratione suæ quidditatis, & sic solus Deus non potest intelligi non esse, omnis tamen creatura, cum habeat quidditatem distantem ab esse, potest intelligi non esse. Ex parte intellectus non potest aliquid intelligi non esse, si intellectus non possit intelligere absque illo; sic actus intelligendi non potest intelligi non esse: quia sicut nullus potest negare loquelam, eo quod per loquelam negaret, & sic negando loquelam, loquelam poneret; sic nullus potest intelligere non esse actum intelligendi, quia intelligendo ipsum non esse, intelligeret, & sic de necessitate esset actus intelligendi. Quod primò modo nó potest intelligi non esse, est æternum: quod secundò modo non est æternum; veritas autem creata potest intelligi non esse primò modo; non tamen secundò modo, eo quod quicquid intellectus intelligit, intelligit sub ratione veri; & ideò veritas creata non est æterna, nisi ex suppositione, vt si aliquis intellectus creatus semper intelligeret.

Ob. 3. Veritas enunciationis non potest corrumpi: ergo est æterna: pr. ant. quia si corrũpitur, vel corrumpitur corruptione signi, vel corruptione rei; non primum quia eadem oratio immutata potest dici vera, vel falsa: ergo eius veritas non pendet ex oratione, vel ex signo: nec secundum ex D. Ansel. lib. de verit. ergo &c.

R. Veritatem creatam ex vtroque capite desinere posse, quia tam res, quam oratio desinere potest; nam quæ à versione incipiunt, versioni subiecta sunt, & in nihilum possunt redigi. D. autem Ansel. loquitur de veritate prima, quæ cessante re non cessat, sicut cessante temporali non cessat tempus.

§. 2.

An veritas Enunciationis sit complexa: vel incomplexa?

RESP. Cũ Ægidio lib. 2. met. q. 3. quod veritas duobus modis sumi potest, vel in se, & absolutè, vel comparatiuè; comparando eam ad illa circa quæ habet esse: primò modo veritas est incomplexa: licet enim causetur ex compositione, vel diuisione, non est tamen compositio, vel diuisio: sed est simplex habitus, & simplex qualitas genita in intellectu ex compositione, & diuisione. Notat tamen quod veritas non causatur tantum ex compositione, & diuisione intẽtionum, & similitudinum apud animam, sed etiam, & potissimè ex actione intellectus agentis, & possibilis, qui sunt virtutes realiter existentes in anima; & ideò ex concursu harum potentiarum, suarumque actionum, quæ reales sunt potest veritas in intellectu causari. Secundò autem modo veritas est complexa, quia ex compositione, & diuisione facta ab anima, causatur habitus qui dicitur

veritas, Insuper est circa compositionem, & diuisionem intentionum apud animam, vnit enim speciem prędicati cum specie subiecti, & per consequens est complexa, quatenus circa complexionem, vel diuisionem, & enunciationem versatur. Hac distinctione solues argumenta quæ in contrarium adduci possunt.

§. 3.
An veritas suscipiat magis, & minus.

RESpond. ex sententia Ægidij dicendum esse, veritatem formaliter conceptam non suscipere magis, nec minus, sed esse indiuisibilem; fundamentaliter tamen suscipere magis, & minus. Vel dicendum veritatem quoad adæquationem nõ suscipere magis, nec minus; quoad tamen adhęsionem, & certitudinem suscipere magis, & minus modo explicando.

Probo primam partem ex Ægidio p. sent. dist. 19. & 2. met. q. 2. 3. &c. & quodl. 4. q. 7. quia veritas formaliter considerata dicit adęquationem rei cum intellectu, & sic dicit æqualitatem quamdam intellectus cum re: sed adæquatio, & æqualitas non suscipit magis, & minus, sed consistit in indiuisibili: ergo & veritas: pr. mi. quia æqualitas, seu adæquatio in eadem linea in puncto consistit, vt dixi cap. de Ad aliquid.

Confirmatur quia inter conforme, & non conforme cum eodem non datur medium, vel latitudo, cum contradictoriè opponantur: ergo conformitas veritatis ad esse obiecti, & correspondentia ad ipsum vt recedit à non esse, & ei non conformatur nullam latitudinem dicit, nec magis, vel minus recipit.

Probo secundam partẽ quia hæc relatio fundatur in habitu, vel specie informante intellectum: ergo quoad fundamentum sequitur modum intellectus: sed vnus est magis perspicax, & efficax quam alius: ergo vnus intellectus potest magis firmiter adhærere illi habitui, & perspicacius penetrare connexionem prędicati cum subiecto, & per consequens quoad hoc veritas suscipiet magis, & minus.

Secundò quia ex Ægidio lib. p. met. q. 24. intellectus intelligendo simul cum intellectione, & speculatione quidditatis, debet speculari phantasmata, ac vti tali speculatione phantasmatum, propter quod per accidens errat, & decipitur, & vnus magis, alius minus secundum quod magis, vel minus errat in vsu phantasmatum, non benè ea applicando: ergo etiam quoad veritatem resultantem ex speculatione poterit per accidens dari magis vel minus, quatenus vnus intellectus magis, alius verò minus penetrat phantasmatum connexionem, vel diuisionem, ac repugnantiam: neque hoc est inconueniens, quia sicut visus per accidens decipitur circa proprium obiectum, sic intellectus per accidens decipitur circa appræhẽsionem quidditatis propter vsum phantasmatum. Hac ratione docet Ægid. loc. citato Metaphysicam non esse certam per accidens, quatenus ad nostrum intellectum comparatur, licet per se sit certa, tamen per accidens non est certa propter dictum vsum phantasmatum.

§. 4.

§. 4.

An veritas formaliter sit in intellectu, vel in rebus?

LIcet supra insinuauerim veritatẻ formaliter esse in intellectu, non verò in rebus, nunc tamen aliquid amplius cum Ægidio de hac re ad vberiorem doctrinam affero.

R. Ergo cum Ægidio p. sent. dist. 19. loc. sup. cit. & quodl. 4. q. 7. veritatem formaliter esse tantum in intellectu, causaliter verò esse in ipsis rebus.

Probatur autem prima pars ex Ægidio quodl. cit. quia apud intellectum diuinum, angelicum & nostrum, per se loquendo res non est cognita per assimilationem quæ est in ipsa, sed per assimilationem quæ est in intellectu; ergo ad hoc quod res sit vera, sufficit quod sit apud intellectum, & quod habeat assimilationem ad intellectum; hoc autem non esset nisi veritas formaliter esset in ipso intellectu; cum enim veritas in quadam adæquatione consistat, & adęquatio quamdam relationem importet; sicut scibile refertur ad scientiam, non per relationem, quæ sit in ipso, sed per relationem quæ est in scientia; sic res adæquantur intellectui nostro, non per adæquationem, quæ est in rebus, sed per adæquationem quæ est in intellectu. Quod autem res non sit cognita per assimilationem, quæ est in ipsa; sed per assimilationem, quæ est in intellectu; patet, nam existente forma balnei in intellectu, etiam non existente balneo in re extra, possumus intelligere balneum & proprietates balnei, & quæcumque pertinent ad naturam balnei. Ergo dicendum est veritatem formaliter esse in intellectu.

Probatur deinde secunda pars ex Ægidio quodl. cit. nam sicut cibus dicitur sanus, non quod aliquid de sanitate formaliter sit in cibo, sed quia est aptus natus sanitatem causare; & sic ab eadem sanitate dicitur animal sanum & cibus sanus; animal quidem formaliter, cibus verò causaliter; Ita etiam ab eadem veritate dicetur res vera, & intellectus verus; & si veritas est quædam assimilatio ad res, vel quædam adæquatio intellectus dicetur verus, eo quod habet in se illam assimilationem, & adæquationem formaliter; res autem dicetur vera, quia habet illam assimilationem vel adæquationem efficere causaliter. Quare tunc potest dici res falsa; quando est apta nata facere assimilationem non ad illud quod est, sed ad id, quod non est; sicut E. G. æs, quod felle taurino tinctum videtur esse aurum, quia facit assimilationem in intellectu de eo quod non est, dicitur falsum aurum. Assimilatio ergo intellectus ad rem, vel adæquatio, in quo formaliter consistit veritas, per se loquendo est formaliter in intellectu; causaliter verò in rebus.

§. 5.

An veritas consistat in conformitatem cum conceptu obiectiuo, vel cum re?

REspond. ex Ægidio tùm p. sent. cit. tùm quodl. 4. q. 7. tùm p. post pag. 95. non consistere in conformitate inter conceptum formalem,

lem, & obiectiuum, sed principaliter consistere in conformitate conceptus obiectiui cum re ad extra: instrumentaliter verò, & significatiuè consistere in cōformitate inter cōceptum formalē, & rem ad extra. Nomine conceptus formalis intelligitur ipsa actualis cognitio, vel intellectio: nomine cōceptus obiectiui intelligitur res ipsa, quæ est in mēte.

Probatur prima pars, quia si cōsisteret in conformitate cum conceptu obiectiuo, tunc omne quod intelligeretur esset verum, & nūquam intelligeretur, vel opinaretur falsum, & per consequens omnis cognitio, & opinio esset vera, & nulla falsa; quia in omni cognitione, & opinione ita conceptus formalis repræsentat rem, sicuti res repræsentatur in conceptu obiectiuo, neque inter eos est difformitas: nam si intellectus iudicet hominem esse leonem, ita prorsus intelligit, sicut res illa est in mente opinata, & repræsentata in conceptu obiectiuo.

Probatur secunda pars, quia veritas formaliter dicit relationem mensurati ad mensuram; nam intellectus per veritatem mensuratur: ergo consistit in conformitate mensurati ad mensuram; hæc enim realitas per quam intellectus mensuratur, causatur ab ipsa mensura: sed mensura causans est ipsa res: ergo veritas consistit in conformitate habitus causati à rebus cum ipsis rebus. Quia verò enunciatio est signum prædictæ veritatis, ideò sicut illa consistit in conformitate cum re, ita & veritas enunciationis; hæc enim sequitur naturam, & conditionem rei cuius est signum, vel instrumentum.

Dices. Non solum verificatur aliquid de ente, sed etiam de non ente: sed non ens non est in rebus: ergo veritas non potest consistere in conformitate cum re.

R. ex Ægidio p. sent. dist. 19. p. 2. q. p. ad 2. vbi ait Ad secundum dicendum quod nihil dicitur verum, nisi aliquo modo habeat esse saltem secundum appræhensionem intellectus; ideò verum non se extendit nisi ad ea, quæ sunt aliquo modo entia. Vnde dico quod licet non entia formaliter non sint à parte rei, sed tantum fundamētaliter penes quod esse attendi potest conformitas, tamen vt sunt in intellectu sortiuntur rationem rerum, & in conformitate ad tales res consistit earum veritas.

§. 6.

An enunciatio vera, & falsa possint esse de eodem.

Respond. cum Ægidio lib. p. post pag. 95. col. 4. quod enunciatio vera, & falsa possunt esse de eodem materialiter, non tamen formaliter, nam si quis enunciat, vel opinatur diametrum esse commensurabile costæ enunciat, & opinatur falsum, qui autem enunciat, aut opinatur ipsum esse incōmensurabile, enunciat verum: ergo est idem diametrum materialiter de quo hic habet opinionem veram, ille falsam (& idem dicas de enunciatione) non tamen est idem diametrum formaliter, & secundum rationem: nam habens opinionem veram commēsurat diametrum secundum esse incommensuratum, & refert diametrum in tale esse: habens verò opinio-

nionem falsam commẽsurat ipsum secundum esse commensuratum, & refert ipsum in tale esse, & quia cõmensuratio, & incõmensuratio sunt diuersæ perfectiones, vel diuersæ formæ, non erit idẽ formaliter diameter acceptus vt commensuratus, & vt incommensuratus, nec erit eodem modo consideratus, & relatus, & per consequens non erit idẽ formaliter, sed tantum materialiter.

§. 7.

Vnde oriatur difficultas in assecutione veritatis.

SVpposito cum Ægidio veritatem esse difficilem ad assequendum, vt docet Doctor lib. 2. met. q. 6. & probat tum ex diuturnitate temporis cõsumpti in acquisitione veritatis: tùm ex multitudine hominum, qui ad eam inueniendam requiruntur, tùm etiam ex eductione conclusionum ex principijs, quæritur vnde talis difficultas oriatur.

Quidam dicunt prouenire ex ipsis rebus, quia intellectus noster in assequenda veritate patitur difficultatem ex eo quod non habeat proprias species rerũ per quas cognoscere possit: sed quod has non habeat non prouenit ex ipso, cum de se sit in potentia ad omnes, sed prouenit ex rebus, quæ non sunt productiuæ specierum propriarum in intellectu nostro: ergo &c. quod ergo substantia materialis à nobis cognosci non possit est, quia non potest sui speciem imprimere neq; in sensu, neque in intellectu, quod non prouenit ex parte nostra, sed ex parte ipsius substãtiæ: similiter substantiæ spirituales non habent efficaciam ad immutandum intellectum nostrum, & imprimendum ei species, ideoque difficultas prouenit ex inefficacia rerum.

Dicendum tamen est cum Ægidio lib. 2. met. q. 8. hanc difficultatem prouenire ex parte nostra, & ex imperfectione, ac improportione intellectus nostri: nam magnitudo operis, eiusque difficultas non est attendenda ex ipsa magnitudine sed ex proportione virtutis ad opus, quia benè posset esse virtus ita fortis, quod opus etiam si in se esset valde magnum, respectu eius tamen non esset difficile, & etiam esse potest quod opus ex se esset paruum, quia tamen virtus respectu eius esset parua, & debilis, adhuc illud opus esset tali virtuti valde difficile: ergo difficultas quæ cernitur in assequenda veritate non est sumẽda ex parte rerum, sed ex parte proportionis virtutis in ordine ad eas attingendas. Quod si substantiæ abstractæ non possunt producere species repræsentatiuas sui circa intellectum humanum, vt intellectus coniunctus est, seu vt intellectus noster est dependens pro statu ex phantasmatibus; id non prouenit ex inefficacia earum, sed quia intellectus noster pro præsenti statu non est capax harum specierum: intellectus enim noster vt intellectus est habet proportionem cum substantijs immaterialibus; quia immaterialis est sicut & ipsæ substantiæ separatæ; at intellectus vt noster, seu vt coniunctus tantum habet proportionem cum habentibus phantasmata, & ideò oportet quod dũ intelligit speculetur phantasmata; vnde vt talis incapax est spe-

ſpecierum ſubſtantiarum ſeparatarum, & per conſequens adhuc difficultas oritur ex ſua improportione. Plura de veritate videas apud Ægidium tùm p. ſent. loc. cit. tùm etiam lib. 2. met. interim hæc inſinuaſſe ſufficiat.

SECTIO OCTAVA.

Dubia quędam de enunciationibus modalibus expedio cum Ægidio.

§. 1.

An in modalibus de poſſibili ad non poſſibile ſequatur impoſſibile.

RESpondeo cum Ægidio lib. 2. perhier. pag. 66. col. 3. quod de poſſibili poſſumus loqui dupliciter. Vno modo prout ſe habet ad vtrũlibet, ſcilicet ad eſſe & nõ eſſe. Alio modo prout ſe habet ad eſſe tãtum; ſi accipiatur poſſibile ad vtrũlibet, ſic non accipitur in prima linea inter propoſitionis modalis; ſed in prima linea accipitur prout ſe habet ad eſſe tantum; & in ſecunda prout ſe habet ad non eſſe. Et ideò ſi accipiatur negatione præpoſita, dicendo non poſſibile, non habebit duas cauſas veritatis, ſed ſolum vnam.

Verum obijcies primò, procedẽdo à duobus cauſis veritatis ad vnã incidit fallacia conſequentis; ſed iſta non poſſibile eſt eſſe habet duas cauſas veritatis, ergo ad eam non ſequitur hæc, impoſſibile eſt eſſe. Quod autem iſta non poſſibile eſt eſſe habeat duas cauſas veritatis; patet per Ariſtotelem in lib. p. prior. qui dicit, quod vniuerſalis negatiua de contingenti ad vtrumlibet non conuertitur. Aliqui arguunt, quod benè conuertitur, quia benè ſequitur, nullum, a, contingit eſſe, b, ergo nullum, b, contingit eſſe, a, ſed ſi non contingit nullum, b, eſſe, a, tunc quoddam, b, de neceſſitate eſt, a, & ſi quoddam, b, de neceſſitate eſt, a, per conuerſionem ſimplicem ſequitur quod quoddam, a, de neceſſitate eſt, b, ſed iſta non poteſt ſtare cum prima, ergo prima conſequentia eſt bona; ideò conuertitur ſimpliciter, vt quidam probant. Sed ſoluit Ariſtoteles, & vult quod non conuertatur ſimpliciter vniuerſalis negatiua ad vtrũlibet; & dicit quod ad iſtam, nullum b, contingit eſſe, a, non ſequitur iſta; quoddam, b, de neceſſitate eſt, a, quia iſta nullum b, contingit eſſe, a, habet duas cauſas veritatis. Vna eſt, quoddam b, de neceſſitate eſt, a. Alia, quoddam b, de neceſſitate non eſt, a, & ideò cum duas cauſas veritatis habeat illa, nullum, b, contingit eſſe, a, ad iſtam non ſequitur, ergo quoddam b, de neceſſitate eſt, a, ſimiliter non poſſibile habet duas cauſas veritatis, & ideò ad illam non ſequitur impoſſibile.

Reſpondet Ægidius loco citato cõcedẽdo id, quod ait philoſophus, nullum b, contingit eſſe a, habet duas cauſas veritatis; quia accipitur ibi contingit, prout ſe habet ad vtrumlibet, & non pro vno tantum, & tunc benè habet duas cauſas veritatis.

Obijcies 2. quæcumque ſunt cauſæ falſitatis vtrius oppoſiti, sũt cauſæ veritatis alterius oppoſiti, ſed ambæ iſtæ, nec eſſe eſt, & impoſſibile, ſunt cauſæ falſitatis iſtius .ſ. poſſibile, ergo erunt ambæ cauſæ

ve-

veritatis istius, .s. non possibile. Quod autem hæ ambæ .s. necesse & impossibile sint causæ falsitatis huius .s. possibile, patet, nam ista est falsa: possibile est hominem esse asinum; quia est impossibile; similiter ista est falsa: hominem esse animal est possibile, quia necesse est; & sic istæ duæ sunt causæ falsitatis huius, scilicet possibile; ergo ambæ erunt causæ veritatis sui oppositi, scilicet huius; non possibile; ità quod ista erit vera, non possibile, quia necesse, vel non possibile, quia impossibile; & sic videtur, quod ad istam, non possibile est esse, non sequitur ista, impossibile est esse.

Respondet Ægidius loco citato, concedendo, quod istæ duæ .s. necesse & impossibile sunt causæ falsitatis istius, scilicet possibile; accipiendo tamen possibile ad vtrumlibet; sed in prima linea non sumitur sic, sed prout tantum se habet ad esse.

§. 2.

An verum & falsum faciant enunciationem modalem?

RESpondeo cum Ægidio lib. 2. perhier. pag. 67. col. 4. negatiuè; quod vt pateat notandum ex eodem ibidem, quod quidam modi determinant alterum extremum compositionis, id est, prædicatum, vt Sortes currit. Vndè sensus est quod cursus Sortis sit bonus; & talis modus non facit propositionem modalem; Alius est modus, qui determinat cōpositionē, vt isti: possibile, impossibile, necessariū, & contingens; isti enim modi determinant cōpositionē. Ampliant enim quoad tempus: vt possibile & contingens vsque ad tempus futurum; sed necesse & impossibile, quoad omne tempus. Nunc autem istæ propositiones addunt quemdam specialem modum super illas de inesse; Nam illæ de inesse sunt veræ quando prædicatum inhæret subiecto verè; vndè dato; quod cursus insit omni homini, hæc non est vera: omnis homo necessariò currit. Hoc posito probatur verum & falsum non facere propositionem modalem; modales addunt modum specialem super illas de inesse; sed istæ de verò & falso non addunt talem modum specialem; nam sunt veræ simpliciter ex inhærentia prædicati ad subiectum; nam si cursus inest homini, hominem currere est verum; sicut ista, homo currit; ità quod non addunt istæ de verò & falso aliquem modum specialem supra illas de inesse; ergo non faciunt propositionem modalem.

Verum obijcies primò. Quod non est verum de superiori, non est verum de inferiori, sed verum est superius ad necessarium; vndè omnis propositio necessaria est vera, sed non è conuerso, ergo cum verum sit superius ad necessarium, quod non est verum de verò, non est verum de necessario; & sic si verum non faciat propositionem modalē, nec necessarium faciet; sed necessarium benè facit, ergo & verum facere videtur.

Respondet Ægidius loco citato pag. 68. col. 1. concedendo maiorem, sed negando minorem, nam propositio vera benè se habet vt superius ad necessarium, quia omnis propositio necessaria est verā, sed non è

conuerso; sed iste modus *verum* nō est superius ad *necessarium*; & ideò non sequitur, iste modus *verum* non facit propositionē modalem, quod propter hoc iste modus *necessarium* non faciat; quia iste modus *verum* non est superius ad *necessarium* essentiale.

Obijcies secūdò Propositio modalis dicitur à modo determinante cōpositionem, sed verum & falsum determinant compositionem, ergò faciunt propositionem modalem.

Respondet Ægidius loco citato, quod non sufficit, quod compositionem determinet, vt faciat propositionem modalem, sed requiritur, quod addat aliquem modum specialem; quod non faciunt illæ de verò & falso; & ideò non faciunt propositionem modalem.

§. 3.

An enunciationes modales differant specie à de in esse?

RESpondeo cum Ægidio lib. 2. perhier. pag. 68. col. 2. affirmatiuè; quod sic probatur; quia illa dicimus differre in specie, quæ differunt in forma; sed manifestum est, quod illæ propositiones modales & de inesse differunt in forma, quia in illis de inesse forma est inhærentia subiecti cum prædicato, seu compositio; sed in modalibus forma est determinatio ipsius compositionis; & sic cum in forma differant, manifestum est quod in specie differunt. Præterea illæ modales aliter se habent ad oppositionē & consequentiam quàm illæ de inesse; quare patet differre eas in specie ab illis.

Obijcies primò vnum oppositorum numquam fit aliud, sed propositio de inesse fit modalis, ergo non differunt specie; maior patet; minor probatur, quia cum dicitur: homo est animal, ista, propositio est de inesse; sed cum dicitur: homo necessariò est animal, iam est modalis, & ita cum vna possit fieri altera non differunt specie.

Respondet Ægidius loco citato negando minorem; ad probationem dicit, quod benè est verum quod materialiter in quibus est propositio de inesse potest postea esse modalis; sed tamen prout est de inesse sub tali forma non est modalis.

Obijcies secundò si propositiones de inesse & de modo differrent specie, vna non posset ad alteram sequi; sed ad istas de inesse aliquando possunt sequi propositiones modales, ergo non differunt specie.

Respondet Ægidius loco citato negando maiorem, nam aliqua propositio potest sequi ad aliam, quæ differt ab eadem in specie, vt ad istam, sortes est homo, sequitur, ergo sortes non est asinus; & tamen istæ duæ differunt specie.

§. 4.

An in modalibus prædicetur modus, & verbum subijciatur?

RESpondeo cum Ægidio lib. 2. perhier. pag. 69. quod in modalibus modi prædicantur mediante tamen verbo; & verbum subijcitur quando verbum est infinitiui modi. Probatur ex Aristotele, qui dixit superius quatuor esse oppositiones, sicut patet in illis dictis: esse & non esse; & sic patet quod modi prædicantur in illis modalibus.

No-

Notandum autem ex Ægidio loco citato, quod isti modi sunt quatuor, & differunt ad se inuicem. Nam isti modi possunt ampliare compositionem, & hoc potest esse tripliciter. Vno modo quantum ad esse permixtum potentiæ, & sic sunt possibile & contingens; Alio modo quantum ad purũ esse, & sic est necesse. Alio modo quantum ad priuationem puri esse; & sic est impossibile.

Notandum secundò, quod possibile & contingens differunt, Nam possibile dicitur absolutè non per comparationem ad suam causam, quam habet; & ideò distinguitur quoddam contingens vt in paucioribus; & quoddam vt in pluribus; & quoddam ad vtrumlibet.

Notandum tertiò, quod cum dicimus hominem currere est possibile, hic est duplex compositio. Vna est compositio in ipso dicto, vt sortem currere, quæ tantum valet sicut ista: sortem currentem esse; & est ibi alia compositio principalis, cum dicimus, hominem currere est possibile; & ista compositio importatur per ly est; quod est verbum principale; nunc autem modus iste *possibile*, est prædicatum, & pars principalis compositionis; & non determinat illam compositionem principalem; sed determinat compositionem ipsius dicti, cum dicimus ita: hominem currere est possibile; ly *possibile* determinat compositionẽ importatam per illud dictum *currere*.

Notandum quartò, quod propositiones modales possunt sumi dupliciter, vno modo quantum ad subiectum enunciationis. Alio modo quantum ad subiectum locutionis. Et dicitur in istis subiectum enunciationis totum dictum. Subiectum autem locutionis dicitur illud, de quo fit locutio; vt hominem currere vel sortem. Nunc autem istæ enũciationes si considerẽtur quantum ad subiectum enunciationis, quod est dictum, cum illud dictum sit singulare omnes possunt dici singulares. Sed si considerentur quantum ad subiectum locutionis possunt dici vniuersales vel particulares, vel indefinitæ & singulares; vt omnem hominem currere est possibile, vniuersalis est; hominem currere est possibile, indefinita est; sed cum dicimus, quendam hominem currere est possibile, particularis est; sortem currere est possibile, singularis est. Sed si considerentur omnes istæ quantum ad subiectum enunciationis; quod est totum dictum; & dictum quodlibet sit singulare; & vnum non est aliud, sed vnum est diuersum ab alio, secundum hoc omnes dici possunt singulares.

Verum obijcies primò, Determinatio compositionis nõ est alterum extremum compositionis; sed modus est determinatio compositionis; ergo non est alterum extremum, & ita non est prædicatum; & sic modus non prædicatur in istis propositionibus modalibus.

Respondet Ægidius, loco citato concedendo, quod illud quod determinat compositionem non est alterum extremum compositionis, illius videlicet compositionis, quam determinat; vnde (vt visum est) iste modus possibile, cum dicitur sortem currere est possibile; benè est al-

alterum extremum compositionis principalis, & non determinat compositionem principalem, sed determinat compositionem ipsius dicti, vt visum est.

Obijcies secundò si modus prædicaretur in istis propositionibus, & dictum quidem subijceretur; tunc cum dictũ sit singulare, omnes propositiones modales essent singulares; & sic ex ipsis non contingeret syllogizare; quod tamen est falsum; nam fit benè syllogismus ex modalibus; vt cum dicimus omnem hominem currere est possibile, Sortes est homo, ergo Sortem currere est possibile. Et ita cum syllogizamus ex modalibus, patet quod non omnes sunt singulares; & sic non subijcitur dictum, quod est singulare, quia tunc essent singulares.

Respondet Ægidius loco citato, quod si considerentur istæ modales quantum ad subiectum enunciationis, sic benè possunt dici omnes singulares; quantum ad subiectum locutionis sic non sunt omnes singulares, vt visum est. Aduertit autem Ægidius, quod quando dicitur quod in modalibus debet verbum subijci, veritatem habet quando modus accipitur modaliter; & est verbum infinitiui modi; aliter autem non; vt, homo necessariò est animal, ibi non subijcitur verbum, quia non est infinitiui modi, & tamen est propositio modalis.

SECTIO NONA.

Alia quædam dubia circa proprietates enunciationis expendo.

§. 1.

An oppositio contradictoria sit maxima inter omnes?

RESP. Cũ Ægidio p. sent. dist. 11. p. 2. q. 3. ad 3. dist. 33. p. p. q. p. ad 2. & dico primò oppositionem contradictoriam esse maximam inter omnes quantum ad amplitudinem, & latitudinem, esse tamen minimam quantum ad rationem oppositionis. Ita Ægidius loc. cit. ait enim. *Ad tertium dicendum quod oppositio contradictoria dicitur maxima propter amplitudinem, quia omnes alias oppositiones continet; tamen minima est quãtum ad rationem oppositionis, quia omnes oppositiones se habent per additionem ad illam; cum ipsa reseruetur in omnibus: vndè inter ea, quæ sola ratione differunt quodammodo reseruatur talis oppositio, vt puta inter essentiam, & patrem, quia pater generat; essentia non generat.*

Et dist. 33. loc. cit. ait, Ad secundum dicendum quod maxima oppositio dicitur contradictio, quia est latior, & omnes alias includit: sed omnes aliæ oppositiones se habent per additionem ad ipsam, & ideo non oportet tantum differre quæ differunt per affirmationẽ, & negationem, quantum differunt quæ secundum oppositiones alias opponuntur. Ex quibus etiam patet ratio asserti: est enim maxima inter omnes quantum ad latitudinem, & amplitudinem, quia omnes alias sub se compræhendit: est minima quantum ad rationem oppositionis, tùm

quia

quia omnes aliæ addunt supra ipsam: tùm etiam quia extrema oppositionis contradictoriæ non exigunt tantam distinctionem ad inuicem, quantam exigunt extrema aliarum oppositionum: ergo quoad hoc minima erit inter omnes.

Dico 2. oppositio contradictoria est maior inter omnes quoad rationem immediationis. Ita Ægidius lib. 1. post pag. 16. vbi ait quod oppositio contradictoria non habet medium nec secundum formam, nec secundum subiectum.

Probatur autem, quia illa est maior oppositio in ratione immediationis, quę nullum admittit mediũ, nec secundum formam, nec secundum subiectum, ità vt in eo possit habere aliquam conuenientiam aut ex parte subiecti, aut ex parte formæ mediantis inter formas extremè oppositas: sed oppositio contradictoria nullum habet medium, alię verò habent medium aliquo modo: ergo &c. pr.mi. ex Ægidio sic: quia contraria mediata, vt album & nigrum, habent medium secundum formam, quia inter ea reperitur media forma, & color medius; vt fuscum, & pallidum: habent medium secundum subiectum, quia reperitur subiectũ aliquod, quod est omnino absque colore, nec est aliquo colore coloratum, vt aer, & aqua. Contraria immediata licet non habeant medium secundum formam, quia v.g. inter sanum, & ægrum nõ reperitur forma media: habent tamen medium secundũm subiectũ, quia reperitur subiectum quod nec est sanum, nec ægrum, vt lapis, & ferrum.

Contraria priuatiuè non habent medium secundum formam, quia inter vitam, & mortem, inter cæcum & videntem non datur media forma: habent tamen medium secundum subiectum, quia reperitur subiectum aliquod, quod nec est cæcum, nec videns, vt lapis, & catulus ante nouem dies.

Contraria relatiuè non ità se habent vt posito vno tollatur reliquũ, immò posito vno ponitur & alterum, cum sint simul natura, & habent mediũ secundum subiectum, quia datur homo, qui nec est pater, nec filius; vt Religiosus cuius pater mortuus est. Contradictoria verò nullo modo habent medium, non secundum formam, quia non reperitur forma media inter affirmationem, & negationem: nec secundum subiectum, quia non reperitur subiectum aliquod, de quo non verificetur affirmatio, vel negatio; immò etiam de ipso nihilo hoc vel illud verificatur. Insuper in contradictorijs negatio vnius ità est pura, vt omnem conuenientiam cum suo extremo negato tollat, vnde non relinquit esse, vel aptitudinem, sed totum destruit. Item contradictoria sunt ratio, quare alia aliquid participant de immediatione; nam in alijs oppositionibus reperitur aliquis modus immediationis in quãtum in eis reseruatur aliquid de contradictione, vt in quantum vnum oppositorum habet rationem affirmationis, reliquum verò rationem negationis: ergo oppositio cõtradictoria in ratione immediationis erit nedum maior, sed etiam maxima inter omnes.

§. 2.

§. 2.

An contradictoriæ possint esse simul vera, vel simul falsæ:

PRo resolutione noto primo cũ Ægidio lib. 2. elenc. pag. 19. col. 2. quod ad veram contradictionem multæ cõditiones requiruntur, quarum si plures, vel vna desit non est cõtradictio; primò requiritur quod sit de vno, & eodem subiecto, de vno & eodem prædicato: ideo ob defectum huius particulæ hæ: Sortes est albus: Sortes non est doctus, non est contradictio: secundò requiritur quod sit ad idem, vnde Sortes currit in campo, non currit in domo, non sunt contradictoriæ: quia non sunt ad idem spatium: tertiò requiritur quod sit secundum idem: ideo istæ, Sortes currit ad dextrum, non currit ad sinistrum, non sunt cõtradictoriæ: quartò requiritur vt sint similiter, ideò istæ: Sortes currit rectè, Sortes non currit obliquè, non sunt contradictoriæ: quia deest ly similiter: quintò requiritur quod sit simultas temporis, ex cuius defectu istæ non sunt contradictoriæ: Sortes currit in tertia, Sortes non currit in nona: non sunt contradictoriæ.

Noto 2. ex eodem lib. 1. perhier. pag. 55. quod ad veram contradictionem requiritur quod propositiones sint de eodem supposito; ita quod non varietur suppositio; vnde istæ, homo est albus, homo non est albus, de virtute sermonis, & locutionis non contradicunt, quia homo non magis stat pro Sorte, quã pro Platone; erunt tamen contradictoriæ si ly homo supponat pro eodem supposito, nempè pro sorte, vt dicendo homo .s. sortes est albus homo .s. sortes non est albus. Ex vi huius conditionis euitantur multa sophismata: nam si dicatur omnes Apostoli sunt duodecim, & omnes Apostoli non sunt duodecim, quia Petrus non est duodecim: non est contradictio, quia non remanet eadem suppositio secũdum rem; quia in prima ly *omnes Apostoli* supponit collectiuè, in secunda supponit distributiuè; & tantum videntur contradictoriæ secundum nomina, non secundum supposita significata.

Similiter si dicatur semper homo currit, aliquando homo non currit, non sunt contradictoriæ, quia in prima ly *homo* supponit pro Petro v.g. semper currente; in secunda ly *homo* supponit pro Paulo quiescente. Similiter istæ non sunt contradictoriæ, promitto tibi equum, nullum tibi promitto equum; quia in prima equus supponit confusè, in secunda supponit distributiuè, cum sit affectus signo vniuersali. His notatis. Dico cum Ægidio tùm locis cit. tum p. sent. dist. 10. p. p. q. p. & alibi, enunciationes contradictorias non posse esse simul veras, vel simul falsas.

Probatur autem quia impossibile est idem simul esse, & non esse: sed si duo contradictoria essent vera idem simul esset, & non esset: ergo impossibile est quod duo contradictoria, vel duæ enunciationes contradictoriæ possint verificari de eodem ma. est principium vniuersalissimum circa quod non est possibilis error, vt docet Ægidius lib. 4. met. q. 12.

Confirmatur ex Ægidio p. sent. loc.

loc. cit. quæ à ratione entis sunt remota non possunt simul esse: sed contradictoria à ratione entis sunt remota: ergo non possunt simul esse, & per consequens non possunt de eodem verificari mi. patet quia vnum contradictorium dicit esse, aliud dicit non esse: ergo est impossibile quod simul sint, quia tunc esset id, quod dicit non esse, seu id quod est non esse, esset esse.

Rogas de ista propositione. *In hoc fluuio sunt pisces, in hoc fluuio non sunt pisces*. An sint contradictoriæ?

R. Illas esse contradictorias, & negatiuam esse falsam: quia quidquid affirmatur in vna negatur in alia, & affirmatio, ac negatio cadit supra idem subiectum: ergo &c.

Dices. Vtraquè ex illis est vera, ergo non erunt oppositæ contradictoriæ? hæ enim non possunt esse simul veræ: ant. pr. nam quod affirmatiua sit vera de se patet: quod vera pariter sit negatiua probatur, si dicatur in hoc fluuio sunt nonpisces .s. lapides: ergo non sunt pisces, per regulam ab affirmatiua ad negatiuam variato prædicato penes finitum, & infinitum.

R. Illam regulam intelligendam esse quando totum prædicatum infinitatur, & afficitur negatione, alias argumentum procederet à non distributo ad distributum; esset enim sensus, in hoc fluuio sunt quædam entia non pisces: ergo nulla entia sunt pisces, quo pacto non valet.

Rogas. *Quomodo fiant oppositiones in enunciationibus pluralis numeri, vt cùm dicitur omnes homines currunt, omnes planetæ sunt septem?*

R. quod quando ly omnes stat copulatiuè, tunc fiunt vt illa contradictoriç sicut in propositione de termino singulari; & ratio est quia signum collectiuum æquiualet singulari ratione collectionis applicatæ ad determinatas materias: vndè sicut quādo dico ciuitas ista, populus iste, terminus collectiuus importat singularitatem; sic cum dico omnes homines currunt &c. ly omnes collectiuè importat collectionē alicuius materiæ determinatæ, scilicet ipsorum hominum currentium; & ita stat in singulari perinde ac si diceretur, numerus tātus hominum est currens: at verò quando ly. Omnes in plurali distributiuè accipitur, ita se habet sicut in singulari, vndè si dicatur omnes homines currunt, ei meritò contradicitur dicendo, aliquis homo non currit, & quando distributiua est vera, ista est falsa, & è conuerso, etiam si vnus tantum currat, reliqui verò non.

Rogas. An istæ sint contradictoriæ, *sortes essentialiter est albus, sortes essentialiter non est albus?*

R. negatiuè, quia quidquid affirmatur ab vna, negatur ab alia. Pro qua te noto quod quando in propositionibus affirmatiuis reperiuntur aliqua aduerbia adiuncta prædicatis, vt tales fiant contradictoriæ debet poni negatio antè aduerbium, nō post illum, & ideò istæ non sunt contradictoriæ. *Sortes sæpè audiuit lectionem*; Sortes sæpè non audiuit lectionem: *Sortes semper disputat*; *sortes non semper disputat*, vndè vt istæ euadant contradictoriæ, negari debet in altera totum id, quod in altera affirmatur; non negatur autem si non ponitur negatio antè aduerbium, quia particula *non*, negat solum id, quod ponitur post eam,

non

non verò quod illam antecedit.

Rogas. An hæ propositiones reflexiuæ, *hac enunciatio non est vera, hac enunciatio est vera*, sint contradictoriæ.

R. negatiuè, quia vna non negat id, quod altera affirmat, sed potius secunda vel partialiter, vel totaliter affirmat id, quod affirmauit altera. Pro hac re noto quod omnis propositio virtualiter affirmat se esse veram; nam qui dicit *ignis calefacit*, implicitè, & virtualiter dicit verum esse ignē calefacere. Quo posito prima ex propositionibus allatis, quæ erat; enunciatio hæc non est vera, inuoluit implicitè hanc, *verum est hanc enunciationem non esse veram*, & ideo secunda quæ erat, *hac enunciatio est vera*, & cadebat supra primam, non contradicit primæ, sed dicit partem eius quod dicebat prima. Clarius hoc dignosces, si vtrāquè simul vnias: nam tunc ex vtraquè non resultabit nisi illud ipsum, quod cōtinebatur in prima, & vnio tantum facit; quod per vtramquè vnitam explicitè dicatur quod implicitè dicebatur per solam primā. Dixi sensum primæ esse, *verum est quod hac enunciatio non est vera*, & hoc ipsum est quod asseritur per vtramquè enūciationem simul vnitam; est enim sensus: *hac enunciatio non est vera, est enunciatio vera.*

Rogas. An hæ sint contradictoriæ: *Deus dabit pluuiam, Deus non dabit pluuiam?* potest enim dari casus in quo vtraque vera esse possit, nam si Deus promisisset se daturum pluuiam, si prima propositio, quam dixerit Petrus fuerit vera, propositio autē primò prolata à Petro fuerit hæc, *Deus non dabit pluuiam*, tunc Petrus in hoc casu, vel dixit verum, vel falsum; si dixit verum, ergo erit etiam vera hæc contradictoria, Deus dabit pluuiam: si dixit falsum, tunc erit etiam falsa eius contradictoria, quia cum prima enunciatio Petri fuerit falsa, non est impleta conditio sub qua Deus promisit pluuiam, atquè adeò nō dabit pluuiam.

R. promissionem pluuiæ nō posse fieri à Deo sub conditione destruente ipsam promissionem, destrueretur autem promissio Dei si pro conditione sub qua facit promissionē colligeret veritatē propositionis eius, quod promittit, vt accideret in casu argumenti, Deus enim in tali casu daturus esset pluuiam si verum esset quod daturus non esset pluuiam: vnde ille casus est impossibilis, quia fundatur in promissione Dei, & implicat dari destructionem eiusdem promissionis. Dicit enim verum esse quod Deus daturus erit pluuiam, quando verum erit quod non erit daturus pluuiam: si autem casus est impossibilis, impossibile pariter est id, quod ex eo infertur, nēpe dari posse duas contradictorias, vel simul veras, vel simul falsas.

LIBER

LIBER TERTIVS

De his, quæ pertinent ad tertiam operationem Intellectus.

CAPVT PRIMVM

De Propositione, & Termino syllogistico.

§. I.

Ex Aristotele, & Aegidio lib. 1. *prior. c.* 1. *definitur, & diuiditur propositio.*

IVxta ordinem in superioribus libris seruatum dicendum prius esset de syllogismo, per quem tertia operatio intellectus dirigitur; sed ne quę hic præmitterem denuo repetere cogerer, in commodiorem locum de eo pertractare differo; & de propositione, & termino cum Aristotele, & Aegidio sermonem instituo.

Præmitto tamen quod de terminis, & propositionibus duplex cognitio est necessaria ex Aegid. lib. 1. prior. pag. 2. nam necesse est cognoscere propositionem secundum se, quo pacto dicitur enunciatio, de qua determinatum est lib. 2. & necesse est eam cognoscere secundum quod in ordine est syllogistica, quo pacto de ea agitur in lib. priorum. Sic ergo accepta definitur ab Aristotele, & Aegidio sic.

Propositio est oratio affirmatiua, vel negatiua alicuius de aliquo. Vbi ly *de* ex Aegidio communiter summitur, vt denotet tam propositionem affirmatiuam, quam negatiuam.

Hæc definitio est bona, & probatur ex Arist. & Aegidio, qui omnis propositio dialectica, vel demonstratiua sumit aliquid de aliquo esse, vel non esse: sed omnis propositio syllogizata simpliciter est dialectica, vel demonstratiua: ergo omnis propositio syllogizata simpliciter sumit aliquid de aliquo esse, vel non esse: ergo propositio syllogistica simpliciter sumit aliquid de aliquo esse, vel non esse, & sic erit oratio affirmatiua, vel negatiua alicuius de aliquo: ma. pr. quia propositio demonstratiua sumit determinatam partem cõtradictionis, nempe veram sine interrogatione; dialectica verò sumit alteram partem contradictionis indifferenter, siue veram .s. siue falsam, dummodo ut

probabilis: ergo vtraque propositio erit oratio affirmatiua alicuius de aliquo esse, vel non esse: mi.pr.quia omnis syllogismus, vel constat ex propositionibus demonstratiuis, vel ex dialecticis sumendo propositionem dialecticam, vt comprehendit tam probabilem, quam apparentem.

Diuiditur hæc propositio pænes quantitatem: nam alia est vniuersalis, alia particularis, alia indefinita. Propositio vniuersalis est oratio affirmans, vel negans prædicatum, aut omni, aut nulli inesse. Propositio particularis est oratio affirmans, vel negans prædicatum, aut alicui inesse, aut non inesse. Indefinita est oratio, quæ significat sine vniuersali, aut particulari, vt contrariorum est eadem disciplina: aut voluptas non est bonum.

§. 2.

Dubiola quædam circa propositionem cum Aegidio excurro.

Circa propositionem dubitatur primò. ***Cur in eius definitione ponatur oratio loco generis, non verò oratio perfecta?***

Resp. ex Aegid.lib.1.prior.pag.3. quia hic definitur oratio, vt pertinet ad logicum, qualis tantum est oratio perfecta, cum logicus supponat perfectum, & congruum, ideo cum dicitur *oratio*, intelligitur oratio perfecta.

Dubitatur 2. ***Quare definiatur propositio per affirmatiuam, & negatiuam, cum hæ sint differentiæ diuidentes propositionem, & inferiores illa?***

Resp. ex Aegidio loc. cit. quod istæ differẽtiæ propositionis cadunt in eius definitione sub disiunctione ad circumloquendum differentiam essentialem, & completiuam propositionis. Vnde sensus est iste, oratio significatiua, vel prædicatiua alicuius de aliquo; sic autem ponere inferiora in definitione superioris non est inconueniens, ponere tamen inferius in ratione qua inferius est inconueniens. Addit Aegidius quod per has differentias per quas definit, simul etiam diuidit.

Dubitatur 3. ***Quare ad circumloquendum differentiam essentialem propositionis magis ponat affirmatiuum, & negatiuum, quam alias differentias?***

Resp. ex Aegidio loc.cit.quia hic definit propositionem secundum quod est syllogistica, & disponitur in syllogismo: syllogismus autem magis diuersificatur per has differentias, .s. per affirmatiuum, & negatiuum, quam per alias.

Dubitatur 4. ***Quare Aristoteles non compleuerit definitionem propositionis per vniuersale, & particulare, cum maiorem diuersitatem causent in syllogismis?***

Resp. ex Aegidio loc. cit quod licet syllogismus diuersificetur secundum modũ per vniuersalem, & particularem, sicut per affirmatiuum, & negatiuum; tamen affirmatio, & negatio essentialiores sunt syllogismo, quam vniuersalitas, & particularitas, & ideo definitio syllogismi magis completur per differentias affirmatiuas, vel negatiuas, quam per reliquas.

Dubitatur 5. ***Quare hic aliter definiat propositionem, quam in topicis, & in lib perhier. cum sit semper eadem secundum rem?***

Resp.

Resp. ex Aegidio quod propositio, & enunciatio differunt: enunciatio enim per se profertur, & primo enunciat id, quod est in anima, & ideo definitur per verum, & falsum, quæ sunt in anima: propositio verò est alterius gratia .s. conclusionis. Hoc autem potest esse dupliciter secundum duplex esse syllogismi cui respondet; aut enim est syllogismus in terminis significatiuis, & sic eius propositio est eadem in subiecto cum enunciatione, & differt tantum in modo, & ideo sic significat verum, vel falsum; & per verum, vel falsum definitur in top. Boetij: aut est syllogismus in terminis abstrahentibus à materia, & de hoc determinatur in præsenti ab Aristotele; et tali syllogismo respondet propositio in terminis abstrahentibus; sic autem differt ab enunciatione, vt patet; & sub hac ratione definitur hic ab Aristotele.

Dubitatur 6. ***Quare Aristoteles omisit propositionem singularem?***

Resp. ex Aegidio quod singulare non est aliud quam particulare contractum; vnde per propositionem particularem dat intelligere illam, quæ est cum signo particulari, & etiam particularem contractam, quæ singularis est.

Dubitatur 7. ***Quare non diuisit propositionem per veram, & falsam, & per alias diuisiones, sed tantum per vniuersalem, particularem, & indefinitam?***

Resp. ex Aegidio loc. cit. quod Aristoteles intendit agere de propositione secundum quod est syllogistica, & ideo tantum assignat differentias secundum quas maximè attenditur syllogismi diuersitas: sed hæc attenditur pænes affirmatiuum, & negatiuum, vniuersale, particulare, & indefinitum; & ideo tantum assignat has: reliquas verò diuisiones ommittit, quia verum, & falsum: vna, & plures: simplex, & compositum non faciunt diuersitatem in modis illorum; nec etiam modales, & de inesse, nisi secundum materiam tantum, & ideo per has differentias propositionem non diuidit.

Dubitatur 8. ***Quomodo propositio diuidatur per opposita, cum particularis, & indefinita conuertantur, & vtraquè sequatur vniuersalem?***

Resp. ex Aegidio loc. cit. quod aliud est considerare particularem propositionem sub intentione particularis, & aliud est considerare id quod est particulare secundum rem: similiter etiam aliud est considerare indefinitam, & vniuersalem: & secundum primam considerationem ad inuicem diuiduntur, & sic opponuntur; vniuersale enim non est particulare, nec indefinitum: nec particulare, indefinitum: at secundum alteram considerationem non opponuntur, nec ad inuicem diuiduntur, imò magis idem sunt secundum rem; res vniuersalis, particularis, & indefinita.

Dubitatur 9. ***Cur indefinita magis conuertatur cum particulari, quam cum vniuersali, cùm dicat priuationem tam particularis, quam vniuersalis?***

Resp. ex Aegidio loc. cit. quia indefinita dicit priuationem vtriusque signi, & conuertitur cum particulari, eo quod non supponit multitudinem suppositorum sub prædicato sicut nec particularis; vniuersalis

autem supponit multitudinem suppositorum sub prædicato.

Dubitatur 10. *Quomodo dari possit propositio indefinita per artem, cum in natura nihil sit infinitum, & ars naturam imitetur?*

Resp. ex Aegidio loc. cit. quod infinitum potest dicere priuationem finis, & sic nihil est infinitum in arte, sicut nec in natura: vel potest dicere priuationem certitudinis, & sic est aliquod infinitum in arte, nempe propositio indefinita; quæ sic nominatur, quia caret certitudine vniuersalis, & particularis determinationis.

Dubitatur 11. *Quare dicit Arist. quod propositio demõstratiua sumit, & non interrogat, dialectica autem è conuerso?*

Resp. ex Aegidio loc. cit. quia demonstrator procedit ex veris, nec curat de consensu respondentis, & propterea demonstrator non interrogat ad habendum consensum respondentis, sed sumit. Dialecticus autem prius interrogat ad habẽdum consensum, quo habito postea in syllogizando sumit.

Dubitatur 12. *Quare dicat quod omnis propositio syllogistica simpliciter est dialectica, vel demonstratiua, cum detur etiam propositio litigiosa, & tentatiua, quæ sunt syllogistica?*

Resp. ex Aegidio loc. cit. quod sub dialectica propositione comprehendit tam litigiosam, quam tentatiuam, & alias similes, eo quod vnaquæquè illarum est interrogatio, sicut propositio dialectica, & nulla illarum sumptio est. Hoc significat Aristoteles in fine illius partis, vbi aperit modos propositionis dialecticæ; hoc enim facit propter verificationem minoris, quia ipse accipit dialecticam, vt compræhendit dialecticam bene se habẽtem, & prauè.

§. 3.

De Termino syllogistico ex Arist. & Aegidio.

Terminus ex Aegid. lib. 1. prior. c. 1. pag. 2. duobus modis considerari potest, vel secundum se, vel in ordine ad syllogismum: si consideretur primo modo, sic dictum est de eo in 1. lib. si consideretur secundo modo nempe in ordine ad syllogismum, hoc potest esse dupliciter, vel enim ordinatur cum alio termino ad enunciationem generandam, & sic determinatur de eo in lib. perhier. de quo sub hac ratione dixi lib. 2. Vel in ordine ad propositionem resoluendam; & sic pertractat de eo in lib. priorum; & pauca de eodem sub ista ratione iam definio.

Terminus ergo sic acceptus dicitur ille in quem resoluitur propositio tanquam in prædicatum, & subiectum. Ita Aristoteles. Quæ definitio ita ab Aegidio explicatur. In primis ait Arist. terminus vocatur, & non est; quia terminus propriè tantum est in continuis, in propositione autem solum est metaphoricè, & ideo Arist. dicit *terminum voco*, & non terminus est. Deinde definitur per propositionem, licet sit ea prior; quia (ait Aegidius) aliter definienda sunt prima principia in aliquo genere, aliter consequentia ad ipsa: consequentia enim ad principia debent definiri per priora; principia autem non possunt per priora simpliciter definiri; sed per posteriora, quæ tamen quoad nos priora sunt:

ſunt: terminus igitur cum ſit primum principium in ſuo genere, non poteſt definiri per prius ſimpliciter, ſed definitur per poſterius, .ſ. per propoſitionem, quæ ſimpliciter eſt poſterior, eſt tamen prior quoad nos.

Diuiditur terminus ab Ariſtotele in ſubiectum, & prædicatum; non autem in nomen, & verbum; quia (ex Aegidio) nomen, & verbum ſunt propriè partes enunciationis: ſubiectum autem, & prædicatum ſunt partes propoſitionis.

Subiectum eſt illud de quo aliud prædicatur: prædicatum verò eſt illud, quod dicitur de altero: vt Sortes eſt albus. Sortes eſt ſubiectum, quia de eo dicitur albus: albus autem eſt prædicatum, quia dicitur de Sorte. Plura de terminis dixi lib. 1.

§. 1.

De Syllogiſmo ex Ariſtotele, & Aegidio.

SYllogiſmus ab Ariſtotele, & Aegidio lib. 1. prior. c. 1. definitur ſic. Syllogiſmus eſt oratio in qua quibuſdam poſitis, neceſſe eſt aliud euenire ab his, quæ poſita ſunt. Hæc definitio ita ab Aegidio explicatur. Dicitur *oratio*, & non argumentatio, vel ratiocinatio, quia oratio eſt genus ad ſyllogiſmum, & ad alios modos arguendi: argumentatio autem, nec argumentum eſt genus: quia argumentum ex Ariſtotele 8. top. eſt ſyllogiſmus dialecticus: argumentatio verò eſt expreſſio argumenti per ſermonem, & ideo nec argumentum, nec argumentatio eſt, aut eſſe poteſt genus ad ſyllogiſmũ, ſed pot[illegible] è conuerſo ex ſententia Ariſtotelis. Inſuper ratiocinatio dicitur analogicè de ſyllogiſmo, & de alijs modis arguendi .ſ. Enthymemate, Inductione, & Exemplo; & ratio ratiocinationis primò includitur in ſyllogiſmo, ita vt ante ſyllogiſmum nihil ſit quod habeat rationem ratiocinationis; talis enim eſt natura analogi: quia ergo in ratiocinatione non eſt vniuocatio, ſed analogia, & per prius reperitur in ſyllogiſmo, & per poſterius in alijs modis arguendi, ideò ratiocinatio non poteſt eſſe genus, quia tamen omnes modi arguendi in oratione vniuocè conueniunt, ideò in definitione ſyllogiſmi rectè ponitur oratio pro genere proprijſſimo.

Dicitur inſuper *oratio*, & non orationes; tùm ob vnitatem finis .ſ. concluſionis, quæ eſt vna: tùm quia id, quod aliud contrahit, non ponit in numero cum ipſo; minor autem propoſitio in ſyllogiſmo contrahit maiorem ad concluſionem, & ideo non ponit in numero; & hac de cauſa non dicitur orationes, ſed *oratio*.

Dicitur. *Quibuſdam poſitis* .i. diſpoſitis, quia partes materiales ſyllogiſmi, quæ ſunt termini, & propoſitiones debent rectè diſponi: termini quidem debent rectè diſponi in propoſitionibus, vt ſic dignoſcatur figura: propoſitiones verò debent rectè diſponi ad inuicem, vt ſic cognoſcatur modus figuræ.

Non additur, *& conceſſis*, ſicut additur in definitione tradita à Boetio; quia Boetius definiuit ſyllogiſmum dialecticum, qui expoſtulat ſemper reſponſionem ſocij: Ariſtoteles verò definit ſyllogiſmum ſimpliciter, vt conuenit tam dialectio, quam

quam demonstratiuo; & ideo illa particula addi non poterat, per ipsam enim contracta esset definitio ad syllogismum dialecticum.

Dicitur, *aliud*, quod intelligitur de præmissis: præmissæ enim sunt aliud à conclusione, non quidem secundum materiam, sed secundum formā: forma .n. est compositio, & quia alia est compositio in conclusione, alia in præmissis; nam in conclusione componuntur extrema ad inuicem, in præmissis verò componuntur extrema cum medio; ideo conclusio est alia secundum formam à præmissis, non tamen est alia secundum materiam. Ita ex Aegidio lib. p. prior. c. p. pag. Ex quo colliges Bonherbæ vanitatem dum pag. 43. col. p. in definitione syllogismi ex mente Aristotelis ponit ly, *& concessis*, quę tamen particula nec ab Aristotele est posita, nec ab Aegidio alijsque expositionibus inspecta. Difficultates autem circa syllogismum infra adducam, & soluam.

§. 5.

Quædam noto de materia, & forma syllogismorum.

PRo maiori intelligentia eorum, quæ dicta sunt ex Aristotele, & Aegidio noto primò syllogismum esse quoddam compositum artificiale, & constare ex principijs materialibus, & formalibus. Principia materialia ex Aegid. p. prior. pag. 10. col. 3. alia sunt remota, alia proxima. Remota sunt extrema, seu prædicata, & subiecta, quæ componunt propositionem, & in quæ vltimatè resoluitur syllogismus. Hæc autem in omni syllogismo rectè constituto sunt tantum tria .i. medium, maius extremum, & minus extremum; seu medius terminus, maior extremitas, & minor extremitas, ex quibus artificiosè connexis resultant tres propositiones, & syllogismus. Medius terminus est ille qui bis sumitur ante conclusionem, & non ingreditur conclusionem; ideoque tantum sumitur in maiori propositione, & in minori: in maiori quidem cum maiori extremitate, in minori verò cum minori extremitate. Maior extremitas est terminus, qui sumitur in maiori propositione simul cum medio termino, & in conclusione simul cum minori extremitate. Minor extremitas est terminus, qui sumitur in minori propositione simul cum medio termino, & in conclusione simul cum maiori extremitate, sit exemplum. Volo probare hanc conclusionem: ergo omnis homo est sensitiuus; & formo syllogismum sic. Omne animal est sensitiuum: omnis homo est animal: ergo omnis homo est sensitiuus. In maiori propositione sunt hi duo termini, *animal, & sensitiuum:* animal est medius terminus, quia sumitur semel in maiori, & semel in minori, & non ingreditur conclusionem, sensitiuum est maior extremitas, quia sumitur in maiori propositione cum medio termino, & in cōclusione est cum minori extremitate. Homo est minor extremitas, quia sumitur in minori propositione simul cum medio termino, & in conclusione simul cum maiori extremitate.

Materia proxima sunt ipsæ propositiones, ex his enim proximè resultat, & componitur syllogismus. Propositiones autem sunt tres: prima

ma dicitur maior, secunda minor, tertia conclusio. Primæ duę dicuntur præmissæ, quia sunt inferentes conclusionem, tertia dicitur conclusio, seu propositio illata.

Noto 2. quod principia formalia sunt in duplici differentia ex Aegidio lib. p. prior. pag. 10. col 3. quædam sunt proxima, quædam remota sicut & principia materialia. Principium formale seu forma syllogismi est artificiosa dispositio maioris, & minoris extremitatis simul cum medio termino, & propositionum in debita qualitate, & quantitate: forma remota dicitur figura, & respicit terminos, vnde definitur sic. Figura est debita ordinatio maioris, & minoris extremitatis simul cum medio termino. Forma proxima dicitur modus, & respicit propositiones, vndè definitur sic. Modus est debita ordinatio propositionum in qualitate, & quantitate. Debita autem ordinatio est vt aliqua præmissarum sit affirmatiua, & non omnes negatiuæ; & quod aliqua saltim sit vniuersalis, & non omnes particulares.

CAPVT SECVNDVM.
De Conuersione Propositionum.

§. 1.
Diuiditur Conuersio, & regulæ conuersionum assignantur ex Arist. & Aegidio.

ARistoteles cap. 2. tradit quoddam principium perfectiuum syllogismum imperfectorum, & hoc est conuersio Conuertere propositionem non est aliud, quam ex subiecto facere prædicatum, & ex prædicato subiectum, ità vt propositio conuersa necessariò sequatur propositionem conuertentem; vnde in conuersione propositionis semper eadem qualitas seruanda est, quia semper affirmatiua in affirmatiuam conuertitur, & negatiua in negatiuam non tamen semper seruatur eadem quantitas: nec tantum manet eadem qualitas quantum ad affirmationem, & negationem, sed etiam quantum ad veritatem, & falsitatem.

Ex hoc autem colligitur definitio conuersionis vt sic; est enim transpositio prædicati in subiectum, & subiecti in prædicatum manente eadem qualitate, & veritate .i. quod vtrobique remaneat propositio affirmatiua, vel negatiua; additur & veritate, quia licet falsa esse possit, vel falsa illa, quæ conuertitur, & vera illa, inquam conuertitur, semper tamen si quæ conuertitur est vera, est etiam vera illa in quam conuertitur. Propositio quæ conuertitur dicitur conuersa; illa verò in quam fit conuersio, dicitur conuertens.

Diuiditur Conuersio ab Aristot. & Aegidio lib. p. prior. c. 2. in simplicem, seu secundum totum, & per accidens seu secundum partem. Conuersio simplex est transpositio prædicati in subiectum, & è contra manente eadem quantitate, & qualitate, quo pacto conuertuntur vniuersalis negatiua, & particularis affirmatiua: vt nullus homo est latrabilis: ergo nullum latrabile est homo. Quidam homo est iustus: ergo quoddam iustum est homo. Conuersio per accidens est transpositio prædicati in subiectum, & è contra,

ma-

manente eadem qualitate, sed mutata quantitate, quo pacto conuertuntur vniuersalis affirmatiua, & vniuersalis negatiua, vt omnis homo est animal: ergo aliquod animal est homo: nullum homo est lapis: ergo aliquis lapis non est homo. De conuersione per contrapositionem mentionem non facit Aristoteles, sed tantum Boetius ob rationem, quam mox cum Aegidio adducam.

Regulæ autem conuersionũ sunt istæ ex Arist. & Agidio loc. citato. Prima regula: ***Propositio vniuersalis negatiua conuertitur simpliciter in terminis***. Secunda: ***Propositio vniuersalis affirmatiua conuertitur in terminis, sed non totaliter, sed pro parte***, .i. conuertitur in particularem affirmatiuam; vnde conuertitur conuersione per accidens. Tertia. ***Particularis affirmatiua cõuertitur simpliciter .i conuertitur in particularem*** Quarta. ***Particularis negatiua non conuertitur***..

Notat autem Aegidius pag. 5. col. 4. quod Aristoteles non determinat de conuersione per contrapositionem, sicut facit Boetius; quia conuersio per contrapositionem propriè non est conuersio ob hoc quod non manent ijdem termini in conuertente, & conuersa, ad propriam enim conuersionem requiritur quod termini permaneant, ideo Aristoteles in definitione syllogismi imperfecti ait, quod conuersio habetur necessario per terminos manentes eosdem: hac ergo de causa Aristoteles non reputat talem modum arguendi esse conuersionem. Boetius autem more suo quantum potest nomen conuersionis extendit, & vocat modum arguendi in quo alia reperitur reflexio, conuersionem. Vnde dicendum quod conuersio per contrapositionem est modus arguendi fundatus super quamdam considerationem topicam per quam possumus in contradictorijs arguere per consequentiam, & è conuerso. Cœterum sequendo communem vsum dialecticorum, & modum arguendi per consequentiam in contradictorijs vocando conuersionem per cõtrapositionem dicendum est tunc, quod quarta regula est. Vniuersalis affirmatiua, & particularis negatiua conuertuntur per cõtrapositionem; quæ conuersio est modus arguendi ex contradictorijs, & sub nomine conuersionis definitur sic. Est transpositio prædicati in subiectum, & è contra variatis terminis penes finitum, & infinitum, vt dicendo: omnis homo est animal: ergo omne non animal est non homo: quidam homo non est albus: ergo non album non est non homo. Ab aliquibus vocatur conuersio secundum sensum, mutatis terminis de finitis in infinitos.

§. 2.

Quædam noto circa conuersionem.

CIrca ea quæ dicta sunt noto primo quod hæ regulæ conuertendi propositionem designãtur per quatuor literas vocales. A. E. I. O. quibus significantur quatuor propositiones. A. significat vniuersalem affirmatiuam. E significat vniuersalem negatiuam. I. significat particularem affirmatiuam. O. significat particularem negatiuam. Et ad commo-

modiorem vsum memoriæ à dialecticis compositi sunt hi versus.

Feci simpliciter, conuertitur Eua per acci.

Asto per contra, sic fit conuersio tota.

In quibus ly *Feci*, designat quod vniuersalis negatiua significata per E. & particularis affirmatiua significata per. I. conuertuntur simpliciter. Ly *Eua* significat quod vniuersalis negatiua significata per. E. potest etiam conuerti per accidens: & vniuersalis affirmatiua significata per. A. semper conuertitur per accidens. Ly. *Asto* significat quod vniuersalis affirmatiua, & particularis negatiua conuerti possunt per contrapositionem, vocando conuersionem modum arguendi ex contradictorijs. At pro literis designantibus has propositiones adinuenere alios duos nempe.

Asserit A. negat E. sunt vniuersaliter amba.

Asserit I. negat. O. sunt particulariter amba.

Noto 2. ex Aegidio pag. 5. quod Aristoteles omisit conuersionem propositionis indefinitæ, quia particularis, & indefinita conuertuntur, vnde scita conuersione particularis, scitur & conuersio indefinita: magis autem mentionem fecit de conuersione particularis, vel quia frequentius est in vsu, & magis accipitur in syllogismis propositio particularis, quam indefinita, vel quia indefinita posterior est particulari tamquam aliquid diminuens ab ea, vnde est indefinita per priuationem vniuersalis, & particularis, propter ergo prioritatem quam habet particularis respectu indefinitæ, congruentius fuit, vt traderetur conuersio, quę secũdum rem vtrique communis est, in particulari, quam in indefinita. Non ponit autem nec ostendit conuersionem singularis, quia talis conuersio non habet medium quo ostendatur, sed est singularis eius manifestatio, & ideo in quantum singularis est, sua conuersio sub arte non cadit, sed per conuersionem suæ particularis intelligitur, sicut superius intelligebatur propositio singularis per particularem.

§. 3.

Dubia quadam cum Aegidio expedio.

IN hoc capite dubitatur primò. *An regula conuersionis vniuersalis negatiua sit vera?*

Resp. cum Aegidio lib. 1. prior. pag. 5. col. 3. affirmatiuè, & eius veritas potest tribus modis explanari; primò per syllogismum expositorium; nam si non sequitur: nullus Leo est homo: ergo nullus homo est Leo, tunc erit admittendum oppositum, & contradictorium consequentis .s. aliquis homo est leo; ex quo vlterius formatur argumentum sic. Aliquis homo est leo: ergo vel hic homo est leo, vel ille &c. sit ergo iste homo v.g. Sortes, tunc fiat syllogismus expositorius. Sortes est homo, & Sortes est leo: ergo aliquis leo est homo: sed ista est contradictoria illius primæ, nullus leo est homo: ergo duæ contradictoriæ erunt simul veræ, si illa non cõuertitur simpliciter.

Secundo potest declarari per syllogismum in quarto modo primæ figuræ, & per hoc primum principium. Non de eodem simul vera

est affirmatio, & negatio sic. Si nullum B est A. & aliquod A. est B. ex hypothesi: ergo aliquod A. non est A. quod est contra primum principium; hypothesis ergo non potest simul stare cum prima, quia ex positione eius sequitur maximum inconueniens, nempe negatio eiusdem à se.

Tertiò potest declarari euidentius per hanc maximam. Superius non potest negari ab eo, quod conuenit suo inferiori, quare cum A. sit superius ad C. & de C. prædicetur B. ex hypothesi; falsum erit negare A. dici B. vniuersaliter, ergo cum C. sit aliquod A. & C. sit B. falsum erit primum, nempe nullum B. est A. Aduerte antem ex Aegidio in explicatione textus, quod per istas literas significatur prædicatum, & subiectum ex quibus construi debet propositio, ideo loco literarum poni possunt termini significantes, sicut cuilibet placuerit.

Verum contra hanc regulam. Ob. Istæ consequentiæ non valent: nullus senex erit puer: ergo nullus puer erit senex: nullus puer fuit senex: ergo nullus senex fuit puer: nullus ciuis est fœmina: ergo nulla fœmina est ciuis, & sic de similibus: ergo regula non est vera.

Resp. ex Aegidio pag. 5. col. 2. quod duæ priores instantiæ multiplices sunt secundum regulas appellationum: hæc enim, ***nullus senex erit puer,*** est multiplex ex hoc, quod hoc subiectum ***senex***, potest stare pro sene, qui est, vel pro sene, qui erit: si pro sene qui est, sic est sensus, nullus senex qui est, erit puer; & sic est vera, & tunc conuertitur, ***nullus puer erit senex qui est***. Si pro sene qui erit, tunc est sensus: ***nullus senex qui erit, erit puer***, & sic est falsa, & potest conuerti in falsam. Similiter dicendum est de hac instantia, nullus puer fuit senex, secundum illam regulam appellationum. ***Terminus communis supponens verbo de præterito potest supponere pro his, qui sunt, vel pro his qui fuerunt***.

Secundo Resp. ex Aegid. ibidem, quod propositio proposita ad conuertendum, si non sit euidens quomodo conuerti debet; tunc debet resolui vsque ad verbum substātiuum præsentis temporis in ipsa, & quod præcedit verbum mutandum est in prædicatum, & quod subsequitur in subiectum; & ita facientibus numquam poterit afferri instantia in contrarium, dummodo termini vniuocè accipiantur, & sub eisdem determinationibus, vt v. g. cum dicitur: ***nullus senex erit puer***; resoluatur vsque ad præsens tempus sic: ***nullus senex est futurus puer***; & tunc potest conuerti simpliciter dicendo; ***nullus futurus puer est senex***; idem dico de illa, ***nullus puer fuit senex***, & de omnibus consimilibus. Generaliter ergo dicendum est, quod terminis acceptis vniuocè, & cum eisdem determinationibus, & facta resolutione ad verbum præsentis temporis, nulla erit instantia contra conuersionem vniuersalis negatiuæ de inesse.

Ad alteram instantiam R. ex eodem, quod si penitus vniuocè accipiatur iste terminus, ***ciuis***, in conuertente, & conuersa; tunc bona erit conuersio sic: nullus ciuis est fœmina: nulla fœmina est ciuis scilicet mas.

Du-

Dubitatur 2. *An vera sit regula conuersionis de vniuersali affirmatiua?*

Resp. ex Aegidio loc. cit. pag. 5. col. 3. affirmatiuè: vniuersalis enim affirmatiua conuertitur in particularem affirmatiuam, & sic conuertitur per accidens: nam bene valet, omnis homo est animal: ergo aliquod animal est homo; si enim non valeret, tunc contradictorium esset concedendum nempe, nullum animal est homo; sed hoc ex prima regula conuertitur conuersione simplici, nempè nullus homo est animal, quæ est contraria illius affirmatiuæ, omnis homo est animal: ergo erunt duæ contrariæ simul veræ, quod esse non potest.

Ob. hæc omnis homo est albus, conuertitur sic, quoddam album est homo: hæc est vera, & illa prima est falsa: ergo non potest regula esse vera, nec debet ea ratione conuerti.

Resp. ex Aegidio, quod vniuersalis affirmatiua conuertitur in particularem, non tamen conuertitur cum particulari, & ideo instantia nulla est: vnde notandum quod aliter est de conuersione eius, & de conuersione aliarum: alię enim conuertuntur cum suis conuersis, non tamen ista.

Dubitatur 3. *An vera sit regula cõuersionis particularis affirmatiuæ?*

Resp. ex Aegidio loc. cit. affirmatiuè, hæc enim conuertitur simpliciter, vt aliquis homo est iustus; ergo aliquod iustum est homo: nam si consequentia non esset bona, tunc eius contradictorium esset verum .s. nullum iustum est homo; sed hoc conuertitur simpliciter per primam regulam: ergo nullus homo est iustus, quæ est contradictoria illius primæ, aliquis homo est iustus: ergo erunt duę contradictoriæ simul veræ.

Ob. non sequitur, quidam ignis est extinctus, talis enim sermo vsualis est, & verus: ergo quoddam extinctum est ignis, hæc est falsa, & prima est vera: ergo regula non est bona.

Resp. ex Aegidio loc. cit. quod ille sermo per se est falsus, quidam ignis est extinctus, vnde non est mirum si eius conuersa est falsa; vsualis tamen sermo est verus in hoc sensu: id quod prius fuit ignis, modo extinctum est.

Dubitatur 3. *An conuersio pertineat ad enthymema?*

Resp. ex Aegidio loc. cit. conuersionem non esse definitionem, aut diuisionem, vt patet; neque esse exemplum, cum non inferat simile ex simili, neque esse inductionem, vt constat: nec esse syllogismum, cum non habeat duas propositiones, & tres terminos; sed esse enthymema, & licet non habeat tres terminos secundum rem, vt habet enthymema; habet tamen tres secundum rationem.

Rogas. Quomodo conuersiones possunt perfici per syllogismum, si sunt enthymemata: omne enim enthymema potest per syllogismum perfici.

Resp. cum Aegidio loc. cit. quod conuersio vniuersalis negatiua est enthymema existens in potentia respectu syllogismi primi modi secundæ figuræ; & fit syllogismus per additionem maioris sic, omne B. est B. omne B. est A. ergo aliquod A. est B.

Conuersio particularis affirmatiuæ est enthymema potentiale respectu quarti modi tertiæ figuræ per additionem minoris sic. Omne B. est B. aliquod B. est A. ergo aliquod A. est B. sic igitur conuersiones sunt enthymemata, & per dictos syllogismos perficiuntur.

Quod si dicas: syllogismi secundæ, & tertiæ figuræ perficiuntur per conuersiones: & conuersio si sit enthymema perficitur per syllogismum imperfectum, vt iam dictum est: ergo si conuersio sit enthymema, & perficitur per syllogismum imperfectum, erit ibi circulus, & idem se ipsum perficiet: sed hoc est inconueniens: ergo etiam est inconueniens quod conuersio sit enthymema.

Resp. ex Aegidio pag. 5. conuersionem perfici per syllogismum, & è contra sub diuersa ratione: conuersio enim cum sit enthymema perficitur per syllogismum quoad necessitatem; enthymema enim de se non habet necessitatem, sed à syllogismo; syllogismus autem perficitur per conuersionem non quoad necessitatem, sed quoad euidentiam necessitatis, & ideo diuersa ratione conuersio perficit syllogismum, & perficitur à syllogismo, qua de causa non sequitur inconueniens.

Contra, si syllogismus det enthymemati necessitatem, certè non dabit nisi necessitatem quam habet: ergo eadem ratione si enthymema vt est conuersio dat syllogismo euidentiam necessitatis, certè non poterit dare nisi euidentiam, quam habet: ergo conuersio habebit prius in se euidentiam necessitatis: ergo à fortiori habebit necessitatem, quia sicut syllogismus habet necessitatem, sic & conuersio, & adhuc conuersio habet euidentiam necessitatis; hoc autem est contra id, quod dictum est in respondendo: ergo &c.

Resp. ex Aegidio pag. 6. col. 1. conuersionem esse quidem enthymema, non tamen ob id habere in se euidentiam necessitatis, quia non oportet quod omnis causa alicuius habeat prius se formam causati, sicut formam sui, sed satis est quod habeat aliquid simile modo tamen excellentiori, v. g. Sol est causa caloris, non tamen habet calorem sicut formam sui, sed habet eum sicut causa .i. effectiuè: similiter substantia causat accidens, non tamen oportet quod habeat in se accidens sicut sui formam, sed habet in se aliquid accidenti conueniens, modo tamen excellentiori. Sic similiter dico de conuersione, & syllogismo: quamuis enim conuersio faciat euidentiam necessitatis in syllogismo, non tamen sequitur quod in se habeat necessitatem euidentem, sed quod habeat aliquid conueniens, modo tamen excellentiori.

Sed adhuc est instantia: si enim enthymema reducitur in syllogismum imperfectum, & hoc per conuersionem alicuius propositionis, quæ per conuersionem erit eadem conclusioni; iam in illo syllogismo sic perfecto non erit conclusio aliud à præmissis, quod est contra definitionem syllogismi simpliciter; & sic adhuc vltima perfectio conuersionis, erit per conuersionem, & erit idem prius se.

Resp. tamen non esse inconueniens, quod aliquid secundum vnam rationem sit prius se, & quod secundum aliam sit posterius; sic conuer-

sio

sio secundum diuersam rationem insinuatam potest esse prior, & posterior se secundum aliam rationem.

Ad eamdem difficultatem respondet 2. Aegidius loc. cit. quod in conuersione est consequentia vnius ad alterum, non tamen est argumentum, & distinguendum est de consequentia; nam quædam est in terminis, qui sunt tres secundum rem, & rationem, ità quod possunt constituere duas propositiones, & vnam conclusionem diuersam à præmissis; hac enim est de necessitate cuiuslibet argumenti, eo quod omne argumentum imperfectum reducibile est, & talis consequentia est, quæ facit argumentum: alia est consequentia, quæ est conuertentia vnius cum altero, vel potius eiusdem cum se ipso alterato; & ista aliquando fit in duobus terminis, qui non faciunt syllogismum perfectum habentem duas propositiones diuersas à conclusione, & talis consequentia, non est consequentia veri argumenti, sed eius quod se habet aliquo modo vt argumentum; talis autem est consequentia conuersionis. Ex quo patet Aegidium circa propositam difficultatem de conuersione, an scilicet sit enthymema, vel non? vtrumquè sustinere, & vtrumquè probabile reputare.

CAPVT TERTIVM.
De Figuris Syllogismorum.

§. 1.
Explicantur principia formalia syllogismorum perfectorum.

PRincipia formalia syllogismorum sunt in duplici differentia: nam alia sunt extrinseca, alia intrinseca: intrinseca sunt figura, & modus ex Aegidio 1. priorum pag. 10. col. 4. extrinseca sunt duplicis generis; cum enim syllogismi alij sunt perfecti, alij imperfecti, oportet quod principia rectificantia syllogismos sint duplicis generis, alia quidem quæ rectificent syllogismos perfectos, & huiusmodi sunt hæc duo .s. dici de omni, & dici de nullo; quorum primum est pro affirmatiuis, secundum verò pro negatiuis, alterum verò pro imperfectis, & huiusmodi ex Aegidio pag. 5. col. 1. est conuersio, & reductio eorum ad perfectos: iam dictum est de conuersione, ideo nunc dicendum de alijs nempe de dici de omni, & de nullo.

Verum antequam ad ea explicanda deueniam noto ex Aegidio pag. 10. col. 3. quod principia formalia intrinseca, sunt vt dictum est, duplicis generis; hoc autem non est inconueniens; licet enim vnius rei existentis in actu completo non possit esse nisi vnica forma completa; tamen potest esse multiplex forma, quando vna est in potentia ad vlteriorem formam: sicut enim est ordo in materijs, quia quædam est remota, & indisposita: & quædam propinqua, & disposita; sic est in formis:

mis: quædam enim est forma materialis, & in potentia ad vlteriorem formam, quædam autem est vltima, & completiua; sic autem est in syllogismo; est enim ordo in materijs, quia termini sunt materia remota, & indispoſita, propoſitio verò est materia propinqua, & diſpoſita: est etiam ordo in formis, quia figura est forma incompleta, & in potentia ad vlteriorem formam; modus verò est forma vltima completiua syllogiſmi; & forma incompleta respondet materiæ incompletæ, forma verò completa respondet materię completæ; nempe figura respondet termino, & modus respondet propoſitioni; sic autem non est inconueniens quod eiusdem rei .s. syllogiſmi sit duplex forma.

Principia autem extrinſeca rectificantia syllogiſmos perfectos duo sunt ex Aegidio pag. 4. col. 3. *Dici de omni, & dici de nullo*; & ratio sufficientiæ est quia omnis syllogiſmus perfectus, aut est affirmatiuus, aut negatiuus: si sit affirmatiuus rectificatur per *dici de omni*; si sit negatiuus rectificatur per *dici de nullo*. Dici de omni est quando nihil est sumere subiecti de quo non dicatur prędicatum. Dici de nullo est quando nihil est sumere subiecti, à quo non remoueatur prædicatum, vt v.g. omnis homo est doctus: ergo Sortes est doctus: nullus homo est albus: ergo Petrus non est albus.

Rogas: quæ differentia sit inter idem esse alterum in toto esse, & dici de omni.

R. ex Aegidio loc. cit. quod sunt idem secundum rem, differunt tamen secundum rationem; quia esse in toto altero dicit comparationem subiecti ad prædicatum: dicitur enim subiectum totaliter esse in prædicato; dici autem de omni altero dicit comparationem prædicati ad subiectum; & idem dicendum est de oppoſitis .s. de non esse in toto, & de dici de nullo.

Rogas: An definitio *dici de omni* conueniat propoſitioni indefinitæ, quando prædicati inhærentia est eſſentialis; vt cum dicitur homo est animal.

Resp. Cum Aegidio pag. 4. col. 3. negatiuè, quia definitio. *Dici de omni* intelligitur actualiter, vt sit sensus, quando nihil est sumere subiecti, de quo actualiter de omni parte subiecti non dicatur prædicatum: in illa autem propoſitione indefinita, dicitur habitualiter; quod si addatur signum ad subiectum, dicetur actualiter de omni, & tunc erit ibi dici de omni.

Rogas. Cuius conditio sit dici de omni, an subiecti, vel prædicati?

Resp. Ex Aegidio loc. cit. quod est prima conditio prædicati, dici enim de altero spectat ad prædicatum tantum; ideo est tantum eius in comparatione ad subiectum, vnde dici de omni est dici de vnaquaque parte subiecti. Nec facit quod signum *omnis* disponat subiectum, non autem prædicatum; quia non est conditio eius cui primo additur ly *omnis*, licet sit conditio prædicati in ordine ad subiectum.

Rogas: Quænam sit differentia inter dici de omni prioriſticè, & dici de omni poſterioriſticè?

Resp. Cum Aegid. (vt infra cap. de Demonſtrat.) hanc esse differentiam, quia dici de omni poſterioriſticè non tantum dicit vniuersalita-

falitatem sub ecto. ú, sed etiam tem porum: dici autem de omni prioristicè dicit tantum vniuersalitatem subiectorum.

Ex his duobus principijs rectificantur omnes syllogismi perfecti, vt sunt tantum primi quatuor modi primæ figuræ; omnes enim alij ad hos reducuntur: quia verò in prima figura medius terminus est subiectum in maiori, & prædicatum in minori, ideo robur horum principiorum sic explicatur. Dici de omni est quando totum subiectum est in prædicato, tunc enim in eodem sunt omnia contenta sub prædicato: si enim in animali continetur totum quod dicit homo, qua de causa de homine potest prædicari animal, cum in homine contineatur Sortes, & Plato &c. etiam erunt contenti in animali, & de eisdem poterit animal prædicari. Dici de nullo est quando subiectum non continetur in prædicato, nec etiam aliquid subiecti in eodem continetur, vt si nullus homo continetur in Planta, & Sortes continetur in homine, Sortes non continebitur in planta, & proinde si planta negatur de homine, negatur etiam de Sorte.

Ex his colligo falso inter principia rectificatiua syllogismorum connumerari principium illud. ***Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se; & quæ distinguuntur in vno tertio, distinguuntur inter se;*** tum quia Aristoteles de hoc principio in lib. priorum mentionem non fecit; sed tantum 7. top. c. p. & tamen Aristoteles p. prior. de principijs regulatiuis syllogismorum pertractat ex professo: tùm quia vt illud principium verificetur indiget multis limitationibus, quibus positis conuertitur cum dici de omni; tum tertio quia non est principium prædicandi, sed essendi, & ideo non ad Logicum, sed ad metaphysicum spectat.

§. 2.

Quotuplex sit figura syllogismorum.

DOcet Aristoles, & cum eo Aegidius ac omnes Peripatetici lib. p. priorum c. 5. figuras syllogismorum esse tantum tres, sicut & triplex potest esse dispositio medij termini. Ratio autem Aegidij p. prior. pag. 10. col. 2. est, quia figura est dispositio trium terminorum in duabus propositionibus: aut ergo idem prædicatur in vtraquè, & sic est secunda figura: aut idem subijcitur in vtraquè, & sic est tertia figura, aut subijcitur, & prædicatur de altero, & hoc non potest esse nisi ita quod subijciatur primò .i. in maiori; & prædicetur de postremo .i. in minori, & sic est prima: ergo tantum erunt tres figuræ.

Dices per primam figuram concluditur omnis conclusio: ergo aliæ duæ erunt superfluæ.

Resp. Ex Aegidio loc. cit. dist. ant. potest concludi eodem modo nego: diuerso concedo: alius enim est modus concludendi per syllogismum perfectum; alius per imperfectum: neque hoc est inconueniens, quia in genere syllogismorum est perfectum simpliciter, & est minus quam perfectum; & ideo licet omnis conclusio possit per syllogismum perfectum concludi, potest tamen etiam concludi per syllogismum imperfectum.

Di-

particularis, aut vtraquè est affirmatiua, & est coniugatio vtilis; aut maior negatiua, & minor affirmatiua, & est coniugatio vtilis; aut vtraquè est negatiua, aut tantum minor; & sunt duæ inutiles: ergo suppositis dictis principijs manifestum est quod duæ propositiones syllogisticæ, quæ à sexdecim modis possunt haberi, tantum quatuor modis possunt facere coniugationes vtiles; duodecim autem inutiles; & sic patet sufficientia syllogismorum primę figuræ, & quare tantum sint quatuor.

Verum circa hoc. Rogas 1. Quænam sit causa duorum principiorum communium?

Resp. ex Aegidio pag. 10. col. 4. quod ratio, & causa primi est, quia ex Aristotele semper altera propositionum debet esse vniuersalis. Ratio autem secundi nempe, quare ex negatiuis non syllogizatur est, quia omnis syllogismus intendit remouere aliquid ab aliquo, aut affirmare aliquid de aliquo; vnum autem non potest ab alio remoueri nisi per aliam differentiam eorum, hæc autem dicitur, necessariò est aliquid vnius, non conueniens tamen alteri; cum ergo hæc differentia debeat esse medium, necessariò de altero affirmabitur, vel alterum de ipso: quamuis negetur de reliquo, vel reliquum de ipso; & ita si intendatur remoueri aliquid ab aliquo, necessarium est ad minus alteram propositionum esse affirmatiuam: si autem debet aliquid de alio affirmari, oportet quod hoc sit per aliquod conueniens vtriquè, & ideo cum illud debeat esse medium, necesse est vtramquè esse affirmatiuam, cum medium sit vtriquè extremo conueniens; ex quo patet, quod tam syllogismus affirmatiuus, quam negatiuus, necessariò debet habere aliquam propositionem affirmatiuam, & constat causa huius rei.

Rogas 2. Quare maior in prima figura debet esse vniuersalis, & minor affirmatiua?

Resp. ex Aegidio pag. 11. col. p. quia syllogismus primæ figuræ perficitur per dici de omni, & dici de nullo; sed his repugnat maiorem esse particularem, & minorem negatiuam, & ideo necesse est maiorem esse vniuersalem, & minorem affirmatiuam, quod patet manifestè intuenti rationes horum duorum .s. dici de omni, & dici de nullo. Addit 2. quod si maior esset particularis posset medium esse cōmunius maiori extremitate; prædicatur enim inferius de superiori particulariter affirmatiuè, & negatiuè; & si ità esset, posset simul contingere, quod maior fuerit negatiua, & extrema conuertibilia excedentia, & excessa, & non potest sequi conclusio negatiua nisi falsa, vt patet in his terminis, homo, animal, asinus: & ideo necesse est maiorem esse vniuersalem, & non posset esse syllogismus huius figuræ, si esset particularis. Minor verò debet esse affirmatiua, quia si esset negatiua, aut maior esset negatiua, & tunc nō fieret syllogismus, aut maior esset affirmatiua, & tunc fieret fallacia consequentis; quia ad negationem inferioris de aliquo, non sequitur negatio superioris de eodem; vnde si in minori propositione negaretur medium à postremo, non sequeretur negatio primi ab eodem, quia primum est in

plus medio, & frequentius, & sic patet causa primorum principiorum huius figuræ.

Rogas 3. *Quare in hac figura cõclusio semper assimilatur maiori in qualitate, & minori in quantitate?*

Resp. ex Aegidio pag. 11. quia conclusio est pars maioris, habet enim idem prędicatum cum maiori, & eius subiectum est pars subiecti maioris: vnde quia quod remouetur à toto vniuersali, remouetur et à parte eius, ideo si maior sit negatiua, talis etiam erit conclusio; et quia quod conuenit toti, conuenit, et parti, ideo si maior est affirmatiua, talis etiam erit conclusio, et ità semper conclusio assimilatur in qualitate maiori propositioni, et in quantitate minori, quia à subiecto cognoscitur quantitas, et idem est subiectum minoris, et conclusionis.

§. 3.

Deducuntur Regulæ Generales pro omnibus figuris.

Ex illis generalissimis principijs, nempe ex *dicto de omni, & ex dicto de nullo*, in quibus directè fundantur syllogismi primæ figuræ, reductiuè verò omnes alij Syllogismi, qui ad *Barbara, Darij, Celarent, & Ferio*, reducuntur; tanquam ex primis radicibus deducuntur alia principia, vel aliæ regulæ tùm communes omnibus figuris, tùm etiam propriæ singularum; hic de communibus est sermo.

Prima Regula. In omni figura altera præmissarum debet esse vniuersalis; quia vt dictum est §. 2. ex puris particularibus nihil concluditur. Intelligitur hæc regula tam de particularibus, quam de indefinitis in materia contingenti, quia in materia necessaria *indefinita* æquiualet vniuersali. Ratio autem huius regulæ est, quia medius terminus, vt possit in conclusione connectere extremitates, debet participari ab extremis ex *dicto de omni*; at quando est particularis, et supponit particulariter non potest ab eis participari, iam enim esset communis: ergo quando est particularis non potest connectere, et concludere.

Secunda Regula. Ex puris negatiuis nihil concluditur. Ratio huius regulæ adducta est §. 2. ex Aegidio. Intelligitur de syllogismo cathegorico, non de hypothetico, quia in isto semper intelligitur vna præmissa vniuersalis, ex qua inferri potest conclusio.

Tertia Regula. Nullus terminus debet esse distributus in conclusione, qui non sit distributus in præmissis. Ratio regulæ est, quia alias valeret argumentum à non distributo ad distributum.

Quarta Regula. Medius terminus, vt medius terminus non potest ingredi conclusionem. Ratio est tùm quia tunc non differret conclusio à præmissis contra finem syllogismi; tùm etiam quia non haberet vim ligandi extrema; et tandem quia de ratione eius est, quod bis sumatur: poterit tamen aliquando materialiter ingredi, si nimirùm fiat extremitas, vt dicendo. Omnis canis est latrabilis: sed canis est canis: ergo canis est latrabilis; vbi in minori fit etiam minor extremitas, & ideo materialiter aliquando ingredi potest, numquam tamen formaliter.

Quinta Regula. Tam in medio, quam

quam in extremitatibus permaneant eædem proprietates terminorum, nempe ampliatio, restrictio &c. excepta suppositione prouenientе à signis. Ratio regulæ est, quia si variarentur proprietates syllogismus esset in quatuor terminis; nam in vna propositione supponeret, vel ampliaretur pro vno, in altera pro alio.

Sexta Regula. Conclusio sequitur debiliorem partem. Intelligitur hæc regula de his, quæ syllogismus recognoscit ex vi formæ, non de his quæ agnoscit ex vi obiecti, aut materiæ. Intelligitur autem quoad qualitatem, & quantitatem; non verò quoad certitudinẽ: vndè sensus est. Si altera præmissarum est negatiua, conclusio debet esse negatiua. Si altera præmissarum sit particularis, conclusio debet esse particularis. Ratio autem est, quia vel est negatiua maior, vel minor: si maior tunc negatur prædicatum de eo, in quo continetur subiectum conclusionis: ergo etiam negandum est prædicatum de subiecto conclusionis: ergo conclusio debet esse negatiua. Si verò maior sit negatiua, tunc negatur contineri subiectum conclusionis in eo, de quo affirmatur prædicatum: ergo de eodem subiecto cõclusionis negari debet prædicatum, & per consequens conclusio debet esse negatiua. Idem dicendum est de quantitate, nam si altera præmissarum est particularis conclusio erit particularis; quia negatio, & particularitas est pars debilior affirmatione, & vniuersalitate.

§. 4.

Deducuntur regulæ speciales pro singulis figuris.

EX his generalibus regulis deducuntur aliæ particulares pro qualibet figura.

Regulæ primæ figuræ sunt istæ. Prima est. In prima figura, & quoad modos directè concludentes maior propositio semper debet esse vniuersalis.

Secunda Regula est. In prima figura minor numquam debet esse negatiua. Ratio vtriusquè regulæ adducta est, ex sententia Aegidij §. 2. Dicitur autem in modis directè concludentibus, quia in concludentibus indirectè maior potest esse particularis, et minor potest esse negatiua, vt in ***Fapesmo***, & ***Frisesomorum***. In ipsis enim cum medium non subijciatur, maior potest esse particularis.

Regulæ secundæ figuræ sunt duæ ex Aegid. lib. 1. prior. pag. 12. col. 4. Prima est. In secunda figura maior debet semper esse vniuersalis. Ratio autem est, quia syllogismi huius figuræ descendunt à modis negatiuis primæ figuræ per conuersionem maioris simpliciter: ergo cum illic maior sit vniuersalis, & negatiua, oportet quod syllogismi huius figuræ habeant maiorem vniuersalem negatiuam.

Secundò ex eodem, & fortè melius (vt ait) quia si maior in hac figura esset particularis maior extremitas esset in plus medio, & minore existente: potest enim inferius prædicari de suo superiori particulariter affirmatiuè, & negatiuè;

& si ita esset non posset concludi conclusio negatiua vera, quia superius de inferiori non potest verè negari: nec etiam concludetur affirmatiua; hæc enim non concluditur in hac figura, vt constabit ex modis eiusdem, & ita si maior esset particularis, nulla conclusio posset sequi. Causa autem quare non sequitur negatiua est, quia ad negationem inferioris de aliquo, non sequitur negatio superioris de eodem, & hoc patet in his terminis, *homo, animal, asinus*; quãuis enim aliquod animal sit homo, et nullus asinus sit homo, non tamen sequitur quod nullus asinus sit animal.

Secunda Regula est. In secunda figura altera præmissarum debet esse negatiua. Ratio huius regulæ ex Aegidio pag. 13. col. 1. est, quia si vtraquè esset affirmatiua, cum medium prædicetur de extremis, posset superius ad duo disparata prædicari de illis, quorum neutrum de altero posset affirmari: posset etiam superius affirmari de duobus inferioribus, quorum alterum esset sub altero, & ità non posset alterum de altero negari: vnde si altera præmissarum non fuerit negatiua, non poterit sequi, aut affirmatio, aut negatio in secunda figura.

Rogas. Quare in secunda figura negatiua modò est maior, modò minor, & non est determinata, vt vel semper maior sit negatiua, vel semper minor sit negatiua?

Respondet Aegid. loc. cit. rationem esse, quia medium æqualiter respicit extrema tanquam sub se posita, & ideo quoad syllogismum non est vis, vtrum negetur de vno, vel de altero extremo; vtroquè enim modo fit syllogismus, licet diuersus sit modus quando maior, & quando minor est negatiua.

Rogas. Quare in hac figura tantum sequitur conclusio negatiua?

Resp. ex Aegid. loc. cit. rationem esse, tùm quia in hac figura necesse est alteram præmissarum esse negatiuam, & quando ita est necesse est conclusionem esse negatiuam; tùm etiam, quia altera existente negatiua significatur differentia vnius extremitatis ad alteram per medium, quod vni illorum contingit, & alteri non: ergo cum conclusio fiat ex extremis, necesse est ipsam remouere vnum extremum ab altero.

Rogas. Quare in hac figura conclusio sẽper assimiletur minori propositioni in quantitate; in qualitate autem nunc assimiletur maiori, nunc minori?

Respondet Aegidius lo. cit. rationem esse, quia idem subijcitur in minori, & conclusione, & quia à subiecto desumitur quantitas, ideo conclusio assimilatur minori in quãtitate. Insuper cum in hac figura sequatur conclusio negatiua, ex eo quod semper altera præmissarum est negatiua; & negatiua potest indifferenter esse maior, vel minor vt dictum est: ideo conclusio potest indifferenter assimilari maiori, vel minori in qualitate; semper enim assimilatur ei, quæ est negatioa.

In tertia figura tantum est vna regula specialis, & est. In tertia figura minor semper debet esse affirmatiua. Probatur autem ex Aegidio pag. 14. col. 4. primò quia medium est sub extremis, vnde si minor esset negatiua, possent extrema aliquando esse separata, & tunc non sequeretur

retur

retur affirmatio, ſicut in his terminis animal, lapis, homo: poſſent etiam extrema aliquando eſſe ſubalterna ad inuicem, minore tamen exiſtente ſub maiori, & tunc non ſequeretur negatio, ſicut in his terminis, ſubſtantia, lapis, homo: lapis erit medium, & ita minori exiſtente negatiua, neque ſequitur affirmatio, neque negatio, & proinde neceſſe eſt, quod minor ſit affirmatiua.

Secundò, quia tertia figura deſcendit à prima per conuerſionem minoris, ſed minor primæ figuræ eſt tantum affirmatiua: ergo in tertia figura minor tantum debet eſſe affirmatiua.

CAPVT QVARTVM.

De modis ſingularum figurarum.

§. 1.

Modi primæ figuræ aſſignantur.

MOdi vtiles harum trium figurarum ſunt tantum decem, & nouem, qui his verſibus continentur.

Barbara, Celarent, Darij, Ferio, Baralipton,
Celantes, Dabitis, Fapeſmo, Friſeſomorum,
Ceſare, Cameſtres, Feſtino, Baroco, Darapti,
Felapton, Diſamis, Datiſi, Brocardo, Feriſon.

Circa quos noto primò, quod omnes iſti modi vtiles ſunt ad inferendam concluſionem; Eſt autem modus vtilis ille, in quo ſaluantur regulæ neceſſariæ ad bonam conſequentiam; modus verò, ſeu coniugatio inutilis eſt illa, in qua præfatæ regulæ non ſaluantur. Ex his autem quidam ſunt perfecti, quidam non; modus perfectus eſt ille, in quo reperiuntur perfectè principia ſyllogiſmorum, quæ ſunt *dici de omni, & dici de nullo.* Modus imperfectus eſt ille, in quo huiuſmodi principia non ſaluantur perfectè, & ideo indigent ad perfectos reduci. Ex imperfectis autem quidam concludunt directè, quidam indirectè. Concludere directè eſt, quando maior extremitas prædicatur de minori in concluſione: concludere indirectè eſt, quando minor extremitas prædicatur de maiori in concluſione: qui autem ex eis perfecti ſint, & qui imperfecti; qui directè, & qui indirectè concludant conſtabit ex dicendis.

Noto 2. quod ex his modis ſumendæ ſunt primæ tres vocales cuiuſlibet dictionis, quibus vocalibus tres propoſitiones ſyllogiſmi ſignificantur, quæ verò in quibuſdam ſuperſunt, dimittendæ ſunt; ſunt enim poſitæ metri gratia. Prima vocalis cuiuſlibet dictionis ſignificat qualis debeat eſſe maior, ſeu prima propoſitio ſyllogiſmi: ſecunda ſignificat qualis debeat eſſe minor, ſeu ſecunda propoſitio: & tertia ſignificat qualis debeat eſſe concluſio: A. ſignificat quod illa propoſitio cui præponitur, debet eſſe vniuerſalis affirmatiua; E. ſignificat quod debet eſſe vniuerſalis negatiua; O. ſignificat quod debet eſſe particularis negatiua; & I. ſignificat quod debet eſſe particularis affirmatiua, iuxta carmina poſita cap. 2. §. 2.

Prima figura habet quatuor modos directè concludentes, & iſti ſunt. *Barbara, Celarent, Darij, Ferio.* Et quinque indirectè concludentes, &

& sunt. *Baralipton, Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frisesomorum*.

Primus modus est *Barbara*, continens tres propositiones vniuersales affirmatiuas significatas per triplex A. In eis autem ex Aegidio pag. 11. assignatur ordo penes vniuersale, & particulare, affirmatiuum, & negatiuum: nam vniuersalis, præcedit particularem, & affirmatiuus præcedit modum negatiuum. Sit autem exemplum in omnibus.

BAR *Omne bonum est amplectendum*.
BA *Omnis virtus est bona*.
RA. *Ergo omnis virtus est amplectenda*.

Secundus modus est *Celarent*, qui constat ex maiori vniuersali negatiua, ex minori vniuersali affirmatiua, & ex conclusione vniuersali negatiua.

CE *Nullus leo est lapis*.
LA *Omne rugibile est leo*.
RENT. *Ergo nullum rugibile est lapis*.

Tertius modus est *Darij*, qui cõstat ex maiori vniuersali affirmatiua; & ex minori, & conclusione particularibus affirmatiuis. Sit exemplum.

DA *Omne animal est sensibile*.
RI *Aliquis homo est animal*.
I. *Ergo aliquis homo est sensibilis*.

Quartus modus est *Ferio*, qui constat ex maiori vniuersali negatiua, ex minori particulari affirmatiua, & ex conclusione negatiua. Sit exemplum.

FE *Nullus equus est risibilis,*
RI *Aliquod animal est equus,*
O. *Ergo aliquod animal non est risibile*.

Hi omnes quatuor modi concludunt directè; qui verò sequuntur concludunt indirectè.

Primus modus indirectus.

BA *Omne intellectiuum est immateriale,*
RA *Omnis Angelus est intellectiuus,*
LIP. *Ergo aliquod immateriale est Angelus*.

Secundus modus.

CE *Nullus homo est lapis,*
LAN *Omne risibile est homo,*
TES. *Ergo nullus lapis est risibilis*.

Tertius modus.

DA *Omnis canis est animal,*
BI *Aliquod latrabile est canis,*
TIS. *Ergo aliquod animal est latrabile*.

Quartus modus.

FA *Omne gloriosum est amplectendum,*
PES *Nullum vitium est gloriosum,*
MO. *Ergo aliquod amplectendum non est vitium*.

Quintus modus.

FRI *Aliquis homo est doctus,*
SE *Nullus asinus est homo,*
SO. *Ergo aliquis doctus non est asinus*.

Modi

§. 2.

Modi secundæ figuræ assignantur.

IN secunda figura possunt fieri sexdecim coniugationes propositionum, ex eis tamen quatuor sunt vtiles, quæ designantur per huiusmodi modos .s. *Cesare Camestres, Festino, Baroco*. Sufficientia autem horum modorum habetur ex Aegidio pag. 12. col. 4. Ad eam tamen habendam supponenda sunt duo principia communia, quæ in sufficientia modorum primæ figuræ posita sunt; & deinde supponenda sunt duo principia specialia huius figuræ .s. quod maior sit vniuersalis, & minor negatiua, his autem positis, vt sufficientia habeatur fiant exinde combinationes duarum propositionum syllogismorum per vniuersale, & particulare, & vlterius per affirmatiuum, & negatiuum, sicut factum est in reddenda sufficientia primæ figuræ, & tunc apparebit quod tantum quatuor coniugationes sunt nō peccantes contra aliquod principiū ex quatuor suppositis, aliæ verò omnes peccantes sunt, & ideo tamquam inutiles dimittendæ.

Rogas. *Quomodo in hac figura sint ordinandi modi?*

R. Ex Aegid. pag. 13. quod debent ordinari secundum quod descendunt à suo principio; descendunt autem modi vniuersales à secundo modo primæ figuræ, ità quod primus descendit tantum per conuersionem maioris, secundus per conuersionem minoris, & transpositionem propositionum, vnde iste secundus remotior est à suo principio, quam primus, & ideo est secundus, & sic patet ordo modorum vniuersalium. Ordinantur etiā vniuersales ante particulares, quia particulares ab vniuersalibus oriuntur, ita quod tertius oritur à primò per positionem subalternæ minoris pro minori, & quartus oritur à secundo per consimilem distinctionem minoris, & sic patet ordo in particularibus.

Exempla modorum secundæ figuræ.

PRimus modus est Cesare, cōstat ex maiori vniuersali negatiua, ex minori vniuersali affirmatiua, & ex conclusione vniuersali negatiua.

CE *Nulla prodigalitas est bona.*
SA *Omnis Virtus est bona,*
RE. *Ergo nulla virtus est prodigalitas.*

Secundus modus est *Camestres*, constat ex maiori vniuersali affirmatiua, ex minori vniuersali negatiua, & ex conclusione vniuersali negatiua.

CA *Omne honestum est laudabile,*
ME *Nullum vitium est laudabile,*
STRES. *Ergo nullum vitium est honestum.*

Tertius modus est *Festino*, constat ex maiori vniuersali negatiua, ex minori particulari affirmatiua, & ex conclusione particulari negatiua.

FE *Nullus auarus est bonus.*
STI *Aliquis homo est bonus,*
NO. *Ergo aliquis homo non est auarus.*

Quartus modus est *Baroco*, constat ex ma. vniuersali affirmatiua, ex mi-

minori particulari negatiua, & ex conclusione particulari negatiua.

BA *Omnis Virtus est expetenda,*
RO *Aliquod vitium non est expetendum,*
CO. *Ergo aliquod vitium non est virtus.*

§. 3.
Modi Tertiæ figuræ assignantur.

IN secunda figura possunt fieri sexdecim coniugationes, ex eis tamen tantum sex sunt vtiles, & ideo modi huius figuræ sunt tãtum sex .s. *Darapti, Felapton, Disamis, Datisi, Brocardo, Ferison.* Ratio autem sufficientiæ ex Aegidio pag. 14. col. 4. quia suppositis illis duobus principijs communibus, & vno proprio huius figuræ .s. quod minor sit affirmatiua, si postea fiant combinationes per vniuersale, & particulare, per affirmatiuum, & negatiuum, sicut factum est in alijs figuris; constabit quod decem coniugationes peccant contra aliquod principium, sex autem non peccant, & ideo tantum sex sunt vtiles.

Rogas 1. *Quare in hac figura concluditur tantum particularis?*

Resp. ex Aegidio pag. 14. col. 4. quia medium subijcitur extremitatibus, & ideo est tamquam pars extremitatum; & ideo per ipsum non potest concludi vnum extremum de altero, nec affirmatiuè, nec negatiuè, nisi particulariter, quia non potest concludi conuenire per tale medium, nec differre, nisi secundum partem.

Secundò, quia cum medium subijciatur extremitatibus poterit esse interius ad illas, ita quod extrema sint subalterna, & tunc potest minor extremitas esse in plus maiore, quare de minori non affirmabitur, vel negabitur maior, nisi tantum particulariter; vt patet in his terminis, Animal, corpus, homo.

Ob. plus possunt duę vniuersales, quam vniuersalis, & particularis: sed vniuersalis cum particulari potest in conclusionem particularem; ergo duæ vniuersales possunt in plus, & consequenter in vniuersalem.

Resp. ex Aegidio loc. cit. dist. ma. quantum ad quantitatem, necessitatem, & figuram conclusionis nego: quantum ad modum, & ad euidentiam necessitatis concedo; modus enim vniuersalis huius figuræ est euidentior particulari secundum necessitatem, & perfectionem; nam immediatè reducitur in suum principiũ per impossibile; modus verò particularis nõ nisi per medium.

Rogas 2. *Quare in hac figura maior possit esse vniuersalis, & particularis, cum in alijs non possit esse nisi vniuersalis?*

Resp. Ex Aegidio loc. cit. quia cum medium sit pars, vel tamquam pars extremitatum in hac figura, eo quod subijcitur eis, non potest concludere vnum extremum de altero, nisi secundum partem; sed hoc potest facere æqualiter siuè subijciatur maiori extremitati particulariter, & minori vniuersaliter, siuè è conuerso, quia vtroquè modo est medium pars vtriusquè extremi; ergo poterit in conclusionem huius figuræ .i. particularem, siuè maior sit particularis, siuè vniuersalis, & minor è conuerso; in alijs autem figuris non est ita ob rationem proprio loco assignatam.

Ro-

Rogas 3. *Quare cum habeamus vnam figuram, quæ cõcludit tantum particularem non habeamus etiam aliam, quæ concludat tantum vniuersalem?*

Resp. ex Aegidio pag. 15. quod particularis est in vniuersali sicut consequens in antecedenti, & ideo necesse est figuram concludentem vniuersalem concludere particularem, sed non è conuerso, & ideo nulla figura tantum vniuersalem concludit, sicut aliqua figura concludit tantum particularem.

Rogas 4. *Quare cum habeamus figuram concludentem solam negatiuam, nõ habeamus aliam etiam concludentem solam affirmatiuam?*

Resp. ex Aegidio pag. 15. quia habitudo medij ad extrema causa est conclusionis, sed habitudo medij primæ figuræ, cum sit inter extremitates secundum positionem, potest per conuenientiam ad vtramquè extremitatem concludere affirmatiuam, sicut per differentiam ab altera illarum negationum: similiter habitudo medij in tertia figura sub extremitatibus potest per conuenientiam ad vtrumquè extremum concludere particularem affirmatiuam, sicut per differentiam ad alterum extremum particularem negatiuam: cum igitur non sint nisi tres habitudines syllogisticæ; prima, & tertia concludunt affirmationem, sicut negationem; & sic patet quod non est aliqua figura cõcludens tantum affirmatiuam, sicut est aliqua concludens tantum negatiuam.

Rogas 5 *Quem ordinem habeant modi huius figuræ?*

Resp. ex Aegidio pag. 15. quod syllogismi vniuersales ordinantur ante particulares, quia particulares ab eis nascuntur: vniuersales autem duo sunt, quorum primus descendit à tertio primæ conuersa minore; secundus verò à quarto eiusdem conuersa minori similiter, & inde patet ordo eorum. Particulares quatuor sunt; & tertius, & quartus nascuntur à primo modo vniuersali; tertius per positionem subalternæ maioris pro maiori; quartus per positionem subalternæ minoris pro minori; quintus verò, & sextus nascuntur per diminutionem factam in minori; & sic patet ordo in omnibus sex.

Rogas 6. *Quare hi modi dicantur vniuersales, cum non concludant conclusionem vniuersalem?*

Resp. ex Aegidio loc. cit. non dici vniuersales respiciendo ad conclusiones, sed respiciendo ad præmissas, sicut in alijs figuris

Rogas 7. *Quare in hac figura descendant modi particulares ab vniuersalibus, ita quod tam à maiori, quam à minori descendant; cum in alijs non descendant nisi à minori tantum?*

Resp. ex Aegidio loc. cit. quia in ista sola figura potest maior esse particularis, & ideo in ista sola figura fit syllogismus per diminutionem factam à maiori modi vniuersalis, quod tamen non est in alijs.

Rogas 8. *Quare figuræ ita disponantur, vt hæc sit tertia?*

Resp. ex Aegidio loc. cit. quia prima figura eo quod potentissima est, cum possit in omnem conclusionem; & eo quod perfectissima est, ideo ante alias ordinatur tanquam mater, & perfectio aliarum: secunda verò ante tertiam, tum quia eius medium est primum positione;

& medium tertiæ est vltimum positione: tum quia potest in duplex problema, .i. vniuersale, & particulare; cum tertia non possit nisi in particulare; tum quia ipsa descendit à prima per conuersionem maioris; tertia verò per conclusionem minoris propositionis.

Exempla modorum tertiæ figuræ.

PRimus modus est *Darapti*, constat ex maiori, & minori vniuersalibus affirmatiuis; & ex conclusione particulari affirmatiua.

DA *Omnis Aquila est viuens,*
RAP *Omnis Aquila est animal,*
TI. *Ergo aliquod animal est viuens.*

Secundus modus est *Felapton*, constat ex ma. vniuersali negatiua, ex minori vniuersali affirmatiua, & ex conclusione particulari negatiua.

FE *Nulla planta est sensitiua,*
LAP *Omnis planta est corpus,*
TON. *Ergo aliquod corpus non est sensitiuum.*

Tertius modus est *Disamis*, constat ex maiori particulari affirmatiua, ex minori vniuersali affirmatiua, & ex conclusione particulari affirmatiua.

DI *Aliqua virtus est iustitia,*
SA *Omnis virtus est honesta,*
MIS. *Ergo aliquod honestum est iustitia.*

Quartus modus est *Datisi*, constat ex ma. vniuersali affirmatiua, & ex minori, & conclusione particularibus affirmatiuis.

DA *Omne turpe est malum,*
TI *Aliquod turpe est auaritia,*
SI. *Ergo aliqua auaritia est mala.*

Quintus modus est *Brocardo*, constat ex ma. particulari negatiua; ex minori vniuersali affirmatiua, & ex conclusione particulari negatiua.

BRO *Quidam homo non est iustus,*
CAR *Omnis homo est rationalis,*
DO. *Ergo aliquod rationale nō est iustum.*

Sextus modus est *Ferison*, constat ex maiori vniuersali negatiua, ex minori particulari affirmatiua, & ex conclusione particulari negatiua.

FE *Nullus flos est rationalis,*
RI *Aliquis flos est rosa,*
SON. *Ergo aliqua rosa non est rationalis.*

CAPVT QVINTVM.
De Consequentia bona, vel mala.

§. I.
Principia bonæ Consequentiæ explicantur.

NOto primo quod consequentia ità nuncupatur ex eo quod vna propositio sequitur ex vi alterius; & ducitur metaphora ab anulo catenæ; sicut enim dum trahis vnum catenæ anulum trahis & reliquum, qui cum primo connexus est; ità dum tractu intellectuali trahis vnam propositionem, trahis consequenter & alteram, quæ cum prima connexa est. In ea autem prima pars, vel propositio dicitur Antecedens, secunda verò dicitur Cōsequens, connexio autem qua antecedens trahit consequens dicitur consequentia, seu sequela. Duobus autem modis accipi potest *Consequentia*; primò pro

pro connexione vtriusquè propositionis, quæ ita se habent, vt vna sequatur ex alia, siuè prima, seu antecedens constet vna, siuè pluribus propositionibus; secundò sumitur præcisè pro ipsa connexione qua antecedens trahit consequens, & hoc modo accipitur ab Aegid. lib. 1. post. pag. 14. col. 3. & 2. Elenc. pag. 63. col. 1. quando ait. ***Sic enim imaginari debemus, quod syllogismus est Consequentia quadam, cuius præmissæ se habent, vt antecedens, conclusio verò vt consequens***; vndè consequentia sic accepta, ita definiri potest ex Aegidio. ***Est dispositio talium propositionum, quæ necessariam contineant connexionem***. At primo modo accepta non est aliud, quam ipsa ratio connectens antecedens cum consequenti. Ex quo fit, vt consequentia secundo modo accepta tria contineat; primum est ***Antecedens***, secundum est ***Consequens***, tertium est vis connectens, quæ est consequentia primo modo accepta.

Ex hoc colligo differentiam inter ***Consequentiam***, & ***Consequens***, hoc enim est vltima propositio, ***Consequentia*** verò est in hoc sensu vis illa connectens, & ideo dicitur inter arguendum, & respondendum, distinguo ***Consequens***, & nego, vel concedo ***Consequentiã***, ***Consequens***, enim cum sit propositio, & possit habere varios sensus, capax est distinctionis; at vis illa inferens cum sit indiuisibilis, non potest esse capax distinctionis, sed simpliciter, vel est bona, vel mala, in hoc autem sensu ***Consequentia***, sumitur incomplexè pro vi nempe connectente, non autem complexè, pro toto aggregato, quo pacto accepta dicitur ***Consequentia***, continens sub se plures species; quas tamen ***Cap. de Syllogismo simpliciter***, commodius afferam.

Noto 2. quod ad regulandam bonitatem cuiuscumquè consequentiæ datur vniuersalissimum principium à quo cætera omnia deriuantur, & dependent, & in ipsum reducuntur; hoc autem ex Aegidio 2. Elenc. pag. 63. col. 1. est. Existente antecedente necesse est existere consequens, non existente autẽ antecedenti non est necesse, non existere cõsequens. Sensus huius principij est, quod nõ potest in bona consequentia dari antecedens verum, & consequens falsum; sed si antecedens est verum, etiam consequens debet esse verum; si tamen antecedens sit falsum, non oportet quod consequens sit falsum, sed potest esse verum, quia verum sequitur ex vero, & etiam sequi potest ex falso. Quomodo autem hoc verum sit dicam, cap. de syllogismo.

Ratio autem huius principij est, quia si antecedens esset verum, & consequens falsum, tunc antecedens esset verum, & falsum; verum ex supposito, falsum autem ex eo, quia falsitas consequentis esset pars antecedentis, & cum eo connexa; ergo antecedens esset verum, & falsum; siquidem consequens est pars quædam antecedentis, & consequentia ipsa est connexio, quod autem est falsum ex parte, non potest absolutè esse verum: ergo si existente antecedente verò daretur consequens falsum, antecedens esset verum, & non verum, quod implicat.

Ex hoc principio deducunt Dialectici varias regulas ad digno-

scendam bonitatem consequentiæ.

Prima est. Si antecedens est verum, etiam consequens, & è conuerso, si consequens est falsum, etiam antecedens. Hæc regula est eadem cum principio posito.

Secunda regula. Si antecedens est possibile, etiam consequens, & si consequens est impossibile, etiam antecedens.

Tertia. Si antecedens est necessarium, etiam consequens,& si consequens est contingens, etiam & antecedens. Ratio autem est, quia si antecedens est necessarium semper est verum, atque adeo consequens semper debet esse verum, alias posset dari casus in quo antecedens esset verum, & consequens falsum; vnde si consequens est contingens, antecedens non potest esse necessarium, quia contingens potest esse falsum, necessarium autem semper est verum.

Quarta regula. Quidquid stat cum antecedenti, stat cum consequenti non tamen è cõtra; quidquid stat cum consequenti, stat cum antecedenti. Ratio regulæ est, quia daretur antecedens verum, & consequens falsum: nam illa propositio, quæ non staret cum veritate consequentis, euerteret illud è veritate, & consequenter redderet falsum, existente adhuc veritate antecedentis, quod repugnat dictis. Ratio secundæ partis est, quia potest stare consequens verum cum antecedenti falso,& sic quod potest stare cum veritate consequentis non requirit antecedens verum; sed potest cum eius falsitate consistere. V. g. sic est homo: ergo est animal: cum hoc consequenti stat, quod sit quadrupes, quod tamen non stat cum antecedenti.

Quinta regula. Quidquid repugnat consequenti, repugnat antecedenti; non tamen è contra: quidquid repugnat antecedenti, repugnat consequenti. Ratio regulæ est, quia ex Aristotele in bona consequentia cõtradictorium consequentis infert contradictorium antecedentis: v. g. homo currit, ergo mouetur, contradictorium consequentis est homo non mouetur, ex quo infertur contradictorium antecedẽtis, .s. ergo homo non currit; alias darentur duo contradictoria vera; nam hæc esset vera, *homo mouetur*, quia infertur ex antecedenti verò, .s. homo currit, & hæc, *homo non mouetur*, non tolleret veritatem antecedentis, *homo currit*, & sic non tolleret veritatem consequentis, .s. homo mouetur; nam si illud tolleret, non staret cum veritate antecedentis; consequens enim verum non potest haberi nisi ex verò antecedenti; atque adeo darẽtur duo contradictoria simul vera, .s. *homo mouetur, homo non mouetur*. Altera pars patet, quia si dicatur, *est homo: ergo est animal*; antecedenti repugnat esse quadrupes, quod tamen non repugnat animali & consequenti.

Hæc regula ab alijs his terminis ponitur. Ex opposito consequentis sequitur oppositum antecedentis.

Sexta regula. Ex quo infertur antecedens infertur consequens: v. g. homo est animal: ergo est viuens; antecedens inferri potest ex rationali dicendo, homo est rationalis; ex quo inferri potest: ergo homo est viuens. Item quidquid sequitur

ex

ex consequenti, sequitur ex antecedenti: nam ex viuenti quod erat consequens sequitur: ergo est corpus, & hoc ipsum sequitur ex antecedenti vsque ad vltimum prædicatum illatum. Qui plura cupit legat Fonsecam, Toletum, Venetum, Iauellum, & alios.

§. 2.

Errores in particulari, & in communi excurro.

RAdix vnde oritur defectus consequentiarum est. Quotiescumque potest dari antecedens verum, & consequens falsum; tunc enim consequentia est mala. Sotus, Ioan. à S. Th. & alij multum laborant in assignandis huiusmodi defectibus, sed rem ex eis leuiter excurro.

Primò. In inductione si assensus copulatiuus fiat non numeratis sufficienter singularibus, consequentia non est formalis, sed potest instari in alijs non numeratis nisi sit materia necessaria; tunc tamen consequentia tantum est bona materialiter.

Secundò. Descensus copulatiuus affirmatus sine constantia demonstrante indiuidua sub quibus descendere, non est formalis consequentia: vnde non valet: omnis homo fuit peccator: ergo iste homo fuit peccator, sed addenda est constantia addendo v. g. Petrum, & dicendo: ergo iste homo Petrus fuit peccator.

Tertiò. Si omittantur regulæ de ascensu, & descensu.

Quartò. Si prius fiat descensus disiunctiuè sub termino supponente confusè tantum, quam sub termino supponente distributiuè.

Deinde. In syllogismo defectus committuntur. Primò. Si arguatur in quatuor terminis. Secundò. Si medium stet æquiuocè. 3. Si propositiones sint tantum particulares, vel negatiuæ. Quartò. Si medium non completè distribuatur in aliqua præmissarum. Quintò. Si in conclusione distribuatur terminus, qui non fuerit distributus in præmissis. Sextò. Si medium intret conclusionem. Septimò. Si non seruentur regulæ assignatæ pro figuris syllogismorum.

Defectus communes sunt qui oriri possunt ex Suppositione, Ampliatione, Restrictione alijsquè passionibus terminorum. Item si non seruentur regulæ traditæ in oppositionibus, in Conuersionibus, in Aequipollentijs, de quibus iam dictum est. Quia tamen huiusmodi defectus inuoluunt Fallacias aliquas, idcirco in cap. de syllogismo Sophistico magis huiusmodi defectus apparebunt, nunc hæc ex eis insinuasse sufficiat, nam dicto cap. cum Aristotele, & Aegidio omnes defectus, & fallacias syllogismorum copiosè ostendam.

CAPVT SEXTVM.
De Reductione syllogismorum Imperfectorum.

§. 1.

Quædam cum Aegidio præmitto.

PRæmitto primo cum Aegidio lib. p. prior. pag. 12. col. 4. solos syllogismos primæ figuræ, & ex illis tantum primis quatuor directè conclu-

cludentes, esse syllogismos perfectos: ratio autem ex eo est; quia perfectio syllogismi sumenda est ex eius opere perfecto, eius autem opus est ostendere, & notificare cum euidentia; sed tantum syllogismi primæ figuræ notificant cum euidentia necessitatis: ergo tantum illi sunt syllogismi perfecti. Syllogismi autem secundæ, & tertiæ figuræ licet habeant necessitatem, quia tamen non habent euidentiam, ideo non dicuntur perfecti; sed vt euidentiam habeant oportet quod in sua principia, à quibus originem sumpserunt, reducantnr; dictum est enim cum Aegidio loc. cit. quod syllogismi secundæ figuræ originantur à prima per conuersionem simplicem maioris; syllogismi autem tertiæ originatur à prima per cõuersionem minoris, ideo nisi in sua principia reducantur; non possunt habere necessitatem euidentiæ, & perfectionem euidentem.

Præmitto 2. ex Aegidio lib. p. post. pag. 54. col. 3. & cum Aristotele ibi, secundam, & tertiam figuram indigere prima, quia augmentantur, & densantur per illam, vt ait Aristoteles, quod quomodo verum sit examinandum est. Aegidius ergo docet hoc verum esse materialiter, & verum esse etiam formaliter; verum quidem formaliter, quia forma syllogistica in secunda, & tertia figura augumentatur, & densatur per primam quousque veniat ad immediata, .i. quosq; veniat ad vltima principia syllogismorum, vt non restet vlterius *propter quid*; principia autem ista sunt *dici de omni*, & *dici de nullo*; quæ non probant secundam, & tertiam figuram, nisi resoluendo eas in primam, hæc autem resolutio in secunda figura fit per densationem medij, condensando enim medium, .i. subijciendo ipsum resoluitur secũda figura in primam, nam in secunda figura medium semper prædicatur, in prima verò in maiori subijcitur, & in minori prædicatur; ideò subijciendo medium reducitur, & resoluitur secunda figura in primam. Tertia autem figura resoluitur per augumentationẽ medij, .i. per dilatationem faciendo ipsum prædicari, quia in tertia medius terminus bis subijcitur; vnde vt resoluatur in primam necesse est quod in minori dilatetur, .i. prædicetur; & hac ratione secunda, & tertia figura veniunt ad immediata, & resoluuntur in principia probantia formam syllogisticam. Verum est etiam hoc quantum ad materiam nam si secunda, & tertia figura accipiant propositiones mediatas, illæ propositiones non deuenient ad immediatas, nisi densentur, & augmententur per primam figuram; vt puta si in secunda, & tertia figura accipiatur *omnis homo est corpus*, cum inter hominem, & corpus multa sint media, non deueniemus ad immediata descendendo à corpore ad hominem vel ascendendo ab homine ad corpus, nisi per primam figuram: nam secuuda figura semper accipit supra; quia semper accipit medium, quod prædicatur de vtraquè extremitate: tertia autem semper accipit infra; quia semper accipit medium quod subijcitur; sola autem prima accipit medium vt medium, quia sola ipsa accipit medium inter vtramquè extremitatem vnde sola prima poterit reduci ad immediata densando

fando .i. denscendendo accipiendo aliquid specialius, vel augmentando .i. accipiendo aliquid latius, & communius medium; vt si non est hæc immediata, *homo est corpus*, quia corpus non immediatè prædicatur de homine; nec homo immediatè subijcitur corpori, immò sunt multa media in linea prædicamentali inter animam, & corpus; si hæc propositio debeat reduci ad immediata hoc fiet dupliciter, vel quia talis reductio erit ex eo, quod aliquid immediatè prædicetur de homine, de quo immediatè non prædicatur corpus; vel quia aliquid immediatè subijcitur corpori, cui immediatè non subijcitur homo; primum fiet condensando, & descendendo donec deueniatur ad aliquid quod immediatè prædicetur de homine; secundum fiet ascendendo, & augmẽtando; si enim accipiatur ascendendo inter hominem, & corpus ad vltimum deuenietur ad aliquod, quod immediatè subijcietur corpori. Hæc Aegidius.

Præmitto. 3. Ex Aegidio lib. p. prior. pag. 15. quod duplex est reductio, alia ostensiua alia per impossibile. Reductio ostensiua est in qua præmissæ syllogismorum imperfectorum reducuntur ad syllogismos perfectos vel per transpositionem, vel per conuersionem, vel per vtramquè simul. Reductio per impossibile ex Aegid. est acceptio oppositi, vel contradictorij conclusionis cum altera præmissarum; ità quod oppositum conclusionis, & altera præmissarum concessa euandant præmissæ ex quibus inferatur conclusio contradictoria alicui ex præmissis, vt sic cogatur Aduersarius vel concedere duo contradictoria simul vera, vel negare quod iam cõcesserat; & hæc inseruit specialiter duobus modis .s. *Brocardo*, & *Baroco*, in quibus altera præmissarum est particularis negatiua, quam nullus modus perfectus habet.

Præmitto 4. quod omnes modi debent reduci ad primos quatuor modos primæ figuræ, in quibus est necessitas cum euidentia, .s. ad *Barbara, Celarent, Darij, Ferio*; non tamen debent reduci indifferenter, sed determinati in determinatos; nam omnes qui incipiunt à B. debent reduci ad *Barbara*, omnes qui incipiunt à C. ad *Celarent*, à D. ad *Darij*, ab F. ad *Ferio*. In omnibus autem modis reducibilibus consideranda sunt quatuor literæ, quæ in eis (& si non omnes simul) reperiuntur, literæ autem sunt istæ. S. P. M. C. vbi est litera S. denotatur quod ille modus est reducendus per conuersionem simplicem; vbi est litera P. denotatur quod illa propositio est reducenda per conuersionem per accidens: vbi est M. denotatur quod illa propositio debet transponi, ità vt maior fiat minor, & è conuerso: vbi est. C. denotatur quod modus ille non potest reduci ostensiuè, sed reducendus est per impossibile; vt sunt *Brocardo*, & *Baroco*. De his autem literis est versus.

Simpliciter verti vult. S., P. verò per acci,
M. vult transponi, C. per impossibile duci.

Qui versus cum ex præmissis remaneant declarati, nulla alia indigent explicatione.

Ex

§. 2.

Ex prænotatis duos reducendi modos colligo.

EX his, quæ præmisi cum Aegidio duos modos reducendi syllogismos imperfectos ad perfectos colligo: primus facilis est, & breuis traditus ab Aristotele, & Aegidio p. post. loco cit. nempe si reductio fiat per condensationem, vel per augmentationem: per illam in secunda figura; per istam in tertia: in secunda quidem condensando medium terminum in maiori propositione, relinquendo ipsum in minori vt stat, & aduertendo quantitatem, & qualitatem illarum quatuor literarum A. E. I. O. quam dum reducendo seruaueris, facile imperfectos ad perfectos reduces: In tertia verò augmentando medium in minori propositione, & transponendo ipsum ad locum prædicati, & seruando in reliquis quantitatem, & qualitatem modi ad quem syllogismus imperfectus reducitur. Pro modis autem indirectè concludentibus vltra hæc oportet attendere, & seruare modum concludendi directè; quod pro istis erit conuertere conclusionem simpliciter; vt sic maior extremitas prædicetur de minori in conclusione; dò exemplum.

BA *Omne corpus est quantum,*
RA *Omne lignum est corpus,*
SIP. *Ergo aliquod quantum est lignum.*

Conuertatur conclusio simpliciter, & dicatur: ergo aliquod lignum est quantum: deinde reducatur ad *Barbara*, attendendo quod vltima vocalis est vniuersalis affirmatiua, & per consequens ex conclusione particulari affirmatiua, iam conuersa conuersione simplici faciendo eam vniuersalem affirmatiuam, dicendo, ergo omne lignum est quantum. Ita in alijs procedendum est.

At in secunda, & tertia figura conclusio non est conuertenda, sed tantum condensandum, vel augmentandum est medium vt dictum est, & seruanda quantitas, & qualitas modi ad quem reducitur, v. g. in secunda figura.

FE *Nullus iniustus est bonus.*
STI *Aliquis homo est bonus,*
NO. *Ergo aliquis homo non est iniustus.*

Modus iste reducitur ad *Ferio*, condensando maiorem, & seruando in quantitate, & qualitate exigentiam *FE, RI, O.*

FE *Nullus bonus est iniustus,*
RI *Aliquis homo est bonus,*
O. *Ergo aliquis homo non est iniustus.*

In tertia figura augmentanda est minor faciendo medium terminum prædicatum, v. g. in *Darapti.*

DA *Omne animal est viuens,*
RAP *Omne animal est leo,*
TI. *Ergo aliquis leo est viuens.*

Modus iste reducitur ad *Darij*, augmentando minorem, in cæteris seruando quantitatem, & qualitatem exigentiam à *DA, RI, I.*

DA *Omne animal est viuens,*
RI *Aliquis Leo est animal.*
I. *Ergo aliquis Leo est viuens.*

Secundus modus reducendi est vel per ostensionem, vel per impossibile, & do exemplum de vtraque, primò in reductione per ostensionem, & exemplum sit in *Disamis* tertiæ figuræ.

Ali-

DI *Aliquis Leo est corpus,*
SA *Omnis Leo est substantia,*
MIS. *Ergo aliqua substantia est corpus.*

Modus iste reducendus est ad *Darij*, quia incipit à D. In minori est litera S. & denotat quod propositio antecedens S. est conuertenda simpliciter, vnde dicendum est. Aliquod corpus est leo. In conclusione est litera M. & S. illa denotat quod facienda est transpositio propositionum vt minor fiat minor, & maior conuersa fiat minor; litera vero S. denotat, quòd conclusio est conuertenda simpliciter, vnde dicendum: *ergo aliquod* corpus est substantia. His autem seruatis iam *Disamis* conuersus erit in *Darij*, sic.

DA *Omnis leo est substantia,*
RI *Aliquod corpus est leo,*
I. *Ergo aliquod corpus est substantia.*

Addo exemplum in *Cesare*, qui est modus secundæ figuræ.

CE *Nulla virtus est vitium,*
SA *Omnis superbia est vitium,*
RE. *Ergo nulla superbia est vitium.*

Modus iste reducendus est ad *Celarent*, & litera S. quæ est minori denotat quod antecedens est conuertenda simpliciter, alia vero sunt relinquenda, & sic ex Cesare factum erit *Celarent*, sic.

CE *Nullũ vitium est virtus,*
LA *Omnis superbia est vitiũ*
RENT. *Ergo nulla superbia est virtus.*

Baroco, & *Brocardo* reducuntur ad *Barbara* per impossibile hoc pacto. In *Baroco* relinquenda est maior vt iacet, pro minori sumendum est contradictorium conclusionis, & pro conclusione contradictorium minoris: dò exemplum.

BA *Omnis homo est risibilis,*
RO *Aliquod animal non est risibile,*
CO. *Ergo aliquod animal non est homo.*

Reducitur ad *Barbara*, relinquendo maiorem vt iacet, sumendo contradictorium conclusionis pro minori, quod contradictorium est, *omne animal est homo*, & pro conclusione sumendo contradictorium minoris, quod est, *omne animal est risibile*, & sic syllogismus erit in *Barbara*.

BAR *Omnis homo est risibilis,*
BA *Omne animal est homo,*
RA. *Ergo omne animal est risibile.*

In *Brocardo* verò relinquenda est minor vt iacet, & sumendum est contradictorium conclusionis loco maioris, & contradictorium maioris loco conclusionis.

BRO *Aliquod animal non est homo,*
CAR *Omne animal est sensitiuum,*
DO. *Ergo aliquod sensitiuum non est homo.*

Modus iste reducitur ad *Barbara*, seruando regulis datas sic.

BAR *Omne sẽsitiuum est homo,*
BA *Omne animal est sensitiuum,*
RA. *Ergo omne animal est homo.*

In his modis si negas consequentiam, sumo contradictorium consequentiæ negatæ, & dico: ergo contradictoria est vera, v. g. in *Brocardo omne sensitiuum est homo*, & sumo pro maiori hanc propositionem re-

retenta minori concessa, & formo in *Barbara* syllogismum inferētem contradictorium maioris sic. Omne sensitiuum est homo; omne animal est sensitiuum; ergo omne animal est homo, quæ est contradictorium illius maioris, ***aliquod animal non est homo***.

Similiter in *Baroco* formo syllogismum sic. Omne animal est sensibile: aliquis lapis non est sensibilis: ergo aliquis lapis non est animal. Si vis negare consequentiam, illico assumam contradictorium, & dicam: ergo contradictoria est vera, .s. *omnis lapis est animal;* qua data, summam maiorem primi syllogismi; quam mihi concesseras, & hanc contradictoriam pro minori, & infero contradictoriam minoris concessæ, & vim tibi infero, vt duas contradictorias concedas, & formo syllogismum in *Barbara* sic. Omne animal est sensibile: omnis lapis est animal: ergo omnis lapis est sensibilis: iam verò mihi dederas aliquem lapidem non esse sensibilem; ergo duas contradictorias concedis. Si ergo hæ regulæ traditæ rectè seruentur, omnes modi imperfecti ad perfectos reducentur. Verùm ne paginam exemplificando impleam, sisto periodum, & plura optātem ad summalistas remitto.

CAPVT SEPTIMVM.
De Inuentione medij termini.

§. I.
Regulas pro medio termino trado.

De arte inueniendi medium terminum pertractat Aegidius cum Aristotele lib. 1. prior. pag. 39. ex quibus quasdam regulas tradam idoneas ad medium terminum inueniendum. Vt autem res ista compræhendatur aduerto cum Aegidio, quod in hac arte nomine antecedentis intelligendum est subiectum, nomine autem consequentis intelligendum est prædicatum; vnde nomine antecedentis intelligitur terminus ille, ex quo aliud sequitur, & dicitur subiectum; nomine consequentis intelligitur terminus, qui sequitur ex altero, & proinde dicitur prædicatum, quatenus dicitur de eo, ad quod sequitur; vt si dicatur ***est homo: ergo est animal;*** animal est prædicatum de homine, & est consequens ad hominem; homo verò est subiectum, & antecedens ad animal.

Noto autem, quod omnis syllogismus, aut concludit vniuersaliter affirmatiuè; aut particulariter affirmatiuè, aut vniuersaliter negatiuè, aut particulariter negatiuè, & circa modum concludendi in his omnibus tradendæ sunt regulæ; sit ergo.

Prima regula. Ad concludendam propositionem vniuersalem affirmatiuam sumendum est pro medio termino id, quod est antecedens ad prædicatam, & consequens ad subiectum; vt v. g. ad concludendum: ergo omnis homo est substantia sumendum est pro medio animal; & ad concludendum, ergo omnis homo est animal, sumendum est risibile, vt v. g. omne animal est substantia: omnis homo est animal: ergo omnis homo est substantia. Item omne risibile est animal: omnis homo est risibilis: ergo omnis homo est animal.

Secunda regula ex Aegidio est.

Ad

Ad concludendam vniuersalem negatiuam in prima figura sumendum est pro medio id, quod est extraneum, .i. repugnans prædicato, & consequens ad subiectum: ad concludendum autem in secundo modo secundæ figuræ sumendum est id, quod est consequens prædicato, & repugnans subiecto, v. g. si sit concludenda hęc propositio in *celerant: nullus homo est lapis*; sumendum est pro termino ly *rationale*, quod repugnat lapidi, & sequitur ad hominem; vnde dicendum est. Nullum rationale est lapis: omnis homo est rationalis: ergo omnis homo est lapis. At in secundo modo secundæ figuræ sumendum est, v. g. insensibile, quod sequitur ad prædicatum, siue lapidem, & repugnat homini, siue subiecto, & dicendum. Omnis lapis est insensibilis, nullus homo est insensibilis: ergo nullus homo est lapis.

Tertia regula. Ad concludendam particularem affirmatiuam sumendum est id, quod est antecedens tam ad prædicatum, quàm ad subiectum: vt si debeat concludi aliquod animal est substantia, sumendum est pro medio ly *homo*, & dicendum. Omnis homo est substantia: aliquod animal est homo: ergo aliquod animal est substantia.

Quarta regula. Ad concludendam particularem negatiuã sumendum est id, quod est antecedens ad subiectum, & repugnans prædicato, vt ad concludendum, animal non est lapis, sumatur pro medio *homo*, vt in Felapton. Nullus homo est lapis: omnis homo est animal: ergo aliquod animal non est lapis. Hæc ex Aegidio pag. 39. qui plures cupit, legat summulistas.

§. 2.

Quædam dubiola excurro.

Rogas 1. *Quare Aristoteles duas regulas tradit ad concludendam vniuersalem negatiuam, & vnam tantum ad concludendam vniuersalem affirmatiuam?*

Resp. ex Aegidio pag. 40. col. 3. quia vniuersalis affirmatiua concluditur per aliquod vtriquè extremorum conueniens vniuersaliter, quæ quidem necesse est esse medium positione: vniuersalis autem negatiua concluditur per medium vni extremorum conueniens, & ab alio differens, & hoc vniuersaliter: sed hæc differentia potest alternatim esse respectu subiecti, aut prædicati, vel è conuerso, & ob id assignantur duę regulæ; & hoc facit vniuersalis comparatio medij ad extrema cum negatione.

Rogas 2. *Quare Aristoteles non ponit regulam ad cõcludendam particularem affirmatiuam, nisi in tertia figura, cùm tamen concludi possit in prima?*

Resp. ex Aegidio, quod Aristoteles ideo hoc fecit, quia regula, quam posuit sufficiens est ad concludendum eam tam in prima, quàm in tertia, ad quod non requiritur aliud, nisi quod minor conuertatur.

Idem quæri potest de particulari negatiua, quæ per omnes figuras concludi potest, & tamen Aristot. tantùm ponit regulam ad concludendum eam solum in tertia. Dicendum est enim, quod illa regula sufficit ad syllogizandum eam vbicumquè; nam de tertia figura fit prima conuersa minore, & fit secunda

per conuersionem vtriusquè.

Rogas 3. *An hæ regulæ valeant nedum in syllogismis de inesse, sed etiam de modo?*

Resp. ex Aegidio loc.cit. affirmatiuè, quia ars inueniendi medium nullam materiam respicit, nec recipit diuersitatem propter materiam diuersam; quia in omni materia est inuenire antecedentia, & cōsequentia, & repugnantia, siue extranea ad concludendum propositum, ista autem semper eodem modo se habent, & ideo regulæ huius artis sunt communes tàm illis de inesse, quam illis de modo.

CAPVT OCTAVVM.
De Syllogismo simpliciter.

§. 1.
Diuiditur, & definitur syllogismus.

SYllogismus simpliciter, & quatenus ab omni materia abstrahit, *est oratio in qua quibusdam positis necesse est aliud euenire eo quod hæc posita sint.* Hæc definitio supra est explicata ex doctrina Aegidij; solùm circa eam addēdum est, quod duplex est necessitas, alia cōsequentiæ, alia consequentis: prima est necessitas illationis, quæ sequitur ex vi dispositionis medij termini; quia nimirum medius terminus rectè dispositus est in modo, & figura; siuè propositiones sint veræ, siuè non: secunda est quæ oritur ex necessaria habitudine, & connexione extremorum; vndè hæc necessitas non sequitur tantùm ex vi dispositionis, sed potissimè ex vi materiæ, quæ habet rationem causæ respectu alterius: data ergo definitio non intelligitur de necessitate consequentis, sed consequentiæ, vt definitio omni syllogismo conuenire possit.

Diuiditur syllogismus in Cathegoricum, seu prædicatiuum, aut simplicem: & Hypotheticum, seu conditionalem, aut compositum. Cathegoricus est, in quo tota illationis necessitas reperitur, & ad quem omnia alia instrumenta logicalia reducuntur. Et vel est perfectus, vel imperfectus. Perfectus est ille, qui non solùm habet illationem, sed etiam euidentiam necessitatis, vt est syllogismus primæ figuræ. Imperfectus est qui habet quidem necessitatem illationis, non tamen euidentem, vt est syllogismus factus in secunda, & tertia figura, ideo vt euadat euidens, indiget reduci ad primam, vt cum Aegidio constat ex dictis in superioribus. Hypotheticus est qui nullam habet vim, nisi reducatur ad cathegoricum, & duplex est, aut coniunctus, aut disiunctus. Coniunctus est qui constat ex antecedente, & consequente vnitis per notam *Si*, aut aliam similem. Hic autem vel est Constructiuus, & est ille qui habet hypothesim construentem, vt si est animal, est viuens: vel est Destructiuus, & constat ex hypothesi destruente, vt si non est viuens, non est animal.

Primus nempe Constructiuus fit quatuor modis; primò à positione antecedentis ad positionem consequentis, vt si est animal, est viuens: sed est animal: ergo est viuens. Valet quia reducitur ad *Barbara*, vel *Darij*, vt omne animal est viuens: hoc est animal: ergo hoc est viuens. Secundò à positione consequentis ad positionem antecedentis,

tis, & non valet. Tertiò à destructione antecedentis ad destructionem consequentis: nec valet. Quartò à destructione consequentis ad destructionem antecedētis, & valet.

Destructiuus est syllogismus cōstans ex hypothesi destruente, vt si non est animal non est homo. Fit quatuor modis: primò à positione antecedentis ad positionem consequentis, vt si non est animal, non est homo; sed est animal: ergo est homo: & non valet quia pertinet ad secundam figuram ex duabus affirmatiuis. Secundò à positione consequentis ad positionem antecedentis; vt si non est animal, non est homo; sed est homo: ergo est animal. Valet quia reducitur ad primam figuram in ***Barbara***, vel ***Darij***. Tertiò à destructione antecedentis ad destructionem consequentis, & valet. Quartò à destructione consequentis ad destructionem antecedentis; & non valet, vt patet si reducatur.

Syllogismus hypotheticus disiunctus constat ex duobus membris inter se oppositis, vel ex pluribus reducibilibus ad duo, quæ disiunguntur per particulam ***aut***; & fit quatuor modis, qui omnes validi sunt, vt constare potest ex eorum reductione; primò fit à positione primi ad destructionem secundi: vt aut est dies, aut est nox; sed est dies: ergo non est nox. Secundò à positione secundi ad destructionem primi, vt si oppositum asserat dicendo; ***sed est nox: ergo non est dies***. Tertiò à destructione primi ad positionem secundi. Quartò à destructione secundi ad positionem primi. Omnes hi modi valent, quia dum reducuntur ad cathegoricos, valent.

Diuiditur præterea in ostēsiuum, & in ducentem ad impossibile, quæ membra ex Aegid. 1. prior. pag. 37. col. 3. differunt secundum materiam proximam, licèt non differant secundum materiam remotam. Ostensiuus est qui siuè in prima, siuè in secunda, & tertia figura vnam tantùm conclusionem ostendit, & syllogizat; & est idem ac cathegoricus. Syllogismus ducens ad impossibile est, qui constat ex opposito conclusionis, & vna præmissarum, & ità non procedit ex eisdem propositionibus ex quibus procedit ostensiuus.

Insuper diuiditur in syllogismum procedentem ex veris, & in syllogismum procedentem ex falsis, de quo infra. Alius insuper est de inesse, qui constat ex propositionibus de inesse: alius est modalis, qui constat ex propositionibus de modo. Hæc diuisio est pænes materiam ex Aegidio pag. 16. col. 3. quia istæ differentiæ licèt sint formales quatenus abstrahunt à materia necessaria, probabili, vel apparenti: sunt tamen materiales respectu syllogismi simpliciter, & denotant materiam proximam; vnde licet abstrahant à materia remota, non tamen à proxima, nempe à propositionibus, quæ sunt materia proxima syllogismi.

Vltimò diuiditur ex Aegidio 1. Elenc. in prol. pag. 2. in syllogismum simpliciter, & contractum: syllogismus simpliciter est syllogismus abstractus ab omni materia, sub qua ratione de eo consideratur in lib. Priorum. Syllogismus contractus, vel est contractus ad materiam necessariam, & est syllogismus demōstratiuus; vel ad materiam probabilem,

lem, & est syllogismus Topicus, vel ad apparentem, & est syllogismus sophisticus. De Demonstratiuo, Topico, & Sophistico in sequentibus capitibus agam; hic tantùm de syllogismo simpliciter, & ex falsis procedente est dicendum; & circa syllogismum simpliciter varia dubia expendo.

§. 2.

Quædam dubia de syllogismo simpliciter expendo.

DVbitatur primò. *An de syllogismo simpliciter possit esse scientia?*

Resp. Cum Aegidio lib. p. prior. pag. p. col. 3. affirmatiuè, quod ex eodem probatur primò, quia cuius sunt per se passiones, eius potest esse scientia per demonstrationem illarum passionum de ipso; sed syllogismi simpliciter sunt quædam passiones demonstrabiles propriè de ipso, nempè quod sit ex duabus propositionibus, ex tribus terminis, & huiusmodi: ergo &c.

Secundò aliqua conueniunt syllogismo in genere, eique ità sunt propria, vt non conueniant syllogismo in specie; nec sint ei propria; sed hęc propria non sciuntur à casu, sed per causam, & cognitio per causam est scientia: ergo de syllogismo simpliciter poterit esse scientia.

Tertiò quia syllogismus simpliciter est instrumentum, quo acquiritur fides de quæstione opinabili, & scientia de quæstione scibili: ergo de syllogismo simpliciter potest esse scientia: pr. conseq. quia omne instrumentũ artificiale habet & scientiam, & artem ipsum constituentem: ergo syllogismus simpliciter habebit artem, & scientiam ipsum constituentem, cuius scientiæ erit passiones dicti syllogismi considerare. Pondera hanc rationem, & videbis quod Aegidius loquitur de scientia quòad modum, non quòad rem vt dixi in proœmio.

Verùm contra. Ob. p. Logica non considerat specialiter de definitione, & diuisione quarum tradit artem: ergo nec etiam debet specialiter considerare de syllogismo simpliciter.

Resp. ex Aegidio loc. cit. neg. paritatem, quia definitio, & diuisio non intenduntur in Logica nisi propter syllogismum, & principaliter propter syllogismum demonstratiuum, ideo de illis non sunt partes separatæ in Logica; sed determinantur in ea parte, vbi determinatur de syllogismo demonstratiuo: at de syllogismo simpliciter per se intenditur in Logica, & ideo de eo esse debet pars separata.

Ob. 2. quia species ratiocinationis sunt syllogismus, & inductio: sed de ratiocinatione & inductione non est pars separata: ergo nec de syllogismo.

Resp. ex Aegidio dist. ant. sunt species ratiocinationis tamquam gradus vniuoci nego: analogicè concedo: species autem analogi ità se habent quod tota eius natura primò includatur in vno contentorum sub ipso, secundario autem in alijs, & per naturam primi participantis; de speciebus primo modo debet determinari per se; de speciebus autem secundo modo nequaquam, sed manifestata natura eius, à quo primo participatur,

tur, & quomodo per ipsum participetur ab alijs, sufficienter determinatur eius natura communis; sic est ratiocinatio communis syllogismo, & inductioni, tota enim natura eius primo monstratur in syllogismo, in inductione autem non nisi per syllogismum, & ideo stante determinatione de syllogismo, nihil amplius remanet determinandum.

Ob. 3. syllogismus simpliciter caret bonitate, & opere: ergo non est capax scientiæ, hæc enim est de bono, & difficili: ant. pr. bonitas syllogismi consistit in hoc, quod possit facere fidem, vel scientiam, vel aliquid tale: sed syllogismus simpliciter abstractus ab omni materia speciali nihil tale facere potest: ergo &c.

Resp. Ex Aegidio neg. ant. & ad prob. dist. ma. bonitas syllogismi contracti ad dialecticum, vel demonstratiuum concedo: abstracti nego: eius enim sub ista ratione est aliquid inferre ex necessitate sui, & hæc communis operatio, cum contrahitur ad materiam specialem, facit fidem, vel scientiam.

Dubitatur 2. *An syllogismus simpliciter sit genus ad syllogismum dialecticum, & demonstratiuum?*

Resp. negatiuè ex Aegidio lib. p. prior. pag. 2. ad 2. Ratio Aegidij est, quia verè genus diuiditur per differentias formales, quæ aduenientes generi constituunt veras species: sed syllogismus dialecticus, & demonstratiuus non constituuntur per differentias verè formales syllogismo simpliciter aduenientes, sed magis per differentias materiales: ergo non potest esse verè genus.

Confirmatur ex eodem, quia syllogismus simpliciter est actu, & formaliter constitutus in esse ante syllogismum dialecticum, & demonstratiuum, & ideo abstrahit ab eis secundum esse, intantum quod potest aliquid certificari, & exemplificari de ipso in terminis communibus, in quibus esse non potest syllogismus dialecticus, vel demonstratiuus: ergo non est verè genus: pr. conseq. quia si esset verè genus non esset aliquid verè consideratum in esse ante syllogismos in specie; sicut patet de gradu generico respectu gradus specifici, nam gradus genericus non potest habere esse nisi in suis speciebus: ergo cum syllogismus simpliciter habeat esse sine dialectico, & demonstratiuo non erit verè genus respectu eorum. Idem docet lib. p. Rhet. pag. 12. col. 4.

Ob. p. Syllogismus simpliciter prędicatur de syllogismo dialectico, et demonstratiuo tamquam de pluribus differentibus specie: ergo erit genus respectu eorum: ant. pr. quia vterque est syllogismus, et vnus differt ab altero magis quam duo syllogismi dialectici, ergo cum isti differant numero, illi different specie.

Resp. neg. ant. licet enim syllogismus prædicetur essentialiter de vtraque; ipsi tamen inter se non differunt specie, cum non differant per differentias formales, sed materiales: & licèt syllogismus dialecticus magis differat à demonstratiuo, quam ab altero dialectico, tamen si vterque sit in eadem figura, et modò differentia non erit specifica, sed materialis, materialitate specie distincta: sic etiam duo homines quorum alter sit albus, alter niger magis differunt inter se, quàm

duo

duo homines albi; non tamen sequitur quod differat specie, sed tantùm numero ex parte formæ, specie verò ex parte materiæ, quatenus materia est specie distincta: vnde sunt distincti specie ex parte materiæ, non ex parte formæ.

Dubitatur 3. *An omnes syllogismi regulentur per dici de omni, vel de nullo?*

Resp. ex dictis supra omnes syllogismos primæ figuræ immediatè, & expresè regulari per dici de omni, vel de nullo; alias verò regulari tantum mediatè, & indirectè, quatenus ad syllogismos primæ figuræ reduci possunt. Ratio autem primæ partis est, quia in omnibus syllogismis affirmatiuis primæ figuræ quidquid affirmatur de subiecto distributo, affirmatur etiam de omni contento sub subiecto; & in negatiuis quidquid negatur de subiecto distributo, negatur consequenter de quolibet contento sub subiecto: ergo omnes syllogismi primæ figuræ directè concludentes immediatè, & expresè regulantur per dici de omni, vel per dici de nullo.

Probatur secunda pars, quia syllogismi secundæ, & tertiæ figuræ reducuntur ad modos primæ figuræ per conuersionem: ergo mediatè, & reductiuè regulantur per dici de omni, vel de nullo; quatenus nempe sunt reducibiles ad primam figuram à qua sumpserunt originem.

Ob. p. syllogismus expositorius est bonus syllogismus, & tamen non regulatur per dici de omni, vel de nullo: ergo non omnes syllogismi per illa principia regulantur, pr. ant. quia in tali syllogismo nulla est propositio, quæ sit vniuersalis affirmatiua, vel negatiua: ergo in nulla est dictum de omni, vel de nullo.

Resp. resolutionem assignatam intelligendam esse de syllogismis constantibus ex terminis communibus, non verò ex terminis singularibus vt constant syllogismi expositorij, nec Aristoteles de expositorijs locutus est. Syllogismi Hipothetici non regulantur expresè per illa principia, sed in quantùm ad cathegoricos reduci possunt.

Ob. 2. esse est bonus syllogismus. Aliquod animal est homo; aliquod risibile est animal: ergo aliquod risibile est homo; & tamen per illa principia non regulatur, cum altera præmissarum non sit vniuersalis ergo &c.

Resp. talem syllogismum esse reducibilem ad expositorium, & per consequens non est necesse quod per illa principia reguletur.

Dubitatur 4. *An assensus præmissarum sit causa assensus cõclusionis?*

Resp. Cum Aegidio 2. c. 3. d. 3. quòd in præmissis duo sunt .s. medius terminus, & maior, & minor extremitas; si præmissæ considerentur secundum rationem, & virtutem medij termini, sic sunt causa efficiẽs conclusionis; si verò considerentur secundum rationem maioris, vel minoris extremitatis, sic sunt causa materialis conclusionis: vndè attendendo assensum premissarum quantum ad virtutem medij, talis assensus est causa efficiens assensus conclusionis, attendendo autem dispositionem extremorum, sic premissæ sunt causa materialis conclusionis, quatenus inuoluunt materiam conclusionis circa quam materiam versari debet assensus.

Fa-

Eadem veritas quantum ad rationem causæ efficientis colligitur ex Aegidio lib. 1. post. pag. 18. col. 2. ex quo sic probatur. Notitia conclusionis essentialiter dependet à notitia principiorum tãquam à causa principali, & per se propter quam cognoscatur conclusio: ergo assensus principiorum erit causa efficiẽs, & principalis assensus conclusionis: ant. pr. ex illo principio Arist. Propter quod vnum quod tale, & illud magis; quod principium est verum in causa principali, & per se; consequentia pr. quia ly propter in præsenti non denotat causam finalem, sed efficientem: licet enim ex Aegidio 1. post. pag. 13. col. 4. scire sit causa finalis demonstrationis; demonstratio tamen est causa scientiæ in genere causæ efficientis: ergo assensus præmissarum erit causa efficiens assensus, & cognitionis conclusionis.

Tertiò pr. ex Aegidio 2. sent. dist. 38. q. 2. a. 2. quia licet præmissæ sint gratia conclusionis in genere causæ finalis, & via resolutiua; tamen via generatiua, & consecutiua præmissę sunt causa efficiens cõclusionis; nam ea quæ sunt ad finem se habent vt generans, & vt efficiens respectu finis attendendo viam generatiuam; sed procedere à principijs ad conclusionem est procedere via generatiua; ergo est procedere effectiuè: ergo præmissæ erunt causa effectiua conclusionis.

Ob. Quando intellectus assentitur conclusioni iam non est assensus præmissarum: ergo non potest talis assensus esse causa efficiens conclusionis; hæc enim debet esse dum operatur.

Resp. neg. ant. quia intellectus non assentitur conclusioni post premissas; sed simul ac inducit minorem sub maiori. Refero in hanc rem verba Aegidij quodl. 5. q. 22. vbi ait. *Plura vel sic se habent quod vnum est alterius impeditiuum: vel vnum non est impeditiuum alterius; sed est ratio, & inductiuum eius, vt quia lux est ratio quare videatur color, simul fertur oculus in lucem, & colorem, & quia principia sunt ratio cognoscendi conclusiones, simul potest ferri intellectus in conclusiones, & in principia, vt sunt ratio cognoscendi conclusionem; simul enim inducitur minor in maiorem, & elicitur conclusio ex vtrisque, vt si scio omnem mulam esse sterilem, simul induco hoc particulare animal est mula, & elicio conclusionem quod sit sterilis; minor ergo propositio, quia est ratio cognoscendi conclusionem, vt inducitur in maiorem, simul fit inductio minoris, & cognitio conclusionis; non enim negamus quod principia, vt sũt quoddam obiectum intelligibile possint intelligi ab intellectu, absque cognitione conclusionis, tamen cogimur concedere, quod vt sunt ratio cognoscendi conclusiones, simul possunt cognosci principia, & conclusiones; sic etiam simul fertur voluntas in finem, & in id quod est ad finem prout finis est ratio volẽdi id, quod est ad finem.* Hæc Aegidius.

Dubitatur 5. *An assensus conclusionis respiciat obiectum præmissarum, vt rationem formalem assentiendi.*

Resp. affirmatiuè cum Aegidio tùm quodl. 5. q. 22. tùm 2. sent. dist. 38. q. 2. a. 3. tum quodl. 3. q. 18. Vt autem probetur responsio noto cum

eodem quod præmissæ, & conclusio possunt duobus modis considerari, vel secundum se, vel vt vnum est ratio alterius; primo modo assensus conclusionis non respicit, nec attingit assensum obiecti præmissarum, benè tamen secundo modo; & sic intelligitur responsio. Vide quodl. 3. qu. 18.

Probatur autem primò, quia intellectus eodem actu attingit obiectum conclusionis, & obiectum præmissarum: ergo assensus conclusionis respicit obiectum præmissarum; pr. ant. quia quando vnum est ratio alterius est vnus actus in vtrisquè, nam oculus eadem visione videt lucem, & colorem, quia lux est ratio videndi colorem; sed obiectum præmissarum est ratio obiecti conclusionis: ergo eodem actu fertur intellectus in vtrumque obiectum.

Confirmatur stante ratione videndi oculus non potest cohibere visionem, cum sit potentia necessaria: ergo stante ratione assentiendi intellectus non potest cohibere assensum, cum pariter sit potentia necessaria.

Secundo pr. ex Aegidio 1. post. pag. 13. col. 1. Intellectus noster potest cognoscere id quod est causa, & ignorare id, cuius est causa: ergo vt intellectus perfectè assentiatur conclusioni non sufficit cognoscere causam, sed requiritur quod applicet causam ad effectum, & quod cognoscat quoniam illius est causa; ergo assensus conclusionis respicit obiectum premissarum tanquam rationem formalem assentiendi, seu tanquam causam formaliter cogentem ad assensum cùm conclusio sit effectus præmissarum.

Ob. primò cum quibusdam recentioribus. Obiectum conclusionis habet ex se independenter ab obiecto præmissarum sufficientem virtutem ad terminandum actum intellectus: ergo non est necessarium quod obiectum præmissarum attingatur.

Resp. ex Aegidio dist. ant. si consideretur secundum se concedo: si consideretur vt inductum ex vi alterius nego; ità ex Aegidio quodl. cit. primo modo obiectum consideratur independenter à præmissis; at secundo modo vt dependens per illationem: sic etiam primo modo obiectum præmissarum consideratur, vt independens, & secundum se, sed secundo modo consideratur, vt applicatum ad aliud, & vt inductiuum alterius.

Ob. 2. In conclusione non repetuntur præmissæ: ergo assensus conclusionis non terminatur ad illas.

Resp. ex doctrina præmissa cum Aegidio dist. consequens: non terminatur ad illas vt conceptas secundum se, & vt quod concedo; vt conceptas tanquam rationes assentiendi nego; neque ad hoc requiritur repetitio, sed tantum quod vnum sit ratio alterius.

Ob. 3. Si conclusio attingeret obiectum præmissarum, non posset ex falso sequi verum, quod tamen est falsum: ergo &c. pr. ant. quia quando præmissæ sunt falsæ, & illarum obiectum non existit, assensus conclusionis attingens obiectum præmissarum attinget obiectum non existens: ergo erit falsus: ergo nunquam ex falsis præmissis potest sequi verus conclusionis assensus.

Huic argumento respondet Arriaga

riaga disp. 15. sec. 5. verum colligi ex falso quantum ad conclusionem vocalem per quam non attingitur obiectum præmissarum; non tamen quantum ad conclusionem mentalem per quam attingitur obiectum præmissarum.

Impugnatur ab Ouiedo in log. controuer. 9. puncto 3. quia conclusio vocalis substituitur loco conclusionis mentalis, seu loco conceptus interni: ergo respicit idem obiectum: ergo si vna falsa est, & reliqua.

Respondet Ouiedo loc. cit. quod etiam si præmissæ sint falsæ potest tamen ex eis inferri verum; quia veritas conclusionis tantum desumitur ex conformitate actus cum obiecto quod; non cum obiecto quo: obiectum autem præmissarum attactum ab assensu conclusionis, est obiectum *quo*, non obiectum, *quod*.

Resp. Firmius cum Aegidio lib. 2. prior. pag. 57. neg. ant. & ad prob. dist. obiectum illarum non existit complexè, & quoad formam, concedo: non existit incomplexè, & quoad materiam, seu terminos ex quibus componitur veritas conclusionis nego: satis autem est ad rem nostram, vt obiectum præmissarum attingatur hoc secundo modo, sed vide §. sequenti.

Ob. 4. Si assensus conclusionis attingeret obiectum præmissarum, tūc species relicta esset repræsentatiua conclusionis, vt attingentis præmissas; sed hoc est falsum, quia quotiescunque recordarer conclusionis, recordarer pariter præmissarum, quod tamen est falsum: ergo &c.

Respondet Ouiedo speciem propriam, non semper repræsentare omnem rationem intrinsecam sui obiecti, sed aliquando valdè confusè ob suam imperfectionem, vel remissionem; & ideo nil mirum si nulla sæpe sit memoria præmissarum.

Non placet responsio, quia conclusio deducta ex præmissis potest esse scientifica: ergo in tali casu species derelicta debet esse clarè, & distinctè repræsentatiua omnium rationum relucentium in obiecto scito; alias scientia, quæ claram cognitionem importat, confusionem inuolueret.

Resp. ergo dist. ma. si species derelicta repræsentaret conclusionem vt in fieri, concedo: si repræsentaret vt in facto esse, nego: causa enim efficiens non debet esse semper cum effectu in facto esse, sed tantum, in fieri; vndè quia præmissæ sunt causa effectiua conclusionis, non est necesse quod qui recordatur conclusionis vt in facto esse, recordetur præmissarum, à quibus conclusio tantum in fieri pendebat.

Dubitatur 6. ***An assensus præmissarum necessitet intellectum ad assensum conclusionis.***

Resp. quod duplex est necessitas altera quoad specificationem, altera quoad exercitium: illa est quæ determinat potentiam, vt non possit operari nisi circa tale obiectum: ista verò est quæ determinat potentiam, vt non possit suspendere, vel desistere ab actu. Quo præmisso.

Dico stante assensu præmissarum intellectum vtroquè modo necessitari ad assentiendum conclusioni. Colligitur ex Aegid lib. 1. post. c. 1. Probatur autem quoad primam partem, quia stante bonitate illationis assensus præmissarum est causa na-

turalis; ergo necessariò operatur, & per cōsequens necessitat intellectum ad speciem actus.

Probatur 2. pars, quia ex Aristotele eodem instanti temporis quo intellectus ponit minorem sub maiori assentitur conclusioni, vt ibi explicat Aegidius: ergo voluntas imperans assensum minoris non potest impedire assensum, cum sequatur in eodem instanti in quo elicitur assensus minoris. Confirmatur, quia intellectus est potentia naturalis, & positis omnibus ad agendum necessariò operatur: ergo stante assensu præmissarum non potest suspendere assensum conclusionis.

§. 3.

De Syllogismo ex falsis.

ARistoteles, & Aegidius cum ipso lib. 1. prior. pag. 56. determinantes de potestate syllogismorum penes materiam ostendunt, quod contingit syllogizare verum ex falsis, non quidem propter quid, sed tantum quia: vnde vt doctrina Aristotelis innotescat quasdam difficultates propono, & cum Aegidio resoluo.

Dubitatur 1. *An aliquando verum possit colligi ex falsis?*

Resp. cum Aegidio 1. priorum pag. 57. col. 2. quod præmissæ duobus modis considerari possunt, primò vt sunt causa rei conclusæ; secundò vt sunt causa illationis; si primo modo considerentur sic præmissæ falsæ non possunt causare verum; si considerentur secundo modo hoc potest esse dupliciter, vel per se, vel per accidens; si per se sic præmissæ falsæ non possunt esse causa illationis veri; non enim in quantum falsæ causant verum: si per accidens, sic sunt causa eius, & hoc est esse causam ex parte materiæ; sicut .n. duo numeri impares faciunt numerum parem, non in quantum impares sunt, sed in quantum habent in se duas medietates numeri paris; sic duæ præmissæ falsæ, non in quantum falsæ sunt inferunt verum; sed in quantum in se habent duos terminos, qui sunt medietates conclusionis veræ, & quia ita possunt præmissæ disponi, vt in eis contineantur hæ medietates, etiam si in se sint falsæ, ideo aliquando contingit ex falsis colligi verum modo dicto.

Verum contra Ob. 1. Causa et effectus debent esse vnius naturæ ex 2. ph. sed verum, & falsum non sunt vnius naturæ: ergo neutrum illorum potest esse effectus alterius; sed cōclusio est effectus principiorum: ergo non poterit colligi ex falsis.

Resp. ex Aegidio loc. cit. dist. mi. non sunt vnius naturæ quantum ad esse complexum, nempe quantum ad totam propositionem concedo: quātum ad esse incomplexum, nempè quantum ad terminos ex quibus constant, nego; in terminis enim ex quibus componitur conclusio communicant tam præmissæ, quam ipsa conclusio, & sic præmissæ falsæ ratione materiæ, & terminorum spectantium ad conclusionem, quos terminos in se continent; possunt verum causare.

Ob. 2. Causa cuiuslibet entis debet esse aliquod ens; sed verum est ens; ergo debet habere pro causa aliquod ens; sed falsū est non ens; ergo non potest esse causa veri; ergo verum non potest colligi ex falsis.

Resp.

Resp. ex Aegidio loc.cit. dist.mi. falsum vt falsum, seu ex ea parte qua falsum est, non est ens, nec causa, concedo: ex ea parte qua habet in se aliquid, quod efficit verum nego; sic enim per accidens est ens, et causa, & potest verum causare.

Ob.3. Si verum sequitur ex falsis; vel illa falsa sunt causa rei illatæ, & hoc non potest esse, quia verum non est ex falso; vel illationis, & si ita, vel sunt causa illationis quantum ad formam, vel quantum ad materiam; non secundum, quia quod sequitur gratia materiæ non sequitur simpliciter, sed vt nunc, & per consequens verum non sequetur ex falsis simpliciter; si primum, contra quia manente eadem forma, & alijs terminis acceptis ex falsis syllogizabitur falsum, vt si dicam. Omnis lapis est animal; omnis homo est lapis; ergo omnis homo est animal; ambæ præmissæ sunt in toto falsæ, & conclusio vera; ergo erit pariter vera si dicatur. Omnis lapis est animal; omne lignum est lapis; ergo omne lignum est animal; erunt .n. præmissæ in toto falsæ, & conclusio vera, & tamen in vtroquè syllogismo manet eadem forma; ergo ex vi formæ præmissarum non potest inferri verum ex falsis cum maneat eadem forma, & tamen inferatur falsum.

Resp. ex Aegidio præmissas falsas esse causam illationis veri, non tamen per se, sed per accidens; nec quantum ad formam, & dispositionem præmissarum, sed quantum ad materiam, & terminos earum; & cum dicitur, ergo non sequitur vera conclusio simpliciter, sed vt nunc, concedo; de hoc tamen infra est dicendum.

Dubitatur 2. *An syllogismus ex falsis sit syllogismus, vel non?*

Resp. cum Aegidio 1. prior. pag. 57. quod syllogismus ex falsis dupliciter esse potest; primò ita vt respiciat quamcunque conclusionem, siuè veram, siuè falsam; secundò ita vt tantum respiciat conclusionem veram tantum illatam ex falso, vel ex falsis; primo modo consideratus est verus syllogismus, quia quandocunquè duæ propositiones disponuntur secundum modum, & figuram, necesse est ex eis aliquid sequi; sed in syllogismo ex falsis disponũtur duæ propositiones secundum modum, & figuram; ergo necesse est ex eis aliquod sequi, siuè verum, siuè falsum. At consideratus secundo modo non est verè syllogismus, sed tantum secundum quid.

Insuper ex Aegidio 2. Elenc. pag. 63. col. 1. syllogismus ex falsis, & peccans in materia sicut peccat in materia, sic non est syllogismus; sed syllogismus accipiens falsa non peccat in materia syllogismi simpliciter, sed in materia syllogismi dialectici; propositiones enim vt sunt materia syllogismi simpliciter, non accipiuntur vt sunt veræ, vel falsæ; necessariæ, vel contingentes, sed simpliciter, quia syllogismus simpliciter abstrahit ab omnibus illis, cum proprię differentiæ propositionum, vt pertinent ad syllogismum simpliciter sint affirmatio, vel negatio, non veritas, vel falsitas; necessitas, vel contingentia; ergo talis syllogismus licet non sit syllogismus dialecticus, erit tamen syllogismus simpliciter, cum constet ex propositionibus requisitis ad syllogismum simpliciter.

Ob. Syllogismus debet constare,

ex materia, & forma, quarum si altera deficiat non est syllogismus: sed syllogismus ex falsis peccat in materia & per consequens ei deest materia: ergo non erit syllogismus.

R. ex Aegi. li. p. pr. pag. 57. dist. mi. peccat in materia syllogismi ostensiui, concedo: in materia syllogismi simpliciter nego: materia syllogismi simpliciter sunt duæ propositiones, quę si deficiant non est syllogismus: materia verò syllogismi ostēsiui sunt duę propositiones verę, & ideo si desit veritas, vel probabilitas non erit syllogismus ostensiuus, aut dialecticus: erit tamen syllogismus simpliciter.

Rogas. *Quæ sit vtilitas syllogismi ex falsis?*

Resp. Ex Aegidio lib. p. prior. loc. cit. quod est vtilis tam ad vsum dialecticorū, quam ad vsum sophisticorum: vtilis est ad primum, quia licet figura secundum quod huiusmodi non ponatur ab anima; & licet anima falsis non consentiat; tamen consentit eis multoties secundum quod cadunt super apparentiam, vel probabilitatem. Insuper dialecticus sæpè argumentatur ex falsis secundum quod probabilitatem habent: nam ex 8. topicorum dialecticus sæpè debet syllogizare ex falsis, quia falsa sunt aliquando probabiliora quibusdam veris. Vtilis est ad secundum quatenus falsa sumunt apparentiam ab aliquo loco sophistico.

Rogas. *Quare in lib. priorum determinatur de syllogismo ex falsis, & non in lib. topicorum?*

Resp. ex Aegidio loc. cit. quod in libris priorum determinatur de ipso communiter prout est in potentia falsus ad probabilitatem, & apparentiam: in topicis autem determinatur de modis falsæ orationis, vt oratio syllogizata ex falsis resoluatur vsquè ad probabilitatem: in libris verò Elench. determinatur de ipso quatenus habet apparentiam ex loco sophistico.

Rogas. *Quomodo præmissæ debent esse falsa, vt possit ex eis inferri conclusio vera?*

Resp. ex Aegidio loc. cit. quod quando maior est falsa in parte, & minor falsa in toto, potest inferri conclusio vera; v.g. omne album est animal: omnis coruus est albus: ergo omnis coruus est animal: quando vero maior est falsa in toto, & minor falsa in parte non potest colligi conclusio vera: oportet enim contradictoriam conclusionis veram esse, quia ex contradictoria maioris quæ vera est; & ex subalterna minoris, quæ similiter vera est, sequitur contradictoria conclusionis: & ideo quando maior est tota falsa, & minor falsa in parte non potest colligi conclusio vera.

Dices. Minus de falsitate est quādo maior est tota falsa, quam quando vtraquè; ergo tunc magis poterit deduci conclusio vera.

Respondet Aegidius quod hæc ratio valeret si præmissæ talis syllogismi dicerēt propter quid respectu conclusionis veræ; quod tamen non est: quia ergo vtraque existente tota falsa potest maior extremitas continere minorem, vel esse disparata ab ea, ideo potest vna affirmari de alia, vel ab ea remoueri: quia autem tantum maiore existente falsa in toto, oportet maiorem extremitatem continere minorem secundum totum, vel secundum partem: si enim

ma-

maior sit vera continet eum secundum totum in syllogismo affirmatiuo: si in parte continet eum secundum partem; in necessario autem syllogismo est maior extremitas disparata à minore secundum totum, vel secundum partem tantum, ideo non potest maior extremitas verè affirmari, vel negari de tota minori existente, & ideo non erit ibi conclusio vera.

Rogas. Quare minore tota falsa sequitur verum, & non maiore tota falsa?

Resp. ex Aegidio quod si minor est falsa tota, tunc medium & minor extremitas disparata sunt, & nihil prohibet vnum & idem disparatis inesse, quod patet in syllogismo affirmatiuo, vt animal inest homini, & equo: vel vnum & idem neutri disparatorum inest; vt lapis nec homini, nec equo inest, & ideo quando minor est tota falsa potest conclusio esse vera. Si vero maior fuerit tota falsa: vel erit in syllogismo affirmatiuo, vel in negatiuo. Si in affirmatiuo, aut minor est vera; & tunc maior extremitas repugnat minori, sicut & medio: aut minor est in parte falsa, & tunc maior pro parte repugnat minori, & sic neutro istorum modorum affirmari potest verè maior extremitas de minori vniuersaliter. Si fuerit in syllogismo negatiuo, aut minor est vera, & tunc maior extremitas continet sub se minorē, aut in parte falsa, & tunc in parte maior continet minorem, & ideo neutro modo poterit verè remoueri maior extremitas à minori vniuersaliter: & ita maiore existente tota falsa quomodocunquè se habeat minor, non poterit conclusio esse vera; benè tamen si minor sit tota falsa. Insuper maiori existente in parte falsa contingit maiorem extremitatem in tota minori, vel remoueri à tota minori, & ideò benè poterit conclusio esse vera; & hoc quidem in prima figura.

Rogas. *An in secunda figura quando vtraquè est tota falsa possit colligi conclusio vera?*

Resp. ex Aegidio pag. 58. col. 3. affirmatiuè: nec est paritas de prima figura, quia in prima maiore tota falsa, & minori vera, vel falsa in parte, minor extremitas est sub maiori vel in totum, vel in partem: & ideo non potest remoueri ab ea minor extremitas vniuersaliter: at in secunda figura minor extremitas est disparata à maiori, & ideo vna remouetur ab altera vniuersaliter, & ideo non sequitur quod etiam si termini se habeant eodem modo in prima, & secunda figura, sicut non est conclusio vera in prima, ita nec sit in secunda, & quod diuersitas in situ ipsius medij causat hanc diuersitatem in eis.

Dubitatur 3. *An syllogismus falsus possit dici syllogismus inferens?*

Resp. ex Aegidio lib. 2. Elench. pag. 63. quod syllogismus falsus, & peccans in materia simpliciter infert, & de necessitate: Et si quæratur quid inferat?

Respondet Aegidius quod infert conclusionem veram, non falsam: licet enim per falsa possit concludi propositio, quæ in se considerata sit vera; numquam tamen per falsa concluditur aliquid, quod vt sequitur ex præmissis non habeat falsitatem. Sic enim imaginari debemus quod syllogismus est consequentia quæ-

quædam, cuius præmissæ se habent vt antecedens; conclusio verò vt consequens: existente autem antecedente necesse est existere consequens, & non existente antecedente, non oportet non existere consequens, nam non existente leone adhuc potest existere animal. Sic existentibus præmissis necesse est existere conclusionem: non existentibus autem non oportet conclusionem non existere; & ita dicendum est absolutè, & simpliciter loquendo. Si tamen accipiatur consequens vt sequitur ex antecedenti: tunc sicut existente antecedente necesse est existere consequens: sic non existente antecedente necesse est non existere consequens: leo enim infert animal, quia sequitur ex necessitate: est leo ergo est animal; non tamen leo ex necessitate infert quodlibet animal, sed solum ex necessitate infert animal quod est leo: ridiculum enim est credere quod posito leone de necessitate ponatur Capra, vel quodlibet aliud animal, quod non esset leo. Si ergo accipiatur animal vt sequitur ad leonē, cùm non sequatur ad ipsum nisi animal quod est leo, patet verum esse quod dicebatur: quia sicut valet, est leo: ergo est animal quod est leo; sic etiam valet, non est leo: ergo non est animal quod est leo; & sicut accepto consequente vt sequitur ad antecedens; posito antecedente ponitur consequens, & non posito non ponitur: sic accepta conclusione vt sequitur ex præmissis, existentibus præmissis existit conclusio; & non existentibus non existit: si enim arguatur sic; omnis lapis est animal: omnis asinus est lapis: ergo omnis asinus est animal: hæc conclusio in se accepta vera est, sed vt sequitur ex præmissis est falsa; nàm referendo conclusionem ad præmissas, sequitur quod asinus sit animal, non quomodocumquè sumptus, sed asinus vt est lapis, siuè asinus qui est lapis dicere autem quod asinus qui est lapis sit animal, implicat in se falsitatem quamdam: si ergo benè accipiemus quomodo conclusio sequitur ex præmissis semper videbimus quod ex falso sequitur falsum ex necessitate.

Ex hoc autem patet quod syllogismus falsus ex necessitate est illatiuus, nō tamen ex necessitate est illatiuus conclusionis veræ, sed falsæ. Et quando dicitur quod talis syllogismus non syllogizat; non est intelligendum quasi simpliciter non syllogizet; sed quia licet simpliciter syllogizet: per se tamen & ex necessitate non syllogizat conclusionem veram, sed falsam. Ita Aegidius.

Dubitatur 4. *An syllogismus falsus possit dici syllogismus probans?*

Resp. ex Aegidio lib. 2. Elen. pag. 63. quod hæc difficultas fortè oritur ex eo, quod non videtur possibile, quod syllogismus falsus sit simpliciter syllogismus, eo quia non rectè probat. Propter hanc difficultatem sciendum est quod syllogismus est consequentia quædam; non est autem de ratione consequentiæ quod probet, sed sufficit quod ex necessitate inferat; & sicut non est de ratione consequentiæ simpliciter probare, sed tantum inferre: sic non est de ratione consequentiæ syllogisticæ quod probet, sed quod inferat, dum tamen illatum sit aliud ab inferentibus; cum syllogismus sit oratio

in

in qua positis premissis aliquid aliud sequatur per ea, quæ posita sunt; & quia syllogismus fallus habet conclusionem, quæ est alia à præmissis illatam ex debito ordine medij termini in modo, & figura; ideo erit syllogismus simpliciter.

§. 4.

De syllogismo Circulari.

SYllogismus circularis est ostensio, quæ ex conclusione,& conuersa aliqua præmissarum concludit reliquam præmissarum. De eo multa quærit Aegidius, quæ tamen breuiter excurro.

Dubitatur 1. *An in arte sit possibilis syllogismus circularis?*

Resp. ex Aegidio 2. prior. pag. 60. col.p. affirmatiuè; licet enim sit impossibile idem esse prius, & posterius: notius & ignotius se ipso secundum eamdem rationem; non est tamen secundum diuersam rationem, & sic propositio ostendens prior est, quam ostensa, & ostensa est secundum rationem posterior.

Dubitatur 2. *An syllogismus circularis sit syllogismus?*

Resp. affirmatiuè ex Aegidio loc. cit. sicut enim propositio potest cõstitui ex conuertibilibus; & tamen subiectum est in ratione partis, & prædicatum in ratione totius: sic syllogismus potest fieri ex omnibus conuertibilibus, & tamen conclusio est in ratione particularis;maior autem in ratione vniuersalis: nec est necesse in syllogismo procedere semper secundum rem ab vniuersali ad particularē; sed satis est quod talis processus fiat vel secundum rem, vel secundum rationem.

Dubitatur 3. *An syllogismus circularis sit vtilis*, & ad quem pertineat?

Resp. Ex Aegidio loc. cit. quod primò, & principaliter vtilis est ad demonstrationem, & ad demonstratorem primò, & principaliter pertinet, quia causa immediata & effectus ipsius conuertuntur: sed demonstrator concludit effectum per causam immediatam, et per effectum immediatum causam immediatam, vt patet ex lib. post: ergo cum in tali processu sit ostensio circularis, ad demonstratorem pertinebit.

Minus tamen principaliter, et minus propriè pertinet ad dialecticum quia dialecticus syllogizat definitionem per definitum, et è conuerso, quæ est syllogizatio circularis: ergo etiam ad dialecticum spectabit. Neque Aristoteles p. post. simpliciter destruit demonstrationem circularem, sed tantum secundum mentem eorum, qui asserebant contingere omnia scire, et ex se inuicem omnia demonstrare, et hoc per causam, et eodem modo demonstrandi; hoc autem reprobat Aristoteles: approbat tamen demonstrationem circularem secundum diuersum modum, ita vt causa demonstret effectum demonstratione *propter quid*: effectus verò causam, sed demonstratione tantum *quia*.

Dubitatur 4. *Quomodo differat Demonstratio circularis à syllogismo circulari?*

Resp. ex Aegidio pag. 61. quod syllogismus circularis de quo in lib. priorum determinatur abstrahit à terminis causalibus, et non causalibus; demonstratio verò circularis

concernit terminos causales: vt nubes est causa pluuiæ, & pluuia vaporis, & iterum vapor est causa pluuiæ, & sic deinceps secundum circulum.

Dubitatur 5. *An definitio syllogismi circularis sit bona?*

Resp. ex Aegidio loc.cit.affirmatiuè, quia in primo modo primæ figuræ sunt duæ ostensiones circulares: vna est quæ per principales præmissas ostendit conclusionem, & è conuerso per conclusionem præmissas: & hæc procul dubio sumit conclusionē cum conuersa alterius præmissarum secundum quod insinuat definitio, alia est quæ per conuersas præmissarum principalium concludit conuersam principalis conclusionis, & è conuerso per eius conuersam cōuersas præmissarum principalium. In hac autem circulatione secunda est tanquam principium syllogismi, qui concludit conuersam conclusionis principalis ex cōuersis præmissarum principalium, & huiusmodi conclusio cum conuersa vnius præmissarum accipitur in syllogismo reflexo circulariter; est enim huic syllogismo conclusio conuersa principalis conclusionis, & præmissa conuersa principalis præmissæ, & conuersa præmissæ eius est principalis præmissa. Ex quo patet, quod sicut in prima circulatione syllogizatur vna propositio ex conclusione, & conuersa alterius propositionis, sic & in circulatione secunda, & sic respiciendo ad vnamquamquè circularem ostensionem secundum se conuenit cuilibet præfata definitio. Et quod dicitur in definitione, .f. quod ex conclusione, & conuersa vnius præmissæ est syllogizanda reliqua, hoc non solum referendum est ad principalem syllogismum, sed vniuersaliter ad omnem in quo fit circulatio.

Dubitatur 6. *Quare in definitione magis dicit huiusmodi conuersionem fieri ex conuersa alterius præmissæ, quam per conclusionem, & alteram præmissam, vel per conuersionem vtriusquè?*

Resp. ex Aegidio pag. 61. quod conclusio cum vna præmissarum, vel conuersa vtriusquè facit dispositionem secundæ figuræ, aut tertiæ, vt patet intuenti; sed tertia non concludit vniuersalem, secunda verò nō cōcludit vniuersalem affirmatiuam, & ideo necesse est in syllogismo circulari ad ostendendam vniuersalem affirmatiuam præcipuè accipere præmissas in dispositione primæ figuræ; sic autem se habent conclusio, & conuersa vnius præmissarum, & ideo magis dicit circularem ostensionem fieri ex conclusione, et conuersa vnius præmissarum, vel ex vtraquè conuersa.

§. 5.
De Syllogismo conuersiuo.

SYllogismus cōuersiuus ex Arist. & Aegidio 2. prior. pag. 63. est syllogismus, qui ex opposito conclusionis, & altera præmissarum reliquam interimit: nam ex opposito conclusionis cum altera præmissarum sequitur oppositū alterius præmissæ, sicut ex vna præmissa ordinata cum alia sequitur conclusio. Est autem virtus huius maximè accepta ab illa maxima, *destructo consequenti destruitur antecedens.* Circa hunc syllogismum.

Du-

Dubitatur 1. *An syllogismus conuersiuus sit instrumentum pertinens ad artem?*

Resp. ex Aegidio pag. 63. hunc syllogismum nec esse cõtra modum artis, nec contra modum naturæ; sic enim est in natura, quòd posito antecedente ponitur consequens, & destructo consequente destruitur antecedens; sic etiam est in arte, & ideo ad artem spectabit talis syllogismus.

Dices. Ars imitatur naturam, sed natura nihil agit, vt illud idem interimat: ergo neque ars: sed syllogismus conuersiuus conclusionem constituit, deinde eam interimit per oppositum eius suppositum, & constituit præmissam, & ipsam perimit per eius oppositum concludens: ergo non erit instrumentum pertinens ad artem.

Resp. ex Aegidio talem syllogismum non supponere oppositum primæ conclusionis, vt stet in peremptione illius, nec concludit oppositum præmissæ, vt stet in peremptione illius; sed vt quia destructo consequenti destruitur antecedẽs, ostendatur sic esse necessariam consequentiam consequentis ad antecedens.

Dubitatur 2. *Quænam sit vtilitas syllogismi conuersiui?*

Resp. ex Aegid. quòd vtilitas eius est, si negetur aliqua ratio ostendere ipsam esse necessariam; si enim ostendatur quod ex opposito consequentis sequitur oppositum antecedentis, ostensum erit consequens sequi ad antecedens necessariò.

Rogas. *Ad quem artificem pertineat?*

Resp. ex Aegidio pertinere ad sophistam, prout sophista vtitur syllogismo peccante materia; præmissis enim concessis potest ostendere ex necessitate sequi per syllogismum conuersiuum, & quòd syllogismus conuersiuus ante se supponit syllogismum. Insuper pertinere ad demonstratorem, non quidem quatenus demonstrator disputat cum discipulo, quia oportet discentem credere, nec oportet discẽtem demonstrare, sed supponere; sed quatenus disputat contra resistẽtem tam propositioni, quàm conclusioni; tunc enim debet vti syllogismo conuersiuo. Maximè autem pertinere ad dialecticum, quia dialectica obuiatiua, & excitatiua est: vnde Arist. in fine top. ait, quod oportet dialecticum exercitatum esse in conuersiuis conclusionibus ad meditationem, & excitationem.

Dubitatur 3. *Quomodo hic, et quomodo in topicis definiatur talis syllogismus?*

Resp. quod in lib. priorum definitur syllogismus conuersiuus, vt abstrahit ab omni materia .s. probabili, & necessaria; at in topicis definitur, vt contractus ad materiam probabilem.

§. 6.

De Syllogismo per impossibile.

Syllogismus per impossibile fit quando supponitur contradictoria conclusionis, & assumitur alia propositio ad syllogizandum: vnde differt à syllogismo conuersiuo, quia syllogismus conuersiuus fit præsyllogizato opposito conclusionis per acceptionem vtriusquè propositionis datæ à respondente: syllogismus au-

autem per impoſſibile fit non præſyllogizato oppoſito hypotheſis,nec ſumpta vtraquè propoſitione data à reſpondente, ſed altera ſumpta à reſpondente,& altera extrinſecus manifeſtè vera. Circa huiuſmodi ſyllogiſmum.

Dubitatur 1. *An talis ſyllogiſmus ad aliquem artificem pertineat?*

Reſp. ex Aegidio pag. 66. col. 3. pertinere in primis ad dialecticum, quia dialecticus obuiator eſt alteri, & nititur ducere ſocium ſuum proteruum ad aliquod inconueniens, ſed hunc finem maximè aſſequitur per ſyllogiſmum per impoſſibile: ergo talis ſyllogiſmus ad dialecticũ, vt obuiatiuum ſpectabit.

Deinde dico pertinere ad demõſtratorem, tùm quia eius eſt vti omni differentia demonſtrationis, & demonſtratio per impoſſibile eſt vna eius differentia: tum quia ſi quis ei negaret manifeſta principia demonſtrator non poteſt ea probare ex cauſis,& prioribus, ſed ex poſterioribus, & ab effectu, hoc autem erit deducendo ad impoſſibile, & per conſequens vti tali ſyllogiſmo ad demonſtratorem pertinebit, ſaltim propter principiorum verificationem; immò etiam propter quoſdam effectus oſtendendos, & demonſtrandos, nempè propter eos, quorum cauſa difficilis eſt ad videndum,& non nota: quia enim ita eſt, oportet ex hypotheſi ad inconueniens deducere.

Dubitatur 2. *Quomodo differant ſyllogiſmus per impoſſibile, & conuerſiuus?*

Reſp. ex Aegidio pag. 66. col. 4. quod multiplex eſt differentia: prima eſt quia ſyllogiſmus conuerſiuus fit præſyllogizato oppoſito hypotheſis: ſyllogiſmus autem per impoſſibile fit non præſyllogizato oppoſito concluſionis: vnde conuerſiuus pro hypotheſi accipit oppoſitum concluſi; ſyllogiſmus verò per impoſſibile accipit oppoſitum concludendi: ſecunda eſt quia conuerſiuus fit tam ſupponendo contrariam, quam contradictoriam, ſyllogiſmus autem per impoſſibile fit tantum ſupponendo contradictoriam. Tertia eſt quod conuerſiuus oſtendit conſequentiam, ſyllogiſmus verò per impoſſibile oſtẽdit propoſitum. Quarta eſt quod illud idem ſupponitur in ſyllogiſmo conuerſiuo, cuius oppoſitum concluditur in ſyllogiſmo per impoſſibile, & è conuerſo illud ſupponitur in ſyllogiſmo ad impoſsibile, cuius oppoſitum concluditur in ſyllogiſmo conuerſiuo. Quinta eſt, quod ſyllogiſmus conuerſiuus ſupponit, vel concludit verum, vel falſum indifferenter: ſyllogiſmus autem ad impoſsibile ſupponit, & concludit ſolum falſum, vt patet inſpicienti.

Dubitatur 3. *Quare ſyllogiſmus per impoſſibile non procedat ſupponendo contrariam, ſed tantum contradictoriam, & conuerſiuus procedat ſupponendo vtramquè.*

Reſp. ex Aegidio quia conuerſiuus oſtendit conſequentiam decurrendo ſecundum hanc maximam, deſtructo cõſequenti deſtruitur antecedens: ergo poſito antecedenti ponitur conſequens; & quia conſequens deſtruitur tam per ſuppoſitionem ſui contrarij, quam per ſuppoſitionem ſui contradictorij; neque ſimul ſtant contraria in veritate, neque cõtradictoria, ideo ſyllogiſmus

con-

conuersiuus procedit supponendo tam contrariam, quam contradictoriam: at demonstratio per impossibile decurrit secundum hoc principium, *de quolibet affirmatio, vel negatio*, sed hoc principium non est verum nisi de affirmatione, & negatione, quæ sibi contradicunt, ideo non procedit supponendo contrariam, sed tantum contradictoriam.

§. 7.

De Syllogismo ostensiuo.

Dubitatur 1. *Quomodo differat syllogismus ostensiuus à syllogismo per impossibile?*

Resp. ex Aegidio pag. 69. quod licet hi syllogismi conueniant in hoc quod vterquè syllogizat suam conclusionem, differunt tamen, quia ostensiuus immediatè syllogizat; per impossibile autem procedit ex hypothesi.

Dubitatur 2. *Quare syllogismus per impossibile non potest fieri ostensiuus in eadem figura, vt docet Aristoteles in textu?*

Resp. ex Aegidio loc. cit. quia ostensiuus fit ex opposito conclusionis syllogismi per impossibile, & altera præmissarum: sed ex opposito conclusionis, & altera præmissarum non potest fieri eadem figura: ergo ostensiuus, & per impossibile in eisdem terminis non possunt esse in eadem figura: si enim syllogismus per impossibile fiat in prima, ostensiuus fiet ex opposito conclusionis eius, & altera præmissarum; sed conclusio cum minore facit tertiam figuram, cùm maiori verò secundam: ergo &c. Similiter si syllogismus ex hypothesi, seu per impossibile fiat in secunda, tunc ex opposito conclusionis eius, & minore fiet figura tertia; ex eodem autem, & maiore fiet figura prima; sic etiam si fiat in tertia figura, tunc ex opposito conclusionis, & minori fiet prima; ex opposito autem conclusionis, et maiori fiet secunda: ideo &c.

Dubitatur 3. *An negatiua demonstrata per impossibile in prima figura non possit aliter syllogizari ostensiuè, quam in secunda?*

Resp. ex Aegidio loc. cit. quod vniuersalis negatiua demonstrata per impossibile in prima per secundam ostensiuè syllogizatur: particularis autem negatiua cum per secundam syllogizatur syllogismo ad impossibile, syllogizatur postea ostensiuè per tertiam. Ratio autem est duplex; prima quia vniuersalis non cōcluditur per tertiam, sed particularis: secunda quia si ostendatur per impossibile vniuersalis in prima, hypothesis erit particularis, & ità verum assumptũ erit maior propositio, ex qua & opposito conclusionis fiet similiter secunda figura. Si verò ostendatur particularis negatiua per impossibile, hypothesis erit tam maior, quam minor, & similiter verum assumptum, & ideo oppositum conclusionis cum illo aliquando constituet secundam, aliquando tertiam figuram.

Dubitatur 4. *Quare particularis affirmatiua syllogizata per impossibile non potest aliter, quam in tertia syllogizari ostensiue?*

Resp. ex Aegid. loc. cit. quia per primam, in qua non est maior particularis non concluditur affirmatiuè, & quia ad ostendendum particularem affirmatiuam hypothesis est vni-

vniuersalis negatiua, quæ sola potest esse maior in prima, & ita vnum assumptum erit similiter ibi minor, ex qua & conclusione solum tertia figura constituitur.

Dubitatur 5. *An tantùm per primam syllogizentur conclusiones demonstrata per impossibile in secũda?*

Resp. ex Aegidio pag. 69. col. 3. quòd vniuersalis demonstrata per impossibile tantùm in prima syllogizatur ostensiuè in eisdem terminis; particularis autem potest in prima, & in tertia syllogizari; quia tantùm particularis syllogizatur per tertiam, & quia oppositum particularis conclusionis vniuersalis est, quæ potest esse tam maior, quam minor in secunda; oppositum autem conclusionis vniuersalis est particularis, quæ non est nisi minor in secunda figura.

Dubitatur 6. *An conclusiones per impossibile demonstrata in tertia figura, possint tantùm probari affirmatiuè per syllogismum ostensiuum in prima?*

Resp. ex Aegidio quòd affirmatiua demonstrata per impossibile in tertia, solum in prima ostensiuè syllogizatur, vt patet intuenti: negatiua tamen demonstrata per impossibile in tertia potest ostensiuè syllogizari tam in prima, quàm in secunda, vt constat ex dictis.

§. 8.

De Syllogismo ex oppositis.

Syllogismus ex oppositis ex Aegidio pag. 70. col. 3. est paralogismus disciplinæ, & maximè pertinet ad demonstratorem quando disputat cum cauillatore: vnde iste syllogismus fit primò in disciplinis, & ex proprijs, & quia syllogismus, qui ex proprijs concludit falsum, & ex falso, vel falsis, dicitur paralogismus disciplinæ, ideo ab Aristotele vocatur paralogismus.

Dubitatur 1. *An talis syllogismus ad aliquem artificem pertineat?*

Resp. ex Aegidio pag. 70. col. 4. aliquid pertinere posse ad vsum alicuius dupliciter, vel directè, vel indirectè; primò modo syllogismus iste non pertinet ad aliquem artificem: secundo modo pertinet primò ad dialecticum, cum disputat cum proteruo, vt redeat respondens ad statum disputandi. Secundò pertinet ad demonstratorem, cùm enim disputat cum cauillatore, contingit ipsum cauillatorem ignorantem dare implicitè opposita, vel oppositum veri, & tunc oportet syllogizare illud verum, & deindè ex illis syllogizare inconueniens manifestissimum vt prius, vt ita remoueat ignorantiam cauillatoris: non tamen ad hos artifices pertinet directè, cum per se non faciat fidem, vel scientiam.

Dubitatur 2. *An syllogismus ex oppositis fiat in prima figura?*

Resp. ex Aegidio pag. 71. col. 1. quod oppositio potest accipi communiter, vt etiam compræhendat incompossibilitatem, & repugnantiam; & potest accipi propriè, & sic opponuntur ea, vbi idem subijcitur, & prædicatur in affirmatiua, & negatiua, hoc autem potest esse dupliciter; primò vt idem vtrobiquè subijciatur secundum rem, & vocem, & idem vtrobiquè prædicetur secũdum rem, & vocem: secundò vt idem secundum rem, & vocem subijciatur vtrobiquè, & idem secundum

dum rem, diuersum secundum rationem prædicetur, quo pacto se habent superius, & inferius, & sic sunt opposita per accidens: nunc autem ex oppositis primo modo nō potest fieri syllogismus in prima figura; sed tantum ex oppositis per accidens.

Dubitatur 3. *Quomodo cognoscere possumus quando iste syllogismus sit in secunda, & quando in tertia figura?*

Resp. ex Aegidio loc. cit. quòd hoc sic possumus cognoscere, attendendo nempe quid concludatur; nam si concludatur subiectum de subiecto, erit in secunda figura; si verò prædicetur de prædicato, erit in tertia.

Dubitatur 4. *An syllogismus ex oppositis contineatur sub syllogismo ex falsis?*

Resp. ex Aegidio loc. cit. quod syllogismus ex falsis duobus modis sumi potest; primò vt potest tàm in conclusionem veram, quàm in falsam; et sic comprehendit sub se syllogismum ex oppositis; de eo tamen sic accepto non est determinatum supra: secundò vt tantùm potest in conclusionem veram, quo pacto determinatum est de eo supra, sic non comprehendit syllogismum ex oppositis.

Dubitatur 5. *An opposita possint concludi per vnum syllogismum vt docet Aristoteles?*

R. ex Aegidio loc. cit. quod quando in aliqua propositione sumuntur duo opposita, vt animal est album, et non album, tunc licèt propositio sit plures, nihilominus fieri potest syllogismus, non tamen qui sit verè vnus, sed talis qui sit in duos resolubilis, eo modo, quo propositio accepta est; et eo modo, quo propositio erit vna, et etiam erit vnus syllogismus.

§. 9.

De syllogismo expositorio.

SYllogismus expositorius *est qui constat medio termino singulari.* Dicitur expositorius, quia est sensibilis quædam resolutio principiorum vniuersalium facta per terminos singulares, qui sunt sensibus noti, et expositi; et hac de causa appellatur syllogismus expositorius. Communiter hic syllogismus fit in tertia figura in qua terminus singularis conuenientiùs subijcitur; fieri tamen potest in qualibet figura seruata regula disponendi medium terminum, et tantùm mutando quantitatem vniuersalem in singularem, v.g. in prima figura. Hoc animal est hæc substantia: hic homo est hoc animal: ergo hic homo est hæc substantia: vbi vides, quod propositiones ex vniuersalibus factæ sunt particulares, et singulares, et sumptæ sunt ex istis. Omne animal est substantia: omnis homo est animal: ergo omnis homo est substantia.

Quare verò medius terminus est singularis, aduertendum est vt perfectè singularizetur, aliàs erit syllogismus vitiosus. Vt autem perfectè singularizetur, debet disponi ità vt stet non tantum pro eadem re, sed etiam pro eadem habitudine; si enim staret identitas rei, et variaretur habitudo, iam syllogismus expositorius nihil valeret.

Noto pro hac re ex Aegidio p. sent. dist. 5. p. p. q. 2. a. p. quod ea, quæ

quæ conueniunt alicui vel dicunt quid rei, vel dicunt quid rationis, si dicant quid rationis, hæc non possunt attribui ei, quod de altero prædicatur. Quid rationis dicunt habitudines terminorum, secundæ intentiones, et reduplicationes: vnde non valet hic syllogismus expositorius. Hic homo est pater: hic homo est quid absolutum: ergo pater est quid absolutum, quia absolutum, et respectiuum sunt habitudines diuersæ, et ly homo etiam si sit singularizatus quantum ad rem, non est tamen singularizatus quantum ad habitudinem; quia in maiori importat habitudinem relatiuam, in minori habitudinem absolutam, et sic non valet syllogismus expositorius quando variatur habitudo terminorum. Nec etiam valet quando variatur habitudo per secundas intentiones; ideo hic est vitiosus. Hic homo est substantia; homo est species; ergo species est substantia, vel substantia est species; quia variatur habitudo per secundas intentiones. Ita etiam dicendum est in diuinis: non enim valet. Hic pater est Deus: hic pater est quid relatiuum: ergo hic Deus est quid relatiuum: quia variatur in termino singulari habitudo: sic etiam non valet. Pater est essentia: Pater est incommunicabilis: ergo essentia est incommunicabilis cùm in omnibus varietur in termino singulari habitudo eiusdem.

Noto etiam ex nostro Toletano p. sent. dist. 5. q. p. a. 3. syllogismum expositorium solum tenere gratia formæ in terminis conuertibilibus, vel æquiualentibus qua de causa in propositionibus eiusdem addēdum est pronomen demonstratiuum, ratione cuius termini qui non erant conuertibiles, eundant tales; vnde licet substantia, animal, & homo non conuertantur, addito tamen pronomine demonstratiuo æquiualent conuertibilibus, vt v.g. hoc animal est hęc substantia, hic homo est hoc animal: ergo hic homo est hæc substantia, & nisi itá fiat syllogismus est vitiosus. Hinc fit quod in diuinis respectu essentię, & proprietatis non valeat, quia essentia, & proprietas non sunt termini conuertibiles, nec æquiualent conuertibilibus etiam addito pronomine demonstratiuo eo quod proprietas sit tantum essentia, non autem è conuerso: vndè syllogismus expositorius ad hos terminos applicatus peccat in forma, & non valet. *Hic pater generat: hac essentiá diuina est hic pater*: ergo hæc essentia diuina generat quia essentia diuina non est tantum pater etiam addito pronomine demonstratiuo; & ideo syllogismus *peccat in forma per fallaciam consequentis*.

§. 10.

De Inductione.

DE Inductione determinat Aristoteles tum 2. priorum, tùm etiam in Topicis, diuersa tamen ratione: nam in topicis determinat de ea vt tantum competit Dialectico; hic verò vt competit Demonstratori, seù vt est communis tàm ad Dialecticam, quam ad Demonstrationem; & secundum has duas considerationes duobus modis ab eodem definitur: primò enim definitur in topicis sic. *Inductio est processus à singularibus sufficienter enume-*

meratis ad uniuersale; vt iste homo est capax disciplinæ, iste homo est capax disciplinæ, & sic de alijs: ergo omnis homo est capax disciplinæ. Et negatiuè similiter. Iste ignis non infrigidat, iste ignis non infrigidat, & sic de alijs: ergo nullus ignis infrigidat. Oportet autem enumerare omnia singularia, alias non esset processus optimus. Secundo definitur in lib. priorum sic. *Inductio est per alteram extremitatem de medio syllogizare reliquam.* Notat autem Aegidius lib. 2. priorum pag. 78. quod hæc definitio est de inductione figurata, cùm in eius definitione ponatur actus syllogizandi; illa verò est de Inductione non figurata; fortè quia inductio non figurata pertinet ad Dialecticum; figurata verò ad Demonstratorem.

Boetius in topicis aliter eam definit dicit enim quod, *Inductio est sumptio multorum collecta, vndè aliquod particulare ostenditur.* Hoc autem ideo est ex Aegidio loc. cit. quia Boetius definit inductionem diminutam, & incompletam, qualis est illa in qua multa particularia concludunt vnum particulare. Aristoteles autem in top. definit Inductionem completam, qualis est illa in qua omnia singularia ostendunt vniuersale.

Verum de Inductione multa quæri possunt, quæ breuiter sunt cum Aegidio expendenda vnde.

Dubitatur 1. *Quare Aristoteles non determinat de Inductione in scientia separata à syllogismo?*

Resp. Ex Aegidio lib. 2. prior. pag. 78. col. 2. quia Inductio non habet aliquam necessitatem nisi à syllogismo, & ideo oportet quod in eadem doctrina in qua determinatur de syllogismo determinetur etiam de ea.

Dubitatur 2. *An Inductio reducatur in syllogismum?*

Resp. Ex Aegidio loc. cit. dupliciter secundum quod dupliciter exponi potest definitio syllogismi; vno enim modo excluditur Inductio à definitione syllogismi simpliciter, alio autem non: si excludatur, tunc dicendum erit, quod Inductio opponitur syllogismo secundum formam, & tantum in ipsum reducatur secundum materiam: non quia forma innductionis transmutetur in formam syllogismi; sed quia materia nunc existens sub forma inductionis reducitur ad acceptionem formæ syllogisticæ. Si verò non excludatur, tunc dicendum est quod syllogismus duobus modis sumi potest, primo communiter, secundo propriè: si sumatur communiter, sic inductio est syllogismus: si proprie sic non est syllogismus: sumitur autem propriè quando probatur primum de tertio per medium, quia tunc in eo saluatur forma syllogistica, & sic inductio non est syllogismus, cum tantum syllogizet per alteram extremitatem de medio reliquam.

Dubitatur 3. *Quomodo Inductio reducatur in syllogismum?*

Resp. Ex Aegidio pag. 78. col. 3. reduci per enumerationem particularium sub disiunctione sumendo pro medio inductionem, & pro maiori extremitate prædicatum conclusionis probandæ, pro minori vero subiectum eiusdem, & tam affirmatiuè, quam negatiuè: v.g. omne quod est iste homo, vel ille, & sic de singulis est animal: sed omnis

homo est iste homo, vel ille homo &c. ergo omnis homo est animal. Item, nihil quod est iste ignis, vel ille ignis &c. est frigidum: omnis ignis est iste ignis, vel ille ignis &c. ergo nullus ignis est frigidus.

Dubitatur 4. *An inductio reducatur in syllogismum cuiuscumque figuræ.*

Resp. ex Aegidio loc. cit. quod inductio non potest reduci in tertiam figuram, eo quod in ea concluditur sola particularis: nec potest reduci in secundam, sed omnis inductio affirmatiua reducitur in syllogismum primæ figuræ, & omnis inductio negatiua reducitur in secundum modum primæ figuræ; potest tamen postea transferri ad secundam figuram per conuersionem maioris; hoc tamen fieri non potest in primo modo primæ figuræ, ita quod inductio in eo facta possit trásferri ad secundam figuram, cum in secunda non concludatur vniuersaliter affirmatiuè.

Dubitatur 5. *An omnis ostensio reducatur ad syllogismum, & inductionem?*

Resp. ex Aegid. lib. 1. Rhet. pag. 9. col. 1. affirmatiuè. Probatur autem primò ex Doctore ibidem, quia omnis nostra scientia, vel reducitur ad artem, vel ad experimentum (relinquo cognitionem principiorum, quia ad principia non est ratio) sed ars vtitur syllogismo, experimentum autem exigit inductionem: ergo omnis nostra ratio, seu omnis noster discursus debet ad syllogismum, vel inductionem reduci: mi. pr. quia inductio est ratio eorum, quæ per experimétum scimus; sic enim imaginari debemus quod experimétum dupliciter sumi potest: primò vt ab arte deficit, & sic expertorum quodammodo non est agere secundum rationem, sed secundum consuetudinem; vndè 1. met. dicitur expertes modicum differre ab inanimatis: differunt enim quia illa agunt per naturam: isti verò per consuetudinem. Secundò potest sumi experimentum secundum quod est inductiuum artis, iuxtà illud *experientia fecit artem, inexperientia casum,* & sic experti est vti inductione: vt quia vidimus, & habemus in memoria quod hæc herba, puta Rheubarbarum purgauit coleram in hoc, & in illo, inducentes in multis facimus vnam propositionem vniuersalem, quæ est principium artis, & scientię, vt quod omne Rheubarbarum purgat coleram, & ideo dicitur quod inductio est verisimilior, & planior, & secúdum sensum notior, eo quod à sensibilibus ad vniuersalia procedat, qui processus est proprius expertorum prout per experimentum manu ducuntur in artem: ergo experimentum vtitur inductione. Ars autem vtitur syllogismo, cùm sit velocior, & ad concludendum efficacior: ergo omnis nostra ostensio reducetur in syllogismum, aut in inductionem.

Secundo pr. ex eodem quia omnis ratio nostra, vel est ad principia, vel ad ea, quæ deducuntur ex principijs: ad principia autem est inductio, & ad ea quę sequuntur ex principijs est syllogismus: cum enim dicitur quod ad principia non est ratio, intelligendum est de ratione syllogizata, cum per syllogismum non possint concludi principia sine petitione principij; possunt tamen

prin-

principia per inductionem ostendi; vnde 2. priorum dicitur quod inductio ostendit extremum de medio per tertium, syllogismus autem extrema de tertio per medium: ergo omnis nostra ratio, & ostensio reducenda erit in syllogismum, & inductionem.

Tertiò pr. ex eodem, quia omnis nostra ratio, vel sumitur ex eo quod admirati cœpimus philosophari; vel ex eo quod accipimus ordinem in contrarium ei, qui est à principio quæstionum: sed inductio magis competit nobis, vt incœpimus philosophari, quia magis est sensibile instrumentum, magis rationibus competens: syllogismus verò, cuius est magis per causam inducere, cōpetit nobis iam in arte instructis: ergo omnis nostra ratio ad ista duo reducetur, & quia etiam inductio tandem reducitur in syllogismum, ideo vltimatè omnis nostra ratio, & ostensio in ipsum erit reducenda.

Dubitatur 6. *Quomodo ad inductionem, & syllogismum reducantur exemplum, & enthymema?*

Pro resolutione noto 1. cum Aegidio lib. 1. Rhet. pag. 10. col. 3. quod in omni genere imperfecta reducuntur ad perfecta, eo quod perfectiora sunt mensura perfectorum; cum ergo syllogismus, & enthymema quodammodo procedāt eodem modo, quia vtrumquè coniungit extremum tertio per medium, enthimema reducendum erit ad syllogismum, qui enthymemate perfectior est. Deficit autem enthymema à syllogismo tripliciter, & quantum ad materiam, & quantum ad formam: quantum ad materiam, quia enthimema magis est de verisimili; syllogismus autem magis est de verò: nam per syllogismum magis fit descensus in scientias speculatiuas, in quibus est consideratio secundum rei veritatem: per enthimema autem magis fit descensus in opera politica, in quibus fit processus, & arguitur per quædam signa, & per verisimilitudines; & quia verisimile deficit à verò, enthymema ratione materiæ circa quam negotiatur deficit à syllogismo. Secundò deficit ratione formæ: in syllogismo enim est ordinatio terminorum, & propositionum in modo, & in figura: in enthymemate autem non reseruatur de necessitate talis ordo, & ideo enthymema deficit à syllogismo in forma: ponuntur enim in syllogismo duæ propositiones, & tres termini, in quibus completè reseruatur prædictus ordo: in enthymemate verò si altera propositionum sit nota, sufficit alteram proponere, quia auditor de se alteram addit, & quia ex vno nihil sequitur, ideo quantum ad prędictum ordinem deficit enthymema.

Noto secundò cum eodem loc. cit. quod in duobus deficit exemplum ab inductione. Exemplum enim est in vno, inductio verò in omnibus, & quia pars deficit à toto, & vnum ab omnibus, ideo exemplum deficit ab inductione. Deficit secundò, quia inductio de necessitate concludit, non autem exemplum: nam quia tam inductio, quam exemplum coniungunt extremum medio vniuersaliter, cum ex omnibus particularibus de necessitate propositio vniuersalis concludi possit; non autem ex vno nisi ex hypothesi, ideo inductio de necessitate concludit, non autem exemplum. Quia autem similis mo-

dus procedendi est aliquo modo in inductione, & exemplo, quatenus vtrumquè coniungit extremum medio; sicut similis modus est in enthimemate, & syllogismo, quia vterque coniungit extremum tertio, ideo & enthimema reducitur ad syllogismũ velut ad perfectum in suo genere, & exemplum reducitur ad inductionem, quod erat declarandum.

§. 11.
De Exemplo.

VBi Aristoteles lib. 2. prior. pertractauit de inductione pertractat de exemplo, quod est inductioni annexum, ipsum autem definit sic. Exemplum est quando primum de medio ostenditur per simile tertio. Est autem notandũ exemplum requirere similitudinẽ ad rem, quæ probari debet; nam si quis argumentaretur. Saul perijt quia peccator; ergo Dauid similiter, quia peccator; mala esset illatio, quia non teneret similitudo; nam Dauid & si peccauit, doluit tamen, & ad Deum conuersus est, vbi Saul nec doluit, nec pœnitentiam egit cum spe veniæ. De exemplo multa quæri possunt, vndè.

Dubitatur 1. ***An definitio exempli recta sit?***

Resp. ex Aegidio 2. prior. pag. 79. col. 1. definitionem traditam hic ab Aristotele non esse completam, sed addendum esse quod medium insit tertiò euidentius, quam primò, quia exemplum propriè cõsistit in comparatione primæ præmissæ ad conclusionem vltimam, qua de causa Boetius in top. dixit exemplum esse quando particulare per particulare ostenditur.

Dubitatur 2. ***Quomodo exemplum reducatur in syllogismum?***

Resp. ex Aegidio loc. cit. pag. 79. Exemplum non posse reduci in vnũ syllogismum, sed debere reduci in duos, cùm in eo sint quatuor termini. Vnus autem ex his syllogismis est principalis ostendens primum de tertiò per medium, vt v. g. Confines pugnare contra cõfines est malum: sed Athenienses pugnare contra Thebanos, est confines pugnare contra confines: ergo Athenienses pugnare contra Thebanos est malũ. Alius autem syllogismus est ostendens primum de medio per simile tertio sic. Thebanos pugnare contra Phocenses est malum: sed Thebanos pugnare contra Phocenses est confines pugnare contra confines: ergo confines pugnare contra confines est malum; & sic est exemplum in se ex comparatione similis tertio ad tertium sic. Thebanos pugnare contra Phocenses est malum: ergo Athenienses pugnare contra Thebanos est malum, & est notius primum inesse simili tertio, quam tertio.

Dubitatur 3. ***An exemplum reduci possit in inductionem?***

Resp. ex Aegidio quod multa exempla vnam faciunt inductionem, concludunt enim multa particularia ex quibus aggeneratis fit vnum vniuersale, quod est conclusum in inductione; supponit enim multa particularia ex quibus simul adunatis fit inductio: vndè multa exempla reducuntur in inductionem, & faciunt vnam inductionem; vnum autem exemplũ non reducitur in inductionem, sed in duos syllogismos, vt dictũ est. Idẽ docet 1. post. pag. 7. col. 1.

Di-

Dices. Si multa exempla reducuntur in vnam inductionem, & inductio vna in syllogismum vnum: ergo multa exempla reducuntur in syllogismum vnum: ergo multo fortius vnum exemplum reducetur in syllogismum vnum.

Resp. ex Aegidio loc. cit. quod vnum exemplum eodem modo quo in syllogismum vnũ reducitur, quatuor habet terminos, & ideo non potest ex eis fieri syllogismus vnus: eo autem modo quo multa exempla reducuntur in inductionem aufertur medium ab eis, quia omnia similia tertio simili accepta æquipollẽt medio cũ sint particularia eius, & ideo remanent tres termini .f. primum, & tertium, & simile tertio, & quia multa tertia in vno tertio aggregantur, & similiter multa similia tertio: et ideo multa exempla eo modo quo vnam inductionem faciunt, reducũtur mediante inductione in vnum syllogismum; vnde immediatè non possunt exempla reduci in syllogismum vnum, sed tantum mediante inductione; hoc patet si quis conferat ad inuicem multa exempla eiusdem generis ad faciendam vnam inductionem: neque hoc obstat supradictis cum Aegidio; quia exempla reducuntur immediatè in inductionem, mediatè verò etiam in syllogismum modo dicto.

Dubitatur 4. *Quomodo exemplum differat ab inductione, & syllogismo?*

Resp. ex Aegidio lib. 1. Rhet. pag. 10. col. 3. quod quantum ad presens spectat exemplum dupliciter differt à syllogismo, & dupliciter ab inductione. Nam syllogismus coniungit extremum tertio per medium, & est in eo quodammodo processus à toto ad partem; cum omnes syllogismi reducantur aliquo modo ad ista duo principia .f. *dici de omni, & dici de nullo;* exemplum verò cõiungit extremum medio per simile tertio, & non est in eo processus à toto ad partem, sed à parte ad partem; vt si vellem probare quod Dionysius insidiatur Tyrannidi, si id facerem via syllogistica, acciperem hoc medium, *expetere munitionem,* & sic syllogismum formarem. *Quicunque expetit munitiones vult tyrannizare; Dionysius expetit munitiones: ergo &c.* Si autem hoc ipsum per exemplum suadere vellem, accipiendũ mihi esset simile tertio (nam in prædicta argumentatione tyrannizare se habet vt maior extremitas; expetere munitiones, vt medius terminus; Dionysius verò vt minor extremitas, siuè vt tertium) & assumerem v. g. Pisistratum, qui est similis tertio, & se habet similiter vt Dionysius, qui est tertius terminus, & concluderem maiorem extremitatẽ de medio sic. Pisistratus tyrannizauit, sed Pisistratus petebat munitiones: ergo qui petit munitiones vult tyrannizare: sed Dionysius petit munitiones: ergo &c. Hic autem consideratur vis arguendi, nam est processus à parte ad partem, vt à Pisistrato ad Dionysium, & coniungitur extremum medio per simile tertio, vt tyrannizare de expetenti munitiones.

Habet etiam duas differentias respectu inductionis; quarum prima est quod inductio est in omnibus particularibus; exemplum verò in vno: nam exemplariter concludo expetentem munitionem velle tyrannizare per vnum .f. per Pisistratum,

tum, qui hoc faciens tyrannizauit: sed si in inductione id concludere vellem, oporteret me inducere de singulis, qui expetunt munitiones, velle tyrannizare. Secunda differentia est, quia inductio concludit extremum de medio per tertium, quia omnia singularia accepta concludunt vniuersalem propositionem, & quæ constitueretur ex extremo se haberet quasi minor extremitas, vel sicut secundus terminus: in exemplo verò concluditur extremum de medio, vt tyrannizare de expetenti munitiones, non per tertium, quia non per Dionysium, sed per simile tertio, quia per Pisistratum. Posset etiam assignari tertia differentia, quia in exemplo non solum coniungitur extremum cum medio, sed etiam extremum cum extremo, quod in inductione non contingit, vbi solum extremum de medio infertur.

§. 12.
De Instantia.

POst exemplum agit Aristoteles de Instantia, eamquè definit dicendo. ***Instantia est propositio particularis propositioni contraria***; vbi per contrariam ex Aegidio pag. 79. col. 4. intelligenda est non tantum propositio contraria propriè, sed etiam contradictoria.

Rogas. ***Quare determinat de instantia?***

Resp. ex Aegidio pag. 80. col. 2. quod hoc facit propter oppositionem, quam habet ad exemplum.

Rogas. ***Quomodo differat ab Elencho cum vtriusquè sit concludère contradictionem?***

Resp. ex Aegidio loc. cit. quod non differunt subiecto, sed solum ratione; hæc enim idem est cum Elencho: nam respectu respondentis est instantia, sed respectu opponentis in quantum opponens syllogizat oppositum syllogizati, vel præconcessi à respondente est Elenchus. At de ea.

Dubitatur 1. ***Ad quem artificem pertineat instantia?***

Resp. Ex Aegidio pag. cit. col. 3. pertinere tam ad Dialecticum, quã ad Demonstratorem, sed differenter: nam ad Dialecticum pertinet tam instantia vniuersalis, quam particularis: ad Demonstratorem verò pertinet vniuersalis: hoc tamen est intelligendum ita, vt quando procedit ex necessarijs solum possit instare opponenti cauillariè aliquod falsum.

Dubiiatur 2. ***Quare Aristoteles magis definit instantiam quam syllogismum instantiuum?***

Resp. Ex Aegidio loc. cit. quod instantia duobus modis sumitur, primò vt est propositio instans absolutè considerata; secundo quatenus est propositio conclusa secundum eius ordinem ad sua principia, ità quod nomen propositionis importet quodammodo totam substantiam propositionis rationis substantiæ, et hoc pacto compræhendit syllogismum concludentem instãtiam, et ità ab Aristotele definitur.

§. 13.
De Enthymemate.

AGit tandem Aristoteles de Enthymemate, cuius definitionẽ tradẽs ait. ***Enthymema est syllogismus procedens ex iconibus, & signis.***

signis. Ichos definitur ab Aristotele sic. *Ichos est propositio probabilis*: quod probat quia quod in pluribus scitur sic esse factum; vel non esse factum est probabile: sed Ichos est propositio qua scitur sic esse factum, vel non esse factum in pluribus: ergo erit proprositio probabilis. Notat autem Aegidius quod Ichos idē est ac imago: dicit enim similitudinem rei ex exteriori figura, quamuis non representet ipsam secundum figuram interiorem, representat tamen ipsam secundum figuram exteriorem. Signum *est propositio demonstratiua necessaria, vel probabilis*. Hoc probat quia illud quo existente existit, & quo facto factum est aliud, & quo finito finitur aliud est propositio necessaria, vel probabilis; sed signum est huiusmodi: nam eo existente existit ex necessitate aliud: ergo signum est propositio necessaria demonstratiua, vel probabilis.

Enthimema fieri potest in omni figura; in prima sic. Hæc mulier habet lac: ergo hæc mulier peperit: intelligitur maior nempe omnis mulier habens lac peperit. In secunda figura dicendo. Psitacus est studiosus; Psitacus est sapiēs: ergo sapiēs est studiosus: In tertia sic. Quęcumquè peperit pallida est: hæc est pallida: ergo hæc peperit. Primum enthimema est in prima figura, quia medium, vel signum est conuertibile: secundum est in tertia, quia signum, vel medium est in minus: Tertium est in secunda, quia mediū est in plus: quando tamen arguitur per enthimema subticetur vel maior, vel minor.

Docet autem quomodo differat à syllogismo, & ait, quod si exprimatur tantum altera propositio enthymema est: si vtraquè est syllogismus. At de ipso.

Dubitatur 1. *An rectè dicatur in definitione quod Enthymema sit syllogismus?*

Resp. Ex Aegidio pag. 81. col. 3. quod substantialiter idem est syllogismus, & enthymema: quamuis in enthymemate non sit expressas sensus vtriusquè propositionis, tamen secundum rem & secundum decursum rationis vtraquè ibi intelligitur & sub ista ratione bene definitur per syllogismum tum propter identitatem substantialem, tùm quia quantum ad expressionem enthymema reducibile est in syllogismum.

Dubitatur 2. *An detur regula generalis reducendi omnia enthymemata in syllogismum?*

Resp. cum Aegidio pag. 81. col. 2. quod cum Enthymema tantum exprimat vnam propositionem cum conclusione, & sit ex tribus terminis tantum, tunc aut propositio, & conclusio communicant in prædicato, aut in subiecto, aut subijcitur in vna, & prædicatur in reliqua: si communicant in prædicato illud enthimema vel erit in prima figura, vel in tertia ex maiore & conclusione; vnde addita minore erit perfectus syllogismus: an autem reduci debeat ad primam, vel ad tertiam figuram colliges ex positione terminorum secundum quos potes facere minorem veram. Si communicant in subiecto erit enthimema primæ figuræ, vel secundæ, & tunc ex minore, & conclusione fiet syllogismus per additionem maioris, quæ statim apparet quomodo sit addenda ex pos-

posibilitate terminorum, & inhærentia. Si autem subijcitur in vna, & prædicetur in altera; vel subijcitur in præmissa, & prædicatur in conclusione, vel è conuerso: si primo modo erit enthymema in secunda figura ex maiore, & conclusione, & fiet syllogismus addendo maiorem: si secundo modo erit enthimema in tertià figura ex minori & conclusione, & fiet syllogismus addendo maiorem.

Dubitatur 3. *Quomodo differant essentialiter enthymema, & syllogismus?*

Resp. Ex Aegidio lib.p.post.pag. 7. col. p. quod non differunt essentialiter ratione propositionum, vt quod enthimema procedat ex vna propositione prolata, & ex alia in mente retenta (dicitur enim secundum enthymologiam nominis enthymema quasi intra mentem, quia alteram propositionem reseruat in mente) & syllogismus procedat ex duabus prolatis: sed essentialiter differunt ratione materiæ, quia enthymema est instrumentum rude, & applicabile ad materiam moralem, syllogismus verò est instrumentum dignius, & applicabile ad scientias speculatiuas: illud est organum Rhetoris; iste vero Dialectici.

Rugas. *Si Enthymema est organum Rhetoris, quomodo logicus de eo pertractat?*

Resp. Ex Aegidio lib.p.post.pag. 7. col. 2. quod logicus per se determinat de syllogismo, & inductione tamquam de proprijs instrumentis; de enthimemate verò, & exemplo tamquam de his, quæ sunt quidam defectus eorum; nam exemplum est quædam defectiua inductio; enthimema verò est quidam defectiuus syllogismus & qui determinat de recto potest etiam determinare de eo quod à recto deficit, cum rectum sit iudex sui, & obliqui. Ex quo fit quod logicus dum de eis pertractat non transgrediatur suos limites; Rhetor tamen si pertractaret de arte syllogizandi suam sphæram transgrederetur.

Dubitatur 4. *An Enthymemata reducantur in principia*. Dici de omni, & dici de nullo?

Pro resolutione noto cum Aegidio lib. p. Rhet. pag. 12. duo esse genera principiorum tam syllogismorum, quam enthimematum: nam quædam sunt principia secundum substantiam, quædam vero secundum virtutem: principia secundum substantiam: & quæ essentialiter ingrediuntur syllogismum alia sunt formalia, alia materialia: nam termini, & propsitiones se habent sicut materia syllogismi, ordo vero secundum modum, & figuram, siuè secundum qualitatem, & quantitatem se habent sicut forma syllogismi, vel sicut aliquid formæ annexum: & sicut distinguimus principia intrinseca in materiam, & formam, ita oportet distinguere principia extrinseca dantia efficaciam materiæ, & formæ. Principia ergo non ingredientia syllogismum, aliqua probant formam, aliqua verò materiam: nam principia ista *dici de omni, & dici de nullo*, probant formam: maximæ verò, & dignitates probant materiam. Ratio autem quare principia syllogismorum secundum virtutem probantia formam sint tantum duo, est: quia cum forma syllogistica diuersificetur secun-

cundum triplicem figuram, si cuilibet figuræ assignarentur sua principia, non esset possibile omnia talia reduci in dici de omni, & de nullo: nam secunda figura & tertia non innituntur directè dictis principijs; sed secunda innititur huic. *Quidquid remouetur à consequente, remouetur & ab antecedente*; ideo oportet omnes conclusiones in ea figura esse negatiuas; eo quia gratia formæ propter quam talia principia sunt intenta, *ad positionem consequentis non sequitur positio antecedentis, sed ad destructionem sequitur destructio*. Probant ergo dici de omni, & dici de nullo solù formam; & quia talis forma prout indirectè concluditur non variat dispositionem terminorum, eo quod medius terminus subijcitur semper in ipsa propositione, & prædicatur in secunda, & maior extremitas de minori in conclusione prædicatur, nec etiam variat prout spectat ad præsens negotium; item semper maior est vniuersalis, & solum quantum ad qualitatem est ibi variatio, & hæc non variatur nisi per affirmationem, & negationem, ideo oportet talia principia esse tantum duo .s. dici de omni quantum ad conclusionem affirmatiuam; & dici de nullo quantum ad negatiuam. Et licet in prima figura aliquando conclusio sit particularis affirmatiua, aliquando negatiua: quia tamen maior semper est vniuersalis, ideo quidquid sumitur sub subiecto, sumitur sub prædicato, vel remouetur ab eo si fuerit negatiua, & in maiori principaliter est virtus syllogistica, ideo principia sequuntur maiorem, non conclusionem, & sic sunt vel de omni, vel de nullo. Accedit quod dici de quodam, & non dici de quodam continentur sub dici de omni, & de nullo, ideo ex particularitate conclusionis non contingit principia multiplicare. Non sunt ergo dici de omni, & dici de nullo principia secundæ, & tertiæ figuræ; licet in ista reducantur, sicut reducuntur syllogismi vtriusquè figuræ in syllogismos primæ, quæ maximè facit scire. Ex his patet quomodo dici de omni, & de nullo probant formam.

Noto 2. quod principia probantia materiam sunt dignitates, & maximæ, pro qua re aduerto, quod termini, & propositiones ingredientes syllogismum dupliciter considerari possunt: primò secundum se, & suam naturam; secundò prout stant sub debita quantitate, et qualitate, ac ordine syllogistico, et sic pertinent ad formam: omnia ergo illa principia, quæ sumuntur ex natura terminorum se tenent ex parte materiæ; quę autem sumuntur ex ordine syllogistico se tenent ex partem formæ & ideo ista dicuntur probare formam, & quod talia principia includant ordinem syllogisticum. Dignitates autem, & maximæ se tenent ex parte materiæ, quia sumuntur ex ipsa natura terminorũ; nam quia natura contrarij est alia à natura maioris, vel minoris, ideo locus à contrario, & maxima data in tali loco est distincta à loco à maiori, & à minori, & à maximis ibi datis, & ob id diuersæ dignitates accipiuntur secundum aliam & aliam naturam rerum, quæ per terminos significatur, & hoc clarum esse potest.

Rogas. *An sit certus numerus principiorum materialium?*

Respondet Aegidius negatiuè; & ratio est quia naturæ rerum nō sunt nobis simpliciter notæ, quia tamen in omni natura reseruatur natura entis, ideo aliquo modo nobis talis numerus notus esse potest, quia est nota nobis illa dignitas sumpta ex ente, & ad quam omnes aliæ dignitates reducuntur, .s. de quolibet affirmatio, vel negatio vera est; ad hanc enim omnes dignitates reducuntur; et quia tale principium sumitur ex natura entis, in quo aliquo modo ars imitatur naturam, ideo sicut in natura est vnitas ex parte materiæ, & pluralitas ex parte formæ, eo quod est dare duo contradictoria, & tertium quod subijcitur ei, erit in arte syllogistica quod principia formalia reducuntur ad duo .s. ad *dici de omni, & de nullo*, principia verò materialia ad vnum .s. ad illud principium, *de quolibet affirmatio, vel negatio vera*.

His prænotatis ex Aegidio. Dico cum ipso quod enthymemata reducuntur in locos, & maximas tamquam in principia se tenentia ex parte materiæ; reducuntur autem in dici de omni & de nullo tamquam in principia formalia: nam cum enthymemata reducantur ad syllogismum oportet principia syllogismi simpliciter aliquo modo reseruari in enthymematibus. Hæc ex Aegidio loc. cit. ferè ad Verbum.

CAPVT NONVM.

De Syllogismo Demonstratiuo.

§. 1.

De præcognoscendis ante demonstrationem.

SYllogismus demonstratiuus, seu demonstratio præcipuum, & potissimum Logicæ instrumentum est, de quo accuratissimè pertractat Aristoteles in lib. post. Aegidius verò profundissima ad textum Aristotelis adiecit commentaria. Libenter textum iuxta ordinem in superioribus seruatum cum Aegidio perstringerem, sed quia longius quam par est excresceret præsens labor, ideo magis vtilia, & proficua ex Aristotele tangam, & circa ea dubia selectiora cum Aegidio excurram.

Acturus ergo Arist. de demonstratione, eiusque partibus, speciebus, & proprietatibus, prius in proemio præmittit maximam illam. *Omnis doctrina, & disciplina intellectiua ex præexistenti fit cognitione*. Et docet duas esse præcognitiones .s. *quia est, & quid est*, & tria præcognita, .s. *subiectum, dignitas, & passio*, de quibus omnibus ex doctrina Aegidij pauca hæc expendo.

Dubitatur primò. *An omnis doctrina, & omnis disciplina ex præexistenti fiat cognitione?*

Resp. cum Aegid. lib. 1. post. c. 1. quod omnis cognitio intellectiua fit ex præexistenti cognitione; cognitio tamen sensitiua simpliciter loquendo non fit ex præexistenti cognitione. Probatur prima pars, quia omnis cognitio intellectiua, vel est conclusionum, vel est principiorum;

sed

sed vtraque fit ex præexistenti cognitione; ergo omnis cognitio intellectiua fit ex præexistenti cognitione; probatur minor, quia conclusiones præsciuntur in principijs, & sic cognitio conclusionum præsupponit cognitionem principiorum; principia autem cognoscuntur via sensus, memoriæ, & experientiæ; & sic cognitio principiorum fit ex præexistenti cognitione sensus, memoriæ, & experientiæ. Probatur secunda pars, quia sensus statim fertur in suum obiectum, ergo cognitio sensitiua simpliciter loquendo non fit ex præexistenti cognitione. Licet autem hæc propositio vera sit etiam de cognitione intellectiua principiorum, Aristoteles tamen eam assumit propter cognitionem conclusionum, quæ fit & deducitur ex cognitione præmissarum.

Dubitatur 2. *An hæc propositio sit vera tam in scientia acquisita, quam in scientia à se inuenta?*

Respondeo ex Aegidio affirmatiuè, quia doctrina significat scientiam inuentam à magistro, & quam magister potest discipulum docere; disciplina significat sciētiam ab alio acquisitam, seu significat scientiam receptam in discipulo à magistro; sed de vtraque scientia verificatur propositio Aristotelis; ergo eadem propositio erit vera, tam in scientia inuenta, quam in acquisita; probatur minor, quia doctrina, quæ est scientia inuenta, fit ex præexistenti cognitione illius viæ, per quam est inuenta; præcognitio enim se habet quasi via, res verò scita se habet vt terminus; sed inueniens viam eundi ad aliquem locum, oportet quod per eandem viam, per quam duxit seipsum, ducat & alios, aliter posset errare; ergo si doctrina fit ex præexistenti cognitione, etiam ex eadem fit disciplina, & per cōsequens propositio Aristotelis in vtraque scientia locum habet.

Dubitatur 3. *An quid est, sit præcognitio?*

Respondeo ex Aegidio affirmatiuè, quia quid est duplex est, aliud enim est quid nominis, aliud quid rei; quid nominis est scire resoluere nomen in suum significatum; quid rei est non tantum scire resoluere nomen in suum significatum, sed etiam est scire resoluere significatum in sua propria principia; sed cognitio quid nominis habetur ante scientiam; ergo quid nominis est præcognitio, quia verò quid rei habetur per exercitium scientiæ, ideo non est præcognitio sed scientia acquisita; probatur minor, quia pueri, & idiotę antequam scientiam acquirant, sciunt resoluere nomina in sua significata, & diuersis nominibus diuersa intelligunt; nam si præcipiatur eis, quod portent puluinar, non afferunt aquam, ergo cognitio quid nominis habetur ante scientiam, ergo est præcognitio.

Dubitatur 4. *Vtrum præcognitio quid nominis sit vna, vel multiplex?*

Respondeo ex Aegid. quod formaliter est vna præcognitio, licet materialiter habeatur de diuersis, scilicet, de subiecto, & de passione, de substantia, & accidente. Ratio autem est, quia præcognitio quid nominis est scire resoluere nomen in sua significata; sed hoc eodem modo fit in substantia, & accidente; in subiecto, & passione, quia pueri non aliter resoluunt nomen substā-

tiæ in significatum substantiæ; quam resoluant nomen accidentis in significatum accidentis; ergo præcognitio quid nominis erit formaliter vna, licet materialiter sit de diuersis. Si verò quid rei esset præcognitio esset multiplex, quia quid rei dicit resoluere significatum nominis in sua principia propria; & quia principia propria substantiæ, & principia accidentis sunt diuersa nam in definitione substãtiæ nihil est, quod non sit substantia; in definitione verò accidentis non solum sunt principia accidentalia, sed sunt substantialia, cum hæc definitio sit per additamentum; ideo si quid rei esset præcognitio, esset formaliter multiplex.

Dubitatur 5. *Vtrum de dignitate præcognoscendum sit quid est?*

Respondeo ex Aegidio negatiuè, & probatur primò ex Aristotele dicente, quod de passione solum præcognoscendum est quid est; de dignitate solum quia est, de subiecto verò vtrumque, scilicet, & quid est, & quia est; ergo de dignitate non est præcognoscendum quid est.

Secundò probatur ex Aegidio, quia præcognitio quid est, vel dicit quid nominis, vel quid rei, sed neutro modo potest competere dignitati; ergo de dignitate non est præcognoscendum quid est; probatur minor, nõ potest ei competere quid rei, quia complexa vt sunt dignitates non habent definitionem dicentem quid rei, nam cum non dicant vnam essentiam, non possunt hanc definitionem habere, cum per eam explicetur essentia rei; & etiam quia definitio quid rei simpliciter est substantiarum; complexa autem non sunt substantia; ideò complexorum non potest esse definitio ex 7. met. ergo de dignitate non potest esse præcognitio quid rei. Nec etiam quid nominis, quia licet complexa habeant quid nominis, tamen non habent quid nominis ratione sui, sed ratione incomplexorum, scilicet, vel quia complexis imponitur simplex nomẽ, vt toti historiæ Troianæ impositum est nomen simplex, scilicet, Ilias; vel ratione terminorum simplicium, et incomplexorum, qui termini continentur in ratione complexa; vt homo currit, non est vox significatiua ratione sui, sed quia partes eius sunt significatiuæ; ergo ratione sui complexis, & dignitatibus non potest conuenire præcognitio quid nominis, & per consequens non potest de eis præcognosci quid est. Immò cum de incomplexis præcognoscendum sit quid nominis; frustra adderetur, quod hoc esset præcognoscendum etiam de complexis; cum quid nominis competat per se incomplexis, complexis verò ratione incomplexorum.

Dubitatur 6. *Vtrum de subiecto præcognoscendum sit, quia est?*

Respondeo ex Aegidio affirmatiuè, quia præcognitio quia est, dicit rem talem esse, vt de ea aliqua passio probari possit; sed de subiecto probanda est passio, ergo de subiecto præcognoscẽdum erit quia est; de non ente enim nihil probari potest, cum non ens non habeat nec differentias, nec species, nec passiones.

Dubitatur 7. *Vtrum de dignitate præcognoscendum sit quia est?*

Respondeo ex Aegidio affirmatiuè,

ne, quia per dignitatem probatur passio de subiecto, ergo oportet supponere, quod illa dignitas sit vera, quia falsum non potest esse causa veri, & causaliter ex falsis non sequitur verum.

Dubitatur 8. *Vtrum de passione sit praecognoscendum quia est?*

Respondeo ex Aegid. quod simpliciter, & de necessitate loquendo, de passione tantum est praecognoscendum quid est, non autem quia est; contingenter tamen potest de ea praecognosci quia est; Probatur prima pars, quia si ignoretur quid est, quod dicitur nomine passionis, v.g. nomine Ecclypsis, nullam scientiã acquirere possumus de ecclypsi; ergo de passione simpliciter est pręcognoscendum quid est. Probatur secunda pars, quia potest contingere quod ante demõstrationem sciamus passionem inesse subiecto, v. g. ecclypsim inesse Lunae; nam Philosophi viderunt ecclypsim Lunae, antequam scirent causam eius, & inuestigata causa potuerunt demonstratiuè concludere, quod prius admirabantur; ergo quia ecclypsis inesset Lunae fuit ab eis praecognitum ante demonstrationem; hoc tamen fuit contingenter, non per se, quia si sciam quid importetur nomine ecclypsis, nesciam autem eam inesse Lunę; poterit haec passio per causam mihi demonstrari; ergo per se non requiritur nisi praecognitio quid nominis.

Dices: ecclypsim esse probatur per demonstrationem, ergo numquam poterit esse praecognita.

Respondeo ex Aegidio distinguo consequens, non poterit esse praecognita, vt probata per demonstrationem, & per causam conclusa, concedo; vt admirata, nego.

Dubitatur 9. *Vtrum quia est passionis sit praecognitio saltem in scientia inuenta?*

Respondeo, affirmatiuè ex Aegidio, quia in scientia inuenta deuenimus in cognitionem causae per effectus, & per passiones eiusdem causae, vt videndo talem passionem inesse quaerimus de eius causa, ergo in tali scientia inhaerentia passionis est praecognita, licet autem passio postea concludatur, hoc tamen est aliter, & aliter; nam vt est admirata, est praecognita; vt est per demonstrationem, & per causam inuestigata, est per demonstrationem conclusa.

Dubitatur 10. *Vtrum quia est sit vna, vel multiplex praecognitio?*

Respondeo ex Aegid. quod formaliter est vna praecognitio, licet materialiter sit de diuersis; probatur quia pręcognitio, quia est dicit quod res sit talis, vt de ea verificari possit passio, vel praedicatũ; sed hoc aequaliter est, & respectu subiecti, & respectu dignitatis; nam quia est subiecti, dicit quod subiectum sit tale, vt de eo verificari possint passiones; & quia est dignitatis dicit verificari praedicatum de subiecto; ergo formaliter erit vnã praecognitio, licet materialiter sit de duobus, & diuersis. Nec facit, quod aliae sint quaestiones de subiecto, seu de esse incomplexi, & de esse complexi sint plures quaestiones; quia intellectus non fertur eodem modo in quęstiones, quae exigunt scientiã perfectam, & completam; sicut fertur in praecognitiones, quae dicunt cognitionem incompletam, & imperfectam.

Du-

Dubitatur 11. *Quare quid est subiecti, & quid est passionis faciunt vnā præcognitionem, & quia est subiecti, & dignitatis faciunt similiter præcognitionem vnam?*

Respondeo ex Aegidio, quia nomen subiecti sumitur amplificatiuè, vt scilicet stare potest tam pro substantia, quam pro accidente, seu pro passione; nam de passione etiam potest aliquid prædicari; & quod est accidens vnius potest esse subiectum alterius, & ideo cum formaliter sit quasi vnum subiectum, vna est præcognitio ipsius quid; sicut enim largè sumitur subiectum, ita etiam largè sumitur quid, quo pacto etiam accidentia habere possunt quid, ideo est vna tantum præcognitio. Sic etiam quia est subiecti, & quia est dignitatis est vna tantum præcognitio; nam sicut subiectum hic sumitur, vt se extendit ad accidentia, & ipsum esse similiter largè accipitur, vt dici potest de accidentibus; ità quia est sumitur largè, vt competat etiam accidentibus; & quia esse accidentium est esse complexorum; nam quia est ecclypsis idem est, ac quia ecclypsis alteri inest; ideo quia est subiecti, & dignitatis, est vna tantum præcognitio formaliter loquendo.

Dubitatur 12. *Vtrum hæ præcognitiones requirantur in scientia inuenta, sicut in acquisita?*

Respondeo ex Aegidio affirmatiuè, quia si aliquis admirans ecclypsim Lunæ vellet eius inuestigare causam, & inuenire scientiam de ecclypsi, dicens ipsam esse per interpositionem terræ, si inueniens hanc scientiam ignorasset, & quia Luna est, & quid est Luna, nunquam sollicitus fuisset circa hanc scientiam, & nequaquam inuenisset eam.

Dices. Scientia inuenta non est doctrina, ergo non fit ex præexistenti cognitione; probatur antecedens, quia non est scientia tradita per Doctorem, & magistrum, ergo non est doctrina.

Respondet Aegidius, quod licet scientia inuenta non sit doctrina quatenus inuenienti sit per Doctorem tradita; est tamen doctrina quatenus inueniens potest eam alios docere.

Dices secundò. In scientia inuenta non est sermo, vel loquela, cum non communicetur per sermonem; ergo in hac scientia non requiritur præcognitio, quid est quod dicitur.

Respondeo ex Aegid. quod idem est, quid est quod dicitur, ac quid est quod sentitur, quia cum audimus nominari lapidem, eundem conceptum formamus nobis in intellectu, quem formamus cum sensibiliter videmus lapidem; vnde ad hoc vt in scientia inuenta præcognitio, quid est quod dicitur, reperiatur, satis est quod reperiatur, sicut reperitur, quid est quod sentitur, cum sint idem. Vnde in scientia inuenta sunt eædem præcognitiones, sed sub his terminis, scilicet, quia est quod sentitur, & quid est quod sentitur; in scientia tamen acquisita sunt eædem præcognitiones, sed sub his terminis, quid est quod dicitur, & quia est quod dicitur; quæ præcognitiones cum forment eosdem conceptus in intellectu; ideò sunt eædem.

Dubitatur 13. *Quomodo idem possit esse quid est quod dicitur, &*

& quid est quod sentitur?

Respondet Aegidius, quia scientia nostra est causata à rebus, & eadem est significata per voces; nam voces sunt signa eorum, quæ sunt in anima; ideo idem conceptus significatur per effectus, qui sentiuntur, & per voces impositas; & ob id idem est quid est quod dicitur, & quid est quod sentitur.

Dubitatur 14. *Vtrum præcognitio quia est præcedat præcognitionem quid est?*

Respondeo ex Aegidio quod in scientia inuenta quia est præcedit quid est; quia hæc scientia acquiritur per sensum, & sensus statim percipit quia est, & postea cogitat quid est; in scientia verò addiscendo acquisita præcognitio quid est, præcedit præcognitionem quia est; & probatur, quia in tali scientia primò scimus quid est quod dicitur, & postea cogitamus si est, quia audito hoc nomine hircoceruus primò cogitamus quid significet, hoc nomen; postea cogitamus si est, & si reperitur.

Dubitatur 15. *An quicquid addiscimus sit ante addiscere aliquo modo scitum, & aliquo modo ignoratum?*

Respondeo ex Aegidio affirmatiuè, quia ea quæ addiscimus vel sunt principia, vel sunt coclusiones; principia sunt nota nobis in lumine intellectus agentis, sunt enim per se nota, & statim ea probamus, vbi eadem audiuerimus; scitis enim significationibus terminorũ, vt scito quid importetur nomine totius, & nomine partis, statim concedimus per lumen intellectus agentis nobis insitum, omne totum esse maius sua parte, ideoque principia virtualiter continentur in lumine intellectus agentis. Conclusiones autem sunt notæ in principijs; quia sicut per lumen intellectus agentis principia cognoscimus; sic per principia mediante huiusmodi lumine cognoscimus conclusiones; vnde sicut habendo lumen intellectus agentis scimus principia non simpliciter & in actu, sed in potentia; sic cognoscendo principia scimus conclusiones non quidem simpliciter & in actu, sed in potentia; ergo omne quod addiscimus est aliquomodo scitum, scilicet, in potentia, & aliquo modo ignoratum, scilicet, in actu, vt docet Aristoteles.

Dubitatur 16. *An sint aliæ præcognitiones?*

Respondeo ex Aegidio affirmatiuè, quod præcognitiones sunt quasi quatuor, duæ quidem sunt sumptæ ex parte prioritatis; & huiusmodi sunt maior & minor propositio; maior quidem est præcognita prius tempore ante conclusionem; minor verò licet sit præcognita prius natura, est tamen simul cognita tempore; duæ verò sunt antè demonstrationem, vt quia est, & quid est; vndè duæ sunt præcognitiones ex parte prioritatis, duæ verò ex parte cognitionis; istæ sunt præcognitiones ante demonstrationem; illæ verò sunt præcognitiones ante conclusionem; præmissæ non habent præcognitiones quia est, & quid est; quia quid est, est incomplexorum; quia est, est dignitatum non autem præmissarum. Quando autem dicitur præcognitiones esse duas intelligitur de præcognitionibus ante demonstrationem requisitis; non

de

de præcognitionibus requisitis ante conclusionem. Hęc ex Aegidio cap. primò; vbi pariter mouet & soluit alia dubia ad intelligentiam Platonis.

§. 2.

Adducuntur, & explicantur definitiones demonstrationis?

ANtequam Aristoteles Demonstrationem definiat, definit scire sic: ***Scire est causam cognoscere, quod illius est causa, & non contingit aliter se habere.***

Postea definit demonstrationem duplici definitione formali scilicet, & materiali. Definitio formalis est. ***Demonstratio est syllogismus faciēs scire.*** Definitio materialis est. ***Demonstratio est syllogismus constans ex veris, primis, immediatis, notioribus, prioribus, causisque conclusionis.***

Deinde definit Principiū & alia, quę in definitionibus connectuntur. ***Principium est propositio immediata. Propositio immediata est, qua non est altera prior.***

Propositio est altera pars enunciationis vnum de vno significans; & est duplex, Dialectica & demonstratiua Dialectica est ***enunciatio indifferenter accipiens quamlibet partem contradictionis.*** Demonstratiua est ***enunciatio accipiens alteram partem contradictionis nempè veram*** Enunciatio est ***oratio accipiens quamlibet partem contradictionis.*** Contradictio est ***oppositio cuius non est medium secundum se.***

Exinde diuidit principium immediatum in dignitatem, & positionē; & positionem diuidit in suppositionem, & definitionem. Dignitas est ***propositio indemonstrabilis, quam necesse est habere quemlibet docendum.*** Positio est ***propositio indemonstrabilis, quam non est necesse habere quemlibet docendum.*** Suppositio est ***propositio dicens esse vel non esse.*** Definitio est ***positio non dicens esse vel non esse.***

Ostendit posteà demonstrationē constare ex veris, primis immediatis, &c. At circà istà quædam dubia cum Aegidio tango & soluo.

Dubitatur primò: *Vtrum nostrum scire sit per causam?*

Respondeo ex Aegidio affirmatiuè, & probatur primò, quia quod causatur à rebus est per res, à quibus causatur; sed scientia nostra causatur à rebus, ergo est per res, per quas causatur, ergo scientia nostra est per causam.

Secundò probatur, quia intellectus noster non potest perfectè scire, nisi perfectè quiescat, sed non potest perfectè quiescere, nisi videat & sciat, à qua causa res scitæ dependeant, ergo non potest perfectè scire, nisi videat causam rei scitæ, ergò scire est per causam.

Tertiò probatur, quia veritas effectus consistit in adæquatione cū suis principijs, non enim est verū aurum nisi quod est adæquatum suis principijs: sed scientia dicit veritatem rei, quia non scitur nisi verum; ergo hæc haberi non potest, nisi effectus adæquentur suis principijs, & in ea referantur; ergo nisi sciatur causa.

Dubitatur 2. *Vtrum ad scire requiratur cognoscere quoniam illius est causa?*

Respondeo ex Aegid. affirmatiuè, & probatur, Intellectus, qui est poten-

tentia cognoſcens, non ſtatim cognita cauſa, cognoſcit id, cuius eſt cauſa, ſed intellectus noſter eſt potentia cognoſcens, ergo cognita cauſa non ſtatim cognoſcit id, cuius eſt cauſa; ergo vt perfectè cognoſcat effectum, non ſufficit quod cognoſcat cauſam, ſed requiritur quod cognoſcat, quod talis cauſa eſt cauſa talis effectus.

Dubitatur 3. *Vtrum ad ſcirè requiratur cognoſcere, quod non contingat aliter ſe habere?*

Reſpondeo ex Aegidio affirmatiuè, & probatur, ad ſcientiam perfectam non ſufficit cognoſcere cauſam per accidens, vt quod domus ſit ædificata à muſico, nam cum cauſa per accidens contingat non eſſe, non poteſt reddere certum intellectum; ergo requiritur ſcientia cauſæ per ſe, & quæ non poſſit aliter non eſſe.

Dubitatur 4. *An id tãtum ſit ſcibile, quod non poteſt aliter ſe habere?*

Reſpondeo affirmatiuè, & probatur ex Aegidio; quia ſcientia ſpecificatur ab obiecto, ergo qualis eſt ſcientia, tale eſt obiectum ſcibile, & è conuerſo, ſed ſcientia ſimpliciter eſt per cauſam, ergo non poteſt aliter ſe habere, ergo & ſcibile erit tantum id, quod non poteſt aliter ſe habere.

Dices de corruptibilibus eſt ſciẽtia naturalis, & tamen poſſunt aliter ſe habere; ergo ſcientia & ſcibile non requirunt quod non poſſint aliter ſe habere.

R. Aegid. quod corruptibilia reſpectu corruptionis vt ſic, habent quandã neceſſitatẽ, quia corruptibilia neceſſariò corrũpũtur, ideò de eis ſub hac ratione poteſt eſſe ſcientia, licet non ſit de eis ſcientia, quatenus corruptibilitas conuenire eis poteſt contingenter ſcilicet ex aliqua accidentali cauſa.

Dubitatur 5. *Vtrum ſcire poſſit eſſe cauſa & effectus demonſtrationis?*

Reſpondeo ex Aegidio, quod non poteſt eſſe in eodem genere cauſæ, benè tamen in diuerſo; vndè ſcire eſt cauſa demonſtrationis in genere cauſæ finalis; eſt autem effectus in genere cauſæ efficientis, in quo genere demonſtratio eſt cauſa ſcire.

Dubitatur 6. *Vtrum ad ſcientiam de obiecto requiratur quod obiectum ſit?*

Reſpondeo ex Aegidio quod aliquod obiectum eſſe ſtat dupliciter, vel quia eſt actu ens, vel quia eſt res prædicamenti; ad ſcientiam de obiecto non requiritur primum, ſed ſecundum, probatur prima pars, quia nulla roſa actualiter exiſtente habemus ſcientiam de roſa; ergo ad ſcientiam non requiritur actualis exiſtentia. Secundò probatur, quia intellectus abſtrahit res ab actuali exiſtentia, ergo ad hoc vt ſciat non requiritur actualis exiſtentia.

Probatur ſecunda pars, quia ſciẽtia non eſt niſi de ente ex Ariſtotele hoc loco, ſed ens diuiditur per ſe in decem prædicamenta, ergo non eſt niſi de rebus, vt ſunt in prædicamentis: ſed in prędicamento nõ collocatur ens per exiſtentiam, ſed per quidditatem, & quidditas eſt in potentia ad exiſtentiam; ergo ad ſcientiã ex parte obiecti requiritur quod ſit res prædicamenti, non verò quod actu ſit.

Dubitatur ſeptimò. *Vtrũ ad probandam paſſionem de ſubiecto, requi-*

quiratur quod passio actu sit?

Respondeo ex Aegidio negatiuè, quia intellectus sciens abstrahit ab existentia; ergo tantum sufficit, quod passio habeat quidditatem cum ordine essētiali ad suas causas ad hoc, vt possit de subiecto probari.

Dubitatur 8. *De quo esse loquatur Aristoteles quandò dicit, oportet esse quod scitur?*

Respondeo ex Aegidio, quod loquitur de esse, non vt dicit quidditatem prædicamentorum, sed vt dicit veritatem rei, quo pacto non dicit actualem existentiam, sed tantum habitudinem prædicati ad subiectū; vt si dicatur: quid est pluuia? respondetur, est aqua guttatim cadens; vbi hoc prædicatum non dicit, quod pluuia existat, sed quod dicat habitudinem ad hoc subiectum, scilicet, ad pluuiam; & sic oportet esse quod scitur, idest, oportet quod prædicata, ex quibus conficiuntur propositiones demonstrationis, habeant habitudinem per se ad sua subiecta.

Dubitatur 9. *Quomodò demōstratio debeat esse ex veris, cum verum colligatur ex falsis?*

Respondeo ex Aegidio, quod debet esse ex veris causaliter, & propter quid, quo pacto verum non colligitur nisi ex veris, non tamen accidentaliter, & quia; nam hoc pacto ex falsis potest colligi verum. Primo modo veritas præmissarum est causa veritatis conclusionis, non tamen falsitas præmissarum est causa veritatis conclusionis; secundo tamen modo veritas conclusionis potest accidentaliter inferri ex falsitate præmissarum, non quia falsitas sit causa, sed quia ità accidit.

Dubitatur 10. *Vtrum magis singularia sint nobis notiora, quam magis vniuersalia?*

Respondeo ex Aegidio, quod aliquid potest esse nobis notius dupliciter, vel in eodem genere cognitionis, vel simpliciter, & absolutè loquendo; primo modo sunt nobis notiora magis confusa, & vniuersalia, vt dicebat Aristoteles primò phys. & 2. met. quia tam quoad intellectum, quam quoad sensum sunt nobis notiora magis confusa, & vniuersalia; vt prius per visum cognoscimus, quod aliquid sit corpus, deinde quod sit animal, deindè homo, tandem Petrus; loquendo secundo modo sic sunt nobis notiora singularia, quia absolutè, & simpliciter nostra cognitio incipit à sensu, sensus autem non appræhendit nisi singularia; ideo hæc sunt simpliciter nobis notiora. Et sic intelligitur Aristoteles in hoc capite, & tollitur contradictionis vmbra.

Dubitatur 11. *Vtrum præmissæ ingredientes demonstrationem possint esse immediatæ?*

Respondeo ex Aegidio affirmatiuè, quia immediata propositio est illa, qua non est altera prior, per quam possit demonstrari; sed præmissæ demonstrationis non habent propositiones priores, per quas possint demonstrari: ergo possunt esse immediatæ; probatur minor, quia licet dignitates sint priores illis, quia tamen dignitates sunt propositiones communes, & demonstratio non est per communia, sed per propria, ideò per dignitates probari non possunt, & per consequens sunt immediatæ.

Dubitatur 12. *Vtrum dignitates sint propositiones immediatæ?*

Re-

Respondeo ex Aegidio, quod dignitates sunt propositiones immediatæ, quatenus non habēt medium, per quod probentur; sed seipsis sunt notæ; præmissæ verò sunt immediatæ, quia non habent medium per quod probent, & concludant conclusionem. Item præmissæ possunt esse immediatæ, vel quia ità sunt propinquæ principijs, vt non possint demonstrari, vel quia ità sunt propinquæ conclusioni, quod immediatè eam inferant; dignitates autem non possunt esse immediatæ, ità vt sint propinquæ conclusioni, quæ concluditur, tunc enim ingrederentur demonstrationem secūdum substantiam, & formaliter, quod esse non potest cum demonstratio non sit per communia, sed per propria.

Dubitatur 13. *Quomodo differant propositio, enunciatio, problema, conclusio?*

Respondeo quod problema est oratio dubitabilis vtramque partem contradictionis accipiens, vt v. g. si dicatur; putasne animal gressibile bipes sit definitio hominis, vel non? hæc est problema. Conclusio est altera pars problematis per syllogismum dialecticum conclusa. Enunciatio dialectica est oratio accipiens quamlibet partem simul ante syllogismum. Propositio dialectica est oratio accipiens quamlibet partem enunciationis non simul, sed indeterminatè; potest enim propositio dialectica accipere quamlibet partem contradictionis, cum dialecticus habeat viam ad probandā quam partem voluerit. V. G. si dicatur: omnis homo est animal, vel non est animal! est enunciatio. Si dicatur: omnis homo est animal; est propositio dialectica, sic etiam si dicatur: omnis homo non est animal; potest enim vtramque partem accipere; non accipit tamen nisi alteram indeterminatè; quia propositio est præmissa posita in syllogismo, in quo non ponitur nisi altera pars enunciationis, & ideo dicitur ab Aristotele, quod propositio est altera pars enunciationis. Propositio dialectica differt à propositione demonstratiua; quia illa accipit alteram partem indeterminatè; hæc verò accipit determinatè vnam partem, idest, partem veram.

Dubitatur 14. *An contradictio sit oppositio, cuius non est medium secundum se?*

Respondeo ex Aegid. quod medium vel est secundum formam, vel secundum subiectum. Contraria mediata, vt sunt album, & nigrum habent medium tam secundum formam, quam secundum subiectum; habent secundum formam, quia inter album, & nigrum reperitur media forma, & medius color, scilicet, color fuscus, vel pallidus; habent secundum subiectum, quia reperitur subiectum, quod est sine omni colore, vt aer, vel aqua. Contraria immediata, & opposita priuatiuè habent medium secundum subiectum, quia reperitur subiectum aliquod, quod nec est sanum, nec ægrum, vt lapis, & ferrum; non tamen habent medium secundum formam; quia inter sanum, & ægrum non datur dispositio media; sic etiam in priuatiuis, nam inter vitam, & mortem, inter videntem, & cæcum non datur forma media: datur tamen subiectum medium, quia lapis non est nec cæcus, nec videns.

Contradictoria verò nec habent medium secundum formam, quia inter affirmationem, & negationem non reperitur forma media: nec secundum subiectum, quia nullum reperitur subiectum de quo non verificetur affirmatio, vel negatio, imò etiam de ipso nihilo verificatur hoc vel illud, & ideo contradictoria dicuntur esse secundum se opposita immediata, quia inter ea nullum reperitur medium, & sunt ratio quare alia opposita participent de immediatione, quia semper vnum oppositorum habet rationem affirmationis, aliud verò rationem negationis.

Dubitatur 15. *An dignitas sit propositio, quā necesse est habere quemlibet docendum?*

Respondeo affirmatiuè, quia dignitates fundantur in terminis communibus, qui innotescunt in lumine rationis, & in ipso vsu rationis, & quia nullus potest aliquem docere ante vsum rationis, ideo oportet, quod discipulus sit instructus in huiusmodi communibus, antequam addiscat scientiam: positio verò cum fundetur in terminis specialibus, nō est necesse, quod quilibet docendus eam præhabeat, possumus enim habere vsum rationis, & fieri discipuli antequam simus instructi circà propria.

Dubitatur 16. *Vtrum dignitas, & positio sint eodem modo propositiones immediatæ?*

Respondeo negatiuè, quia dignitates sunt immediatæ, quia simpliciter non habent aliquas propositiones priores, per quas probentur: Positiones verò sunt immediatę non quia simpliciter non habeant propositiones priores, sed quia non habent aliquas propositiones priores, per quas in illa scientia, in qua sunt positiones, demonstrari valeāt.

Dubitatur 17. *Quomodo differant suppositio, & definitio?*

Respondeo, quod suppositio dicit esse, vel non esse, & sic significat verum, vel falsum: Definitio autem non dicit esse, vel non esse: seu suppositio accipit esse compositiuè, definitio verò accipit esse tantum expositiuè: vt si dicatur: quid est pluuia? respondetur, est aqua guttatim cadens, hæc est definitio, & in ea ly est sumitur expositiuè, quia non dicit pluuiam esse, vel non esse, sed tantum quid significetur nomine pluuiæ.

Dubitatur 18. *An verum sit illud Axioma Aristotelis; Propter quod vnumquodque tale, & illud magis?*

Respondeo quod est verum in his, quæ habent ordinem essentialem, & in causis principalibus, & per per se: non in causis instrumentalibus, & per accidens: nam si aliquid est causa principalis, & per se, vel habet illud magis, vt in causis vniuocis, vel habet illud excellentius, vt in causis æquiuocis. Vndè arguendum est sic, si aliquid est calidum propter solem: ergo sol, vel est magis calidus, vel habet aliquid excellentius calore, & hoc secundum est verum, quia est causa æquiuoca, & principalis. Sic etiam si aliquid est album propter albedinem, ergo albedo, vel est magis alba, vel habet aliquid excellentius albo, & hoc secundum est verum, quia albedo habet prædicationem essentialem, quæ est maior prædicatione denominatiua: nam albedo est albedo essentialiter, quæ prædicatio est excellentior,

tior, quam sit prædicatio denominatiua, qua dicitur albedo est alba.

Dices: motus est causa caloris, & tamen non est magis calidus: ergo &c.

Respondet Aegidius, quod motus est causa instrumentalis, & per accidens respectu caloris, in his autem axioma non est verum.

Dices: Ignis genitus est calidus propter ignem generantem, & tamen ignis generans non est magis calidus.

Respondeo ex Aegidio, quod inter ea, quæ sunt eiusdem speciei non est ordo essentialis, ideò hæc propositio non habet veritatem inter ignem, & ignem: sed inter ignem, & ignita. Est autem vera respectu conclusionum, quia principia sunt causæ per se notitiæ conclusionis, & conclusio essentialiter dependet à notitia principiorum.

Dubitatur 19. *Vtrum principiorũ sit scientia, seu an possimus dicere nos scire principia?*

Respondeo quod propriè loquẽdo nõ potest dici, quod aliquis sciat principia, quia semper motus ille, in quem primò fertur potentia, sortitur nomen potentiæ, eo quod sit potentiæ proximus: nam quia voluntas primò fertur in finem, deinde in media, ideo motus, & appetitus finis, dicitur voluntas: motus verò in media, dicitur electio. Sic etiam, & parte intellectus: nam quia intellectus immediatè fertur in principia, deindè in conclusiones, ideo motus ille primus dicitur intellectus, & sic cognitio principiorũ non est scientia, sed intellectus: motus verò, seu cognitio conclusionũ, dicitur scientia. Largè tamen loquendo de scientia, accipiendo eam pro omni certa cognitione, potest dici quod principia sciantur, quia certissimè cognoscuntur.

Dubitatur 20. *An verum sit, quod principia cognoscamus in quantum terminos cognoscimus?*

Respondeo affirmatiuè, quia principia sunt propositiones maximæ, seu dignitates, & sunt notæ per se, idest, per causam existentem in ipsis, quia in ipsis habent causam suæ notitiæ, cum componantur ex talibus generalibus terminis, quod eorum significatione nota statim eis assentimus; nam scito quid importetur nomine totius, & quid nomine partis: nempè scito quod totum est tantumdem, & amplius, quam sua pars: statim intellectus assentitur huic propositioni: totum est maius sua parte.

Rogas. *An ad scientiam requiratur resolutio in prima principia?*

Respondeo quod ad sciendum scientificè, & non modo idiotæ, requiritur resolutio conclusionis vsque ad primam causam: nam modus scientificus requirit, vt conclusionem, quam volumus scire, scientificè resoluamus in præmissas: præmissas in suppositiones, suppositiones in dignitates, dignitates omnes in dignitatem communissimam, scilicet, de quolibet verum est affirmare, vel negare: hanc autem debemus scire resoluere in ens, vel esse: ens autem, vel esse, in ens primum: & qui hunc modum reductionis ignorat, licet possit aliqua scire more idiotarum, quorum est arguere, & ratiocinari sine arte, nihil tamen sciẽtificè scire potest.

Dé

§. 3.

De his ex quibus debet constare demonstratio.

AGit Aristoteles de propositionibus de omni, per se, & secundum quod ipsum, ex quibus debet componi demonstratio. Propositio de omni est enunciatio, quæ verificatur de omni contento sub subiecto, et pro omni tempore, vndè requirit vniuersalitatem temporum, & subiectorum. Propositio per se est enunciatio importans per se habitudinem prædicati ad subiectum. Propositio vniuersalis, vel secúdum quod ipsum est enunciatio, in qua passio vniuersaliter adaptatur subiecto. Circa quæ

1. Dubitatur primò. *An dictum de omni prioristicum differat à dicto de omni posterioristico?*

Respondeo affirmatiuè, quia dictum de omni prioristicum exigit tãtum vniuersalitatem subiectorum, idest, quod nihil sit sub subiecto, de quo prædicatum nó dicatur; Dictum de omni posterioristicũ exigit tam vniuersalitatem subiectorum, quam temporum, idest, quod nihil contineatur sub subiecto, de quo prædicatum pro omni tempore non dicatur: & ratio est, quia primum dictum est de propositionibus de inesse, vt nunc, quia est commune ad syllogismum topicum, & demonstratiuũ, ideò tantum petit vniuersalitatem subiectorum; dictum de omni posterioristicum constat ex propositionibus de inesse simpliciter, quia constat ex necessarijs, & quia hæ propositiones insunt omni, et semper, ideo dicit vtramque vniuersalitatem.

Dubitatur 2. *Vtrum dictum de omni sit idem, quod propositio vniuersalis?*

Respondeo quod simpliciciter & directè non est idem; nam dictum de omni, vel de nullo tantum reperitur in prima figura; propositio verò vniuersalis reperitur etiã in alijs figuris, nõn tamen dictum de omni: quia secunda figura v.g. non regulatur per dictum de omni, vel de nullo; sed per hoc principium: Quicquid remouetur à prædicato, remouetur etiã à subiecto; & tamen secũda figura habet propositiones vniuersales. Item dictum de omni sumptum materialiter prout scilicet, est propositio componens demonstrationẽ, est idem quod propositio vniuersalis; sumptum verò formaliter non est idem; nempè sumptum, vt est principium includens ordinem syllogisticum, non est idem: Item propositio vniuersalis virtualiter est dictum de omni; dictum verò de omni vt est principium formale, actualiter & simpliciter includit ordinem syllogisticum.

Dubitatur 3. *Vtrum modi dicendi per se sint tantum quatuor?*

Respondeo affirmatiuè, quia modi dicendi per se sumuntur per habitudinem ad causam; ergo tot sunt modi dicendi per se, quot sunt habitudines ad causam, sed hæ sunt tantùm quatuor; ergo &c. probatur minor, quia vel est habitudo ad causam positiuè, vel negatiuè, illud enim etiam est per se quod non habet causam; si sit primo modo, sic sumuntur três modi dicendi per se; quia vel est habitudo ad causam formalem, & facit vnum modum; vel ad causam materialem, & facit aliũ mo-

modum, vel est ad causam efficientem & finalem, & facit tantum vnũ alium modum; vel est habitudo per negationem causæ, & facit alium modum; & quia habitudo ad causam non multiplicatur amplius, ideò nec modi dicendi per se. Si sit habitudo ad causam formalem est primus modus, si ad causam materialem, est secundus; si ad negationem causæ est tertius; si ad causam efficientem & finalem, est quartus.

Primus modus dicendi per se, est quando prædicatum est de essentia subiecti: vel vt tota definitio, vel vt pars definitionis; & quia definitio dicit quidditatem, quæ pertinet ad causam formalem: ideò primus modus sumitur per habitudinem ad eam.

Secundus modus est, quando subiectum est de ratione, & definitione prædicati, & quia subiectum respectu passionis pertinet ad causam materialem, ideò & secundus modus.

Tertius modus est idẽ ac esse per se, seu non esse in alio, quo pacto primæ substantiæ sunt per se; ideò sumitur per negationem causæ.

Quartus modus est, quando assignatur causa per se ordinata ad talem effectum, quod est in causa efficienti & finali, nam efficiens per se ordinatur ad effectum secundum intentionem, ad quam intentionem quia concurrit finis, ideò hæ duæ causæ faciunt vnum modum. Vt si dicatur: strangulatus interijt, est per se, quia strangulatio ad talem effectum ordinatur. Si dicatur: fodiens terram pro sepulchro, inuenit thesaurum, est per accidens, quia est præter intentionem fodientis: hæc enim erat per se ad faciendum sepulchrum.

Dubitatur 4. *Vtrum definitio & pars definitionis pertineat ad primum modum dicendi per se; cum sint diuersa prædicata ex top, genus enim & definitio sunt diuersa prædicata?*

Respondeo esse diuersa prædicata quatenus sumuntur per prædicari ad conuertentiam, & non ad conuertentiam, definitio enim dicitur ad conuertentiam cum definito, nõ tamen genus. Sunt eadem prædicata, quatenus sumuntur secundum prædicari essentialiter, vel non essentialiter, quia tam definitio, quam pars prædicatur essentialiter, & sic pertinet ad eumdem modum prædicandi per se.

Dubitatur 5. *An propositio in qua definitum prædicatur de definitione, vt animal rationale est homo, sit in primo modo?*

Respondeo quod non est in primo modo directè, sed per reductionem; quia quando subiectum habet rationem formæ, non est prædicatio directa, vt est in dicta propositione, ideò non est directè in primo modo, sed indirectè; Idem dicendum est in secundo modo dicendi per se: nam hæc est directa, homo est risibilis; hæc indirecta, risibile est homo.

Dubit. 6. *An quicquid dicitur de subiecto sit accidẽs, vt dicit Aristoteles, cum secundæ substantiæ dicantur de primis, & tamen sint substantiæ?*

Respondeo, quod aliquid potest esse accidens dupliciter, vel ratione rei, vt quia eius natura est accidens, sic sunt alia prædicamenta à substantia, vel ratione modi, quia scilicet

cet

cet habent quemdam modum accidentalem, & sic secundæ substantiæ dicuntur accidentia, quia cum non per se existant, sed in primis, videntur habere modum quemdam accidentalem.

Dubitatur 7. *In quo differat tertius modus ab alijs?*

Respondeo, quod differt à primò & secundò, quia isti duo sunt modò per se prædicandi & complexi, & dicentes, habitudinem ad causam positiuè; Tertius verus est modus per se essendi & incomplexus, & dicit ordinem ad causam negatiuè; differt à quarto, quia tertius dicit habiudinem ad causam negatiuè, quartus verò positiuè.

Dubitatur 8. *Vtrum omnes quatuor modi dicendi per se deseruiant demonstrationi?*

Respondeo, quod in demonstratione est conclusio, Principium & medium; Principium demonstrationis est definitio subiecti, nam quod quid est ex primò de anima tex. 11. est principium omnis demonstrationis; non tamen est medium, quia subiectum est causa plurium passionum, quæ in eo insunt, & ideò si conclusio probaretur per definitionem subiecti tamquam per medium plures conclusiones probarentur demonstratiuè per idem medium, quod est impossibile, quia cum demonstratio fit ex proprijs, vna passio non potest nisi per vnũ medium demonstrari, & vnum medium non potest deseruire propriè, nisi ad vnam passionem demonstrãdam; definitio ergo subiecti est principium, non verò est propriè medium. Medium est causa per se respectu passionis; conclusio dicit passionem probatam de subiecto: Quod cum ita sit, tres iam modi inseruient demonstrationi, primus modus concurrit tamquam principium demonstrationis, quia quod quid est, vel definitio est principium omnis demonstrationis; secundus concurrit tamquam conclusio, quia in conclusione adaptatur propria passio suo subiecto, qui est secundus modus dicendi per se; Quartus tamquam medium, quia in quarto exprimitur per se causa passionis, quæ est medium demonstrationis: Tertius etiam, qui est modus per se existendi, quatenus nostra cognitio ortum ducit à sensu & sensibilibus: & quia sensibilia fundantur in primis substantijs, quæ habent per se esse, ideò etiam tertius modus vtilis erit ad demonstrationem, quasi via in demonstrationem.

Dubitatur 9. *Vtrum propositio de per se & de omni sit eadem?*

Respondeò negatiuè, licet enim vtraque dicat necessariam habitudinem ad subiectum, propositio tamen de omni dicit habitudinem ad subiectum causatum ex principijs indiuidui: ideò licet ex tali habitudine fieri possit propositio de omni; non tamen erit per se; propositio autem per se dicit habitudinem necessariam causatam ex principijs speciei, ex qua fit non tantum propositio de omni, sed etiam per se. Ex prima habitudine non potest sumi propositio per se, quia illa necessitas non est per causam per se, idest, existentem in sua quidditate & essentia, sed per causam extrà essentiam, nam cum oriatur ex principijs indiuiduantibus, quæ princi-

pia sunt extrà essentiam rei, non potest esse necessitas per se; secunda tamen necessitas oritur ex principijs intrinsecis, & ex causa inexistente, scilicet, ex essentia rei: ideò est necessitas per se. Ex quo fit, quod hæ propositiones Coruus est niger, Aethiops est niger, sint de omni non tamen per se, cum nigredo non oriatur ex principijs essentiæ & speciei, sed ex principijs indiuiduantibus, & ex complexione indiuiduorum.

Dubitatur 10. *Vtrum idem sit per se, & secundum quod ipsum?*

Respondeo, ex Aegid. pag. 28. col. p. quod non sunt simpliciter idem, sed se habent sicut superius & inferius: nam in plus est per se quam secundum quod ipsum; nam idem est per se, ac per causam existentem in se, sed tunc est secundum quod ipsum quando illa causa est in eo præcisa, & adæquata, & competit ei secundum quod huiusmodi: vt per se est homo sensibilis, quia in se habet naturam sensibilem, propter quod habet in se causam, vt sit sensibilis, sed non est secundum quod ipsum, quia huiusmodi causa non præciditur in homine, nec ei adæquatur, imò alia multa ab homine sunt sensibilia, & ideo esse sensibile non competit homini secundum quod ipsum, quia non competit ei secundum quod homo, sed secundum quod animal: & per consequens in plus est esse per se, quam secundum quod ipsum.

Dubitatur 11. *An idem sit primò, & secundum quod ipsum?*

Resp. Ex Aegidio pag. 28. col. 2. quod vt hic Philosophus loquitur de primò, est idem primò, & secundum quod ipsum, quia quidquid competit alicui primò, competit ei secundum quod ipsum, & è conuerso: vnde non est differentia realis inter illa, sed fortè tantum differentia secundum rationem, & modum intelligendi, sicut est differentia inter ens, & vnum: nam licet omne ens sit vnum, & è conuerso; ratio tamen entis consistit in positione, at ratio vnius quod conuertitur cum ente consistit in negatione; nam quælibet res est hoc, & non aliud, & in quantum est hoc, dicitur esse ens: in quantum verò non est aliud, vt prout est indistincta à se, & distincta ab alia dicitur esse vna: sic & in proposito quod competit alicui secundum quod ipsum competit primò; ratio tamen eius, quod est secundum quod ipsum sumitur positiuè; ratio verò eius, quod est primò sumitur negatiuè, vt triangulus habet tres secundum quod ipsum, & primò, sed dicitur hoc habere secundum quod ipsum, prout habet hoc vt triangulus, sed quia non habet hoc ab alio dicitur habere primò, vndè non differunt realiter, sed secundum modum intelligendi prout vnum sumitur positiuè, aliud negatiuè. Sed hæc satis ex Aegidio à pag. 6. ad 28. plura si vis, lege ipsum.

§. 4.

Ex quibus non contingat demonstrare, & scire.

Relicto cap. 5. in quo Aristoteles remouet errores circa vniuersale, aut secundum quod ipsum, ostendit deinceps per quinque capita ex quibus, & qualibus non con-

tingat scire, & per consequens demonstrare; cùm enim ad perfectionem artis non sufficiat scire, quæ oportet accipere, sed etiam à quibus necesse sit cauere, ideo ad perfectam cognitionem syllogismi demonstratiui non sufficiet scire quas propositiones oporteat accipere, sed etiam à quibus necesse sit cauere. Hinc Aristoteles in 6. cap. docet quod non contingit scire ex his, quæ possunt aliter se habere.

In 7. docet quod non contingit scire ex his, quæ sunt per accidens.

In 8. quod non contingit scire ex extraneis.

In 9. quod non contingit scire ex corruptibilibus.

In 10. quod non contingit scire ex communibus.

Singula autem hæc probantur âb Aristotele, & Aegidio, & primum pr. primo sic.

Demonstratio est ex necessariis: ergo est ex his, quæ non possunt aliter se habere: pr. ant. ea quæ sunt per se, sunt necessaria, sed demonstratio est ex his, quæ sunt per se, est enim ex propositionibus, vel in primo, vel in secundo modo dicendi per se: ergo est ex necessarijs: ergo ex his, quæ non possunt aliter se habere.

Secundo quia, quod demonstratiuè concluditur, est ex necessarijs, & non potest aliter se habere: ergo præmissæ sunt necessariæ, & per cõsequens demonstratio erit ex necessarijs: syllogizare enim possumus ex extraneis non tamen demonstrare.

Secundum probat. 1. quia ea ex quibus est demonstratio sunt necessaria, & non possunt aliter se habere: sed accidentia, maximè separabilia, non sunt necessaria, & contingunt non esse: ergo ex eis non poterit fieri demonstratio.

Secundò quia, in vnoquoquè genere demõstratio fit ex necessarijs, ex his quæ sunt per se, & secundùm quod ipsum: sed accidentia nõ sunt huiusmodi: ergo &c.

Tertium probat 1. quia quidquid habet proprium genus circa quod insistit, non descendit de genere in genus; sed demonstrationes habent proprium genus circa quod insistũt: ergo non descendunt de genere in genus: ergo non sunt ex extraneis.

Secundò quia, quidquid accipit ea, quæ sunt per se, & accipit media conuenientia extremis, non descendit de genere in genus; sed quælibet scientia, & demonstratio accipit ea, quæ sunt per se, & accipit media conuenientia extremis: ergo non descendit de genere in genus: ergo non procedit ex extraneis.

Tertiò quia, quidquid non considerat nisi passiones, quæ insunt subiecto secundum quod huiusmodi, & insistit circa proprium subiectum, non descendit de genere in genus; sed nulla scientia, vel demonstratio pertinens ad eam, cõsiderat nisi passiones, quæ insunt vel subiecto, vel partibus subiecti secundum quod huiusmodi: ergo &c.

Quartum probat, quia demonstratio quæ accipit propositiones vniuersales habet conclusionem perpetuam; sed omnis demonstratio accipit propositiones vniuersales: ergo habet conclusionem perpetuam: ergo non potest esse ex corruptibilibus.

Secundò quia, quæ per se non com-

comparantur ad ſcientiam, & demonſtrationem, eorũ non eſt ſcientia, nec demonſtratio; ſed corruptibilia ſunt huiuſmodi: ergo &c.

Tertiò, quæ non habent præmiſſas vniuerſales, & de omni, illa non poſſunt demonſtrari; ſed corruptibilia ſunt huiuſmodi: ergo &c.

Vltimũ probatur 1. quia quod facit ſcire debet eſſe ex principijs proprijs; ſed demonſtratio facit ſcire: ergo debet eſſe ex principijs proprijs, non ex communibus.

Secundò, quia principia quæ non ſunt proxima, ſicut erant principia, per quæ Brito volebat quadrare circulum; talia non faciunt ſcire ſecundum quod ipſum, ſed per accidens, & per talia non eſt demonſtratio; ſed principia communia non ſunt proxima, nec faciunt ſcire ſecundum quod ipſum, ſed per accidens: ergo &c.

Tertiò, quia demonſtratio non eſt ex his, quæ ſunt per accidens, nec ex extraneis, ſed ex principijs illius rei ſecundùm quod eſt talis: ergo non erit ex communibus. Verum circa ea, quæ ex Ariſtotele dicta ſunt.

Dubitatur 1. ***An ea, quæ ſunt per ſe ſint neceſſaria?***

Reſp. ex Aegidio pag. 31. col. 4. ea quæ ſunt ſic per ſe, vt ex eis poſſit fieri demonſtratio, non eſſe neceſſaria ſub conditione, ſicut neceſſe eſt hominem currere, dum currit; eſſe tamen vel neceſſaria ſimpliciter, ſicut neceſſe eſt triangulum habere tres, vel eſſe neceſſaria per relationem ad cauſam, ſicut neceſſe eſt ecclypſim eſſe dum interponitur terra, quæ interpoſitio eſt cauſa ecclypſis, vel eſſe neceſſaria non ſecundùm actum, ſed ſecundùm aptitudinem, ſicut neceſſe eſt hominem eſſe riſibilem, etiam ſi non ſemper rideat.

Dubitatur 2. ***An primus, & ſecundus modus dicendi per ſe dicant habitudinem neceſſariam?***

Reſp ex Aegidio pag. 31. primum modum dicere habitudinem neceſſariam ſubiecti ad prædicatum, eo modo, quo definitum dicit habitudinem neceſſariam ad ſua principia definientia: ſecundum verò dicere habitudinem neceſſariam prædicati ad ſubiectum, & è conuerſo; non tamen eodem modo, quia prædicatum dicit neceſſariam habitudinem ad ſubiectum quanùm ad eſſe, & quantùm ad intelligi, cùm propria paſſio nec ſit, nec poſſit intelligi ſine ſubiecto: ſubiectum verò dicit neceſſariam habitudinem ad prædicatum non quantùm ad intelligi, ſed quantùm ad eſſe; poteſt enim intelligi ſubiectum non intellecta paſſione, ſed non poteſt eſſe ſine ea; ex quo fit quod primus modus ſit neceſsarius, quia ibi ſubiectũ, & quantùm ad eſſe, & quantùm ad intelligi habet neceſsariam habitudinem ad prædicatum; ſecundus verò eſt neceſsarius, quia ſubiectum non poteſt eſse ſine propria paſſione, licèt ſine ea poſſit intelligi.

Dubitatur 3. ***An concluſio neceſſaria poſſit ſequi ex non neceſſarijs, ſicut concluſio vera poteſt ſequi ex non veris, ſed ex falſis?***

Reſp. ex Aegidio pag. 32. quòd ſicut ex falſis non ſequitur concluſio vera propter quid, ſed tantùm quia, & in inferendo; ità ex contingentibus non ſequitur concluſio neceſsaria propter quid, ſed tantùm quia; contingentia enim non poſ-

ſunt eſse cauſa neceſsariorum, quia verò demonſtratio eſt ex cauſis non ſolum in inferendo, ſed etiam in eſſendo; ideo demonſtratiuè non poteſt ſequi concluſio neceſsaria ex non neceſsarijs; ſed tantum poteſt ſequi ſyllogiſticè, vt dicitur in textu.

Dubitatur 4. ***Quarè ſi præmiſſa ſunt vera concluſio eſt vera, ſi tamen concluſio eſt vera non ſequitur, quod præmiſſa ſint vera?***

Reſp. ex Aegidio pag. 33. col. 2. quod ſyllogiſmus eſt conſequentia quædam, in qua præmiſsæ ſe habent, vt antecedens, & concluſio vt conſequens: ex conſequentia autem duobus modis contingit benè argumentari, & duobus malè: nam à poſitione antecedentis, et à deſtructione conſequentis eſt argumentatio bona; à deſtructione autem antecedentis, & à poſitione conſequentis eſt mala; ideo ſi præmiſsæ ſunt verę, vel neceſsariæ oportet quod concluſio ſit neceſsaria, & vera; quia ſic argumentum procedit à poſitione antecedentis, vt ſi ſunt præmiſsæ eſt concluſio: rurſus ſi concluſio non eſt vera, nec neceſsaria, nec præmiſſæ, quia ſic arguimus à deſtructione conſequentis. Non tamen valet, ſi præmiſsæ non ſunt veræ: ergo nec concluſio: quia ſic arguimus à deſtructione antecedentis: nec valet, ſi concluſio eſt vera: ergò & præmiſsæ, quia ſic arguimus à poſitione conſequentis.

Dubitatur 5. ***An metaphyſica, & dialectica probando principia aliarum ſcientiarum tranſcendant de genere in genus?***

Reſp. negatiuè ex Aegid. pag. 35. col. 2. quia tranſcendere de genere in genus non eſt aliud quam intendere circa ea, quæ ſunt alterius ſcientiæ; ſed probare principia aliarum ſcientiarum non eſt intendere, quod pertinet ad ſcientias ſpeciales; immò hoc eſt proprium metaphyſicæ, & dialecticæ, illius quidem ſecúdum veritatem, huius autem ſecundum probabilitatem: ergo dum principia aliarum ſcientiarum probant non tranſcendunt genus proprium, ſed faciunt quod ad eas ſpectat.

Dubitatur 6. ***Quomodo corruptibilium eſt ſcientia per accidens?***

Reſp. ex Aegidio pag. 36. quod ſicut viſus eſt per ſe coloris, per accidens verò eſt lapidis, vel ferri, vel alterius corporis, in quo eſt color; ſic ſcientia per ſe eſt ipſius quidditatis, cum ſpecies, per quam intellectus cognoſcit, ſit abſtracta ab hic, & nunc, & à conditionibus particularium, & corruptibilium, per accidens verò eſt particularium, in quibus habet eſſe huiuſmodi quidditas, & ſic corruptibilium dicitur eſſe ſcientia per accidens.

Dubitatur 7. ***An ſcientiæ ſubalternatæ demonſtrent ſimpliciter per propria principia?***

Reſp. ex Aegidio pag. 38. col. 4. quod ſi volumus videre qualiter huiuſmodi ſcientię demonſtrent, oportet nos per exemplum perſpectiuæ manuduci: ſi ergo perſpectiuus vult probare hanc paſſionem de oculo, quod de re viſa videbitur oculum dextrum eſſe dextrum, & ſiniſtrum eſſe ſiniſtrum; hoc probabit ex eo quod dextra pars rei viſæ diametraliter imprimit ſimilitudinem ſuam in dextram partem oculi, & ſiniſtra in ſiniſtram: probabitur ergo hæc paſſio perſpectiua de ſubiecto perſpectiuo non per medium geometricũ, ſed

ſed per medium proprium, vt quia ſic imprimit, de quibus impreſſionibus non ſe intromittit Geometra; quod tamen talis impreſſio ſic fiat, declarabit per ſimilitudinem angulorum, quam ſimilitudinem declarare ſpectat ad Geometram: vndè in talibus aliquid eſt, quod eſt purè geometricum; aliquid quod eſt purè perſpectificum, & aliquid quod non eſt perſpectiui in ſe conſiderati, ſed vt ſubijcitur geometriæ, nec eſt geometræ ſimpliciter accepti; ſed eſt eius vt deſcendit in perſpectiuam; nam determinare de ſimilitudine angulorum ſecundum ſe eſt purè geometricum, probare verò huiuſmodi viſionem de oculo per huiuſmodi impreſſionem: eſt purè perſpectificum; ſed ad probãdam hanc impreſſionem eſſe talem per ſimilitudinem angulorum; quod eſt adaptare id, quod determinatum eſt in geometria ad materiam ſpecialem, vt ad oculum, de quo conſiderat perſpectiuus; hoc inquam non ſpectat ad geometram ſecundum ſe conſideratum, ſed vt deſcendentem in perſpectiuam; ſic etiam adaptare ad ſpecialem materiam non eſt perſpectiui, vt perſpectiuus eſt, ſed vt regulatus per ſuperiorem artificem: ſcientiam ergo ſubalternatam vti propoſitionibus ſcientię ſubalternãtis non eſt aliud, quam propoſitiones alias ad ſpeciales materias applicare, & tunc ſubalternata docet de propoſitionibus illis ſic applicatis, *quia ita eſt*; quarum *propter quid*, ſuperior artifex demõſtrabit, in hoc ergo quod ſic applicat non propria demonſtrat perſpectiuus, & paſſio illa, nempe facere tales angulos, nõ eſt per ſe ipſius ſubiecti perſpectifici, nec eſt lineæ viſualis, vt viſuali eſt; ſed eſt magis lineæ ſecundum abſtractionem ſumptæ: ſed quando paſſio eſt perſpectifica, & ſubiectum eſt perſpectificum, oportet quod etiam medium ſit perſpectificum, & ſic ſcientiæ ſubalternatæ quodammodo demonſtrant ex proprijs, ſicut & aliæ: hinc fit per locum à minori, quod ſi in his verificatur, quod non procedunt ex extraneis, nec ex communibus, ſed ex proprijs, multo magis hoc verificabitur in alijs.

Dubitatur 4. *Quare communia non faciunt ſcire?*

Reſp. ex Aegidio pag. 38. col. 4. quod ſicut res ſe habet ad eſſe, ſic ſe habet ad cognoſci, & illum eundem modum, quem videmus in productione rerum, videmus etiam in acquiſitione ſcientiæ: ſicut enim ad productionem oliuæ non ſufficit ſola virtus Solis, quæ eſt virtus communis ad omnia generabilia; ſed requiritur etiam virtus pullulatiua oliuæ, quæ eſt cauſa propria eius; & tamen virtus pullulatiua nihil ageret, niſi roborata per virtutem Solis, ſic communes animi conceptiones non aggenerant ſcientiam, ſed oportet quod ibi ſint principia propria; ipſa tamen principia propria nihil concluderent, niſi eſſent roborata per communia: & ſicut virtus Solis videtur fortè ſufficere ad generandum aliqua imperfecta, vt ad generandum ea, quæ ſunt ex putrefactione, ad generandum autem animalia perfecta non ſufficit virtus Solis ſine proprio ſemine: ſic ad generandam in nobis cognitionem imperfectam, v. g. opinionem, ſufficiunt communia; ſed ad generandam in nobis cognitionem perfectam, & ſcien-

ſcientificam ſimul cum communibus requiruntur proxima, & propria principia.

§. 5.

Definiuntur, & diuiduntur principia, & oſtenditur quomodo ſcientia ad ea ſe habeant.

DIctum eſt in ſuperioribus demonſtrationem non poſſe cõſtare ex principijs communibus, ſed debere conſtare ex proprijs, nũc ad horum principiorum cognitionem de eis cum Ariſtotele, & Aegidio dicendum eſt.

Definiuntur autem principia ſic. Principia in vnoquoque genere ſunt illa, quæ demonſtrari non poſſunt; vnde hæc erit differentia inter principia, & alia ad ſcientiam pertinentia, quod illa ſupponuntur eſſe, cœtera verò demonſtrantur.

Diuiduntur autem quia quædam ſunt communia, & quædam propria: principia communia ſunt communes animi conceptiones, vt ſi ab æqualibus æqualia demas, cœtera quæ remanent ſunt æqualia: & de iſtis tantùm accipit ſcientia quantum ſpectat ad genus proprij ſubiecti; cum enim ſcientia non indigeat vltra ſuum ſubiectum, ideo ea non accipit, niſi vt ſpectant ad genus ſui ſubiecti. Principia propria ſunt propriæ definitiones ſpecialium terminorum, quibus vtitur ſcientia, vt in geometria principia propria ſunt definitiones lineæ, circuli, &c.

Principia communia, vt v. g. dignitates differunt à poſitionibus, & ſuppoſitionibus: quia dignitas eſt illa, quæ neceſſe eſt eſſe propter ſe ipſam, & neceſſe eſt videri propter ſe ipſam .i. Dignitas eſt illa quæ in ſe ipſa habet cauſam ſuæ neceſſitatis, & veritatis, cum circa ipſam non contingat inſtare: vt petitio, & ſuppoſitio non habent in ſe cauſam ſuę neceſſitatis, & veritatis, & ideo demonſtrabiles ſunt, nec eis aſsentitur intellectus per ſe ipſas, ſicut aſsentitur dignitatibus.

Inter dignitates præcipuum locũ ſibi vendicat hoc principium. *Non contingit ſimul affirmare, vel negare.* Hoc tamen principio nulla demonſtratio oſtenſiua vtitur, ſed tantùm demonſtratio ducens ad impoſsibille, quæ etiam non vtitur eo in ſua communitate, ſed quantum ſufficit, & requirit genus ſui ſubiecti.

Quod attinet ad conuertentiam, & differentiam ſcientiarum circa principia communia, docet quòd omnes ſcientiæ in hoc conueniunt, quod .ſ. probant aliquid per ipſa communia principia: differunt tamen quia ſcientię ſpeciales nec poſſunt probare principia, nec aliquid de ipſis principijs: ſcientiæ verò communes vt metaphyſica, & dialectica, quæ aliquo modo eſt ſcientia communis, habent viam aut ad probanda ipſa principia, aut ad probandum aliquid de ipſis. Circa autem principia propria ſcientiæ ità ſe habent, vt vnaquæquè habet proprias propoſitiones, & interrogationes, & proinde alia eſt propoſitio, & interrogatio geometrica, alia medicinalis. Plura habet Ariſtoteles à cap. 11. ad 14. incluſiuè hac de re; ſed mihi pro rudi cognitione contento; ſufficiet iſta inſinuaſſe, circa quæ.

Dubitatur 1. *An intellectus neceſſite-*

fitetur ad assentiendum dignitatibus?

Resp. ex Aegidio lib. p. post. pag. 39. col. 2. quod dignitas ista, *de quolibet est affirmatio, vel negatio*, potest considerari duobus modis vel essentialiter, & in se, vel virtualiter, & quatenus reseruatur in alio: si consideretur secundo modo, sic omnis homo, vt homo potest eam negare, & per consequens sub ista ratione non necessitatur intellectus ad præstandum ei assensum. Ratio est, quia qui dicit aliquod falsum, vel dicit hoc affirmatiuè, & tunc dicit esse quod non est: vel negatiuè, & tunc dicit non esse, quod est; sed qui dicit esse quod non est, vel non esse quod est, dicit contradictoria verificari: ergo qui dicit aliquod falsum, dicit contradictoria verificari, & per consequens negat illam dignitatem: quatenus virtualiter reseruatur in alijs propositionibus. Si verò consideretur primo modo: nempè essentialiter & secundum suam substantiam, sic intellectus eam negare non potest directè, & per se; sed cogitur ei assensum præstare: indirectè tamen, & per accidens multi eam negauerunt, quatenus nesciebant soluere aliquas rationes, & ideo negabant ea, quæ erant per se nota: tales fuerunt Zeno, & Heraclitus antiqui Philosophi.

Dubitatur 2. An Deomonstratio ostensiua indigeat illa dignitate. *De quolibet est affirmatio, vel negatio?*

Resp. ex Aegidio pag. 44. Demonstrationem ostensiuam non indigere illo secundùm vtramquè partem sed tantùm secundùm alteram: Probatur autem, quia termini quibus vtitur ostensiua demonstratio significant determinatam naturam, & non vtramquè partem contradictionis: ergo demonstratio ostensiua non accipit ipsum in sua totalitate, sed partialiter, quatenus dicit determinatè esse.

§. 6.

De Demonstratione quia, & propter quid, & de alijs diuisionibus.

OMnis Demonstratio ex Aristotele, & Aegidio p. post. pag. 50. vel est per causam, vel per effectum: per causam dupliciter vel per mediatam, vel per immediatam: per effectum etiam dupliciter: vel per effectum proprium, & conuertibilem, vel per effectum non proprium, nec conuertibilem. Demonstratio per causam immediatam, & cōuertibilem est demonstratio propter quid: Demonstratio verò per causam mediatam, vel per effectum siuè conuertibilem, siue non conuertibilem est demonstratio *quia*: vnde demonstratio *propter quid* est vno modo: demonstratio vero *quia* est tribus modis.

De demonstratione *quia* affert Aristoteles hæc exempla, & primò de demonstratione per effectum conuertibilem. Stellæ non scintillantes sunt prope nos: Planetæ non scintillant; ergo Planetæ sunt prope nos. Pro hac demonstratione notat Aegidius duobus modis posse contingere corpus aliquod scintillare, vel secundum rei veritatem, vt quia aliquæ scintillæ fluant ab illo corpore, sicut apparet in igne, vel se-

ſecundum apparentiam, non quidē per defluxum corporis, ſed per defluxum viſus, quia nempe viſus non bene figitur in illo corpore, ideo ſcintillare videtur, & ſic ſtellæ à nobis maximè elongatæ dicuntur ſcintillare, quia earum ſpecies non habent tantam fixionem in oculo propter emanationem à corpore valdè remoto. Hæc demonſtratio eſt demonſtratio *quia* & per effectum; quia non ſcintillare non eſt cauſa de prope eſſe; ſed prope eſſe eſt cauſa non ſcintillandi: vnde hæc demonſtratio in cauſam reduceretur, ſi ita diſponeretur. Omne quod eſt prope non ſcintillat, Planetæ ſunt propè nos: ergo non ſcintillant: hæc eſt per cauſam. Sic etiam iſta eſt demonſtratio *quia*. Omne quod augmentatur in lumine circulariter eſt circulare: luna augmentatur in lumine circulariter: ergo eſt circularis: Secundò affert exemplum de Demonſtratione per effectum non conuertibilem, & eſt quando pro medio ſumitur effectus tranſcendens cauſam v.g. quidquid non deſiccat non eſt ignis; hoc non deſiccat, ergo hoc non eſt ignis.

Tertiò affert exemplum de demonſtratione per cauſam remotam dicendo. Quod non eſt animal non reſpirat: paries non eſt animal: ergo non reſpirat. Eſſe animal eſt cauſa remota reſpirandi, ideo demonſtratio eſt per cauſam remotam. Sic etiam procedebat ratio Anacarſidis, qui reddens cauſam quare Scythæ non ſibilent, dixit quia in Scythia non ſunt vites: hæc erat per cauſam remotam; nam vites ſunt cauſa vini, vinum cauſa potationis, potatio cauſa gaudij, & gaudium cauſa ſibilationis, vnde erat per cauſam remotam.

Ex his autem patet quod demonſtratio *quia* contingit tribus modis, demōſtratio verò *propter quid* contingit tantum vno modo, nempe per cauſam propriam & adæquatam, ideoquè facit ſcire potiſſimè.

Diuiditur ſecundò Demonſtratio in vniuerſalem, & particularem: Demonſtratio vniuerſalis eſt quando demonſtratur vniuerſalis paſsio de vniuerſali ſubiecto, vt paſsio quę vniuerſaliter ineſt ſubiecto quod vniuerſaliter ſubijcitur. Demonſtratio particularis eſt quando paſſio demonſtratur de ſubiecto particulari.

Diuiditur tertiò in affirmatiuam, & negatiuam; & illa quidem concludit affirmatiuè: iſta verò negatiuè.

Diuiditur 4. in demonſtrationem oſtenſiuam, & in demonſtrationem ducentem ad impoſsibile. Demonſtratio ducens ad impoſsibile ſemper concludit falſum, & ex illo falſo, concluſio oſtendit oppoſitum alicuius præmiſſæ eſſe verum. Oſtēſiua autem ſemper concludit verum, ſiuè affirmatiuè, ſiuè negatiuè illud concludat.

Ex his autem Demonſtratio vniuerſalis eſt potior particulari, tum quia vniuerſalis eſt magis propter quid, & magis per cauſam, quia ſubiectum vniuerſale eſt per ſe, & primò cauſa paſsionis; tum quia in omni genere cauſæ tunc maximè ſcimus quando deuentum eſt ad vltimam cauſam, & non eſt quærere vlteriorem cauſam: tùm etiam quia vniuerſalis facit cognoſcere hoc, & aliud;

aliud; particularis verò tantum hoc, tùm ob alias rationes ab Aristotele adductas; nam in hanc rem septem adducit rationes.

Insuper Affirmatiua potior, & dignior est negatiua; tum quia affirmatiua est per priora, & pauciora: tùm etiam quia affirmatiua non indiget propositione negatiua; hæc tamen indiget affirmatiua.

Tandem ostensiua est potior, & dignior ducente ad impossibile; quia ducens ad impossibile non est omnino immunis à negatione, & negatiua est potior ducente, consequens est quod affirmatiua, & ostẽsiua sit potior ducente; nam quidquid est dignius digniori, est etiam dignius minus digno. Insuper ostẽsiua procedit ex notioribus; non autem ducens ad impossibile, sed hæc procedit ex posterioribus: Hæc ex sensu Aristotelis iuxta doctrinam Aegidius vsque ad caput 19. inclusiuè.

Verum circa ea quæ in hoc §. dicta sunt Dubitatur 1. *An Demonstratio* quia *faciat scire*.

Resp. Ex pag. 50. col. 5. affirmatiuè, non tamen facere scire potissimè; ratio autem est, quia demonstratio *quia* procedens per effectum immediatum, & conuertibilem, procedit ex veris, quia verum est talem effectum esse: procedit ex immediatis, quia effectus iste immediatè se habet ad causam; procedit ex prioribus, & notioribus non simpliciter, sed quoad nos, & ideo quia non est ex his simpliciter, non facit scire potissimè; est tamen ex his quoad nos, alias non esset demonstratio per effectus: ergo &. Demonstratio vero per effectum, vel per causam remotam, non facit scire affirmatiuè, & quod hoc sit; sed tantum negatiuè, & quod hoc non sit, quod est aliquo modo scire.

Dubitatur 2. *An circularitas luminis arguat circularitatem corporis?*

Resp. Ex Aegidio pag. 51. affirmatiuè, & ratio est quia omne quod recipitur per modum recipientis recipitur; hinc aqua recepta in vase, recipit formam vasis, sed lumen recipitur in luna, quæ est rotunda, & figuræ circularis: ergo recipitur modo circulari: ergo circularitas luminis inferre potest circularitatem corporis.

Dubitatur 3. *An affirmatio sit causa affirmationis, & negatio negationis?*

Resp. ex Aegidio loc. cit. affirmatiuè, quia qualis est effectus talis est causa: ergo effectus positiuus habet causam positiuam, & effectus negatiuus habet causam negatiuam: ergo si affirmatio per se est causa affirmationis, vbi non erit affirmatio erit negatio causæ; & vbicumquè est negatio causæ, si est causa per se est negatio effectus; & per consequens sicut ad causam sequitur effectus, sic ad negationem causæ eius quod est causa per se, sequitur negatio effectus. Intelligitur hoc quando effectus proportionaliter accipitur, nẽpe quando accipitur oppositum causæ; nam si album disgregat non oportet quod non album congreget, quia non album, & album se habent in plus quam congregare, & disgregare; quod si accipiatur oppositum albi nempe nigrum, tunc sicut ad album sequitur disgregare, ita ad nigrum congregare, quia sicut al-

album, & nigrum opponuntur contrariè, ità congregare, & disgregare contrariè opponuntur, & sic sequitur effectus, et negatio effectus; alias autem si non accipiatur contrarium non sequitur, quia tunc Chimæra congregaret, cum sit non alba; ratio autem huius est, quia album, & non album non opponuntur eodem genere oppositionis, quo opponuntur congregare, & disgregare.

Dubitatur 4. *An in syllogismo medius terminus se habeat sicut pars ad totum, aut sicut totum ad partem?*

Resp. ex Aegidio pag. 85. col. 4. medium terminum se habere ad extremitates, vel sicut partem ad totum, vel vt totum ad partem: nam in secunda figura cum in vtraque prædicetur se habet sicut totum ad partem; in tertia cum in vtraquè subijciatur se habet sicut pars ad totum; in prima verò medius terminus in maiori se habet sicut pars ad totum, quia ibi subijcitur; in minori autem sicut totum ad partem, quia ibi prædicatur, v.g. omne animal est sensitiuum: omnis homo est animal: ergo &c. in maiori animal est pars sensitiui: in minori animal est totum respectu hominis: ideo medius terminus in omni figura se habet sub illa duplici habitudine.

§. 7.

De effectu demonstrationis, scilicet de scire, vel scientia.

IN vltimo capite primi libri post. agit Aristoteles de scire in comparatione ad opinari, & ad alios habitus cognoscitiuos; hic tamen de eo tam absolutè, quam relatè nonnulla expediam; & primo quæ docet Aristoteles circa literam exponendam, exinde dubia excurram.

Primo docet Aristoteles, quod scientia subalternans est certior, quã sit scientia subalternata. Ratio est, quia scientia subalternans secũdum quod huiusmodi de nullo scit *quia*, de quo nesciat *propter quid*, seu eius causam; at scientia subalternata considerat *quia* separatũ à *propter quid*, considerat enim *quia* ipsum tamen nescit resoluere in *propter quid*; hinc geometra de nullo scit *quia* de quo nesciat *propter quid*; at perspectiua, quę est ei subalternata de multis scit *quia*, de quibus nescit *propter quid*, sed supponit illa à geometra tanquam à superiori artifice; & hoc est primum documentum ab eo traditum ad inuestigandam certitudinem scientiæ.

Addit secundum documentum quod est. Scientia quæ est magis abstracta, & minus materialis est superior, & certior, quam sit scientia, quæ est minus abstracta, & magis materialis: sic Arithmetica quæ est de numero simpliciter est magis abstracta, & certior quam sit musica, quæ est de numero relato ad sonum.

Addit tertium documentũ ad hoc idem cognoscendum dicens, quod scientia, quæ est ex minoribus est certior ea, quæ est ex appositione, vt Arithmetica est certior, quam sit geometria, quia illa est de vnitate, ista verò est de puncto; punctus autem aliquid addit supra vnitatem.

Docet 2. Scientiam habere vnitatem, & diuersitatem à subiecto: ad hoc autem quatuor requirantur; primò requiritur quod subiectum suum sit vnius generis: nam scientia est vna,

vna, quæ est vnius generis. Secundò requiritur, quod circa genus talis subiecti negotietur per eadem principia prima. Tertiò requiritur, quod circa idem genus subiecti sic negotietur per eadem principia prima, quod consideret per se partes illius subiecti. Quartò requiritur, quod consideret tam subiecti, quam partium per se passiones. Quando verò scientia habet altera principia, ità vt huiusmodi principia nec sint ex eisdem principijs, nec sint ex se inuicem, tunc scientia est altera, & diuersa.

Docet 3. quod & scientia differt ab opinione, & scibile differt ab opinabili; ratio eius est, quia scientia est vniuersalis, & per necessaria, opinio autem non oportet quod sit vniuersalis, nec per necessaria.

Addit quod scientia est circa ea, quæ impossibilia sunt aliter se habere, & quod intellectus est habitus principiorum non habens esse circa contingentia aliter se habere: cùm enim sit principium scientiæ, & quędam scietia indemonstrabilis, oportet quod habeat esse circa indemonstrabilia; talia enim sunt principium scientiæ.

Ex hoc fit quod licet scientia, intellectus, & opinio versentur circa verum, tamen scientia, & intellectus ita sunt circa verum, quod tale verum non contingit aliter se habere, & ideo talia sic sunt circa verum, quod non sunt circa falsum. Opinio autem est circa verum, quod potest aliter se habere, & ideo potest esse circa falsum; immò dato quod opinio accipiat propositionem immediatam, non tamen accipit eam vt necessariam, sed vt probabilem, & possibilem aliter se habere.

Quod verò opinio sit circa cōtingentia aliter se habere pr., tùm quia opinari idem sonat, ac non certò cognoscere: tùm quia nullus putat se opinari, quando opinatur impossibile esse aliter se habere; sed tunc putat se scire, & non opinari.

Circa hęc mouet duas questiones. Prima est. An idem possit esse scitum, & opinatum?

Respondet quod potest esse idem materialiter, non tamen formaliter, & secundum eamdem considerationem.

Secunda est. An scientia sit idem quod opinio?

Respondet quod non, quia scientia est circa impossibilia aliter se habere, opinio verò est circa ea, quæ possunt aliter se habere.

Vltimò cōparat sciētiam ad alios habitus cognoscitiuos, & ait quod distinguere eos in rationem, intellectum, scientiam, artem, prudentiam, & sapientiam, non spectat ad hanc facultatem, sed vel ad physicum, vel ad ethicum.

Notat tamen Aegidius, quod relicta opinione, habitus verus primò diuiditur in rationem, & intellectū: nam intellectus est cognitio principiorum ad quæ non est ratio: per rationem verò habetur cognitio conclusionum, quæ quadrupliciter se habent: nam vel sunt practicæ, vel speculatiuæ. Si practicæ hoc est dupliciter, vel enim sunt circa agibilia, & sic est prudentia, quæ est recta ratio agibilium: vel sunt circa factibilia, & sic est ars, quæ est recta ratio factibilium. Si sunt speculatiuæ, vel sunt per causas altissimas, & sic est sapientia; vel non sunt per causas

altissimas, & sic est scientia. Recta ergo ratio diuiditur in quatuor .s. in scientiam, sapientiam, prudentiam, & artem.

Notat 2. quod ratio, & intellectus possunt dicere potentias animæ, & sic de eis cōsiderare spectat ad physicum, vel possunt dicere habitus, nam recta ratio diuiditur in quatuor habitus ex dictis, & sic spectant ad lib. ethicorum, & de eis in 6. eth. seriosè determinatur. Hæc tanquam principaliora ex 1. lib. post. selegi ex Aegidio, vt syllogismo demonstratiuo magis inseruientia. At de his dubia quædam expedio.

Dubitatur 1. *An primum Aristotelis documentum distinguatur à secundo?*

Resp. ex Aegidio 1. post. pag. 86. col. 4. affirmatiuè, quia primum innititur huic veritati, quod causa est certior effectu; nam effectus non est simpliciter notus nisi per causā; sed propter quod vnumquodque tale illud magis: ergo causa erit simpliciter notior effectu, & quia scientia dicens *propter quid* dicit causam, dicens *quia*, dicit tantum consideratione effectus, consequens est quod scientia *propter quid* certior sit sciētia *quia*. Secundum autem documentum innititur huic veritati, quod forma per se loquendo est notior, quam materia; cum materia non cognoscatur nisi per analogiam ad formam; sed scientia magis abstracta est scientia magis formalis, & scientia minus abstracta est scientia magis materialis: ergo illa est certior ista; vnde differunt formaliter licet possint esse de eodem subiecto, nempe quod scientia magis formalis, & dicens *propter quid*, sit etiam subalternans, & ex opposito scientia magis materialis sit subalternata.

Dubitatur 2. *An tertium documentum differat à secundo?*

Resp. ex Aegidio loc. cit. affirmatiuè, nam licet vtrumquè conueniat in hoc, quod scientia magis formalis sit certior, differunt tamen, quia esse magis formale, & magis materiale possunt considerari dupliciter; vel per comparationē ad materiam sensibilem de qua considerat naturalis, vel ad materiam intelligibilem de qua considerat mathematicus: secundum documentum concernit materiam sensibilem, vt illa scientia dicatur certior, quæ abstrahit à materia sensibili, & illa minus certa, quæ est de subiecto magis sensibili; tertium verò sumitur per comparationem ad materiam intelligibilem; nam nulla scientia mathematica abstrahit omnino à materia intelligibili, & ideo inter ipsa mathematica quædam sunt magis materialia, quędam minus; vt punctus est materialior vnitate, quia pūctus dicit quamdam situationem inter partes, vel dicit situationem relatam ad aliquod habens partes, & quia positio sumitur respectu partium, ideo punctus qui in suo intellectu talem situationem includit, dicitur esse substantia positionem habens: vnitas autem caret tali positione; non quod reperiatur vnitas, quæ est principium numeri sine continuo, sed quia intellectus vnitatis præcedit omnem intellectum continui, & partium. Neque hoc est præter rationē, quod aliquid .s. non habeat esse nisi in aliquibus, & tamen intellectus eius sit præter omnem intellectū talium, vt genus non habet esse nisi in spe-

cie-

ciebus, & tamen intellectus generis præcedit omnem intellectum specierum: sic etiam intellectus vnitatis præcedit omnem intellectum partium: sic ergo differunt hæc documenta.

Dubitatur 3. *Quid sit scientiam esse vnius generis subiecti?*

Resp. ex Aegidio 1. post. pag. 87. quod est esse vnius generis subijcibilis per quod solũ excluditur æquiuocatio; nam genus subijcibile est in plusquam genus prædicabile; analogia enim entis impedit genus prędicabile, quia ens quod est analogum ad decem prædicamenta non est genus ad illa; non tamen impedit genus subijcibile, quia de toto ente est vna scientia, nempe metaphysica.

Dubitatur 4. *Quidnam excludatur per quatuor conditiones positas?*

Resp. ex Aegidio loc. cit. quod per esse vnius generis subiecti excluditur æquiuocum, nam de æquiuoco vt tali non est vna scientia. Per secundam conditionem excluditur diuersitas considerationis, quia de eodem subiecto possunt considerare diuersæ scientiæ diuersimodè; nam naturalis considerat de corpore vt est quale, mathematicus verò considerat de eodem, vt est quantũ; & naturalis vtitur principijs ex motu, mathematicus ex quanto. Per tertiam nempe quod partes sint per se, ostenditur quod non est simpliciter eadem scientia subalternata cum subalternante: non enim dicere possumus quod linea simpliciter de qua est Geometria per se sit totum ad lineam visualem, de qua considerat perspectiua; nam linea non diuiditur per se in visualem, & non visualem, vt istæ sint partes, & differentiæ per se lineæ, sed fortè sic diuiditur in curuam, & rectam. Per quartam excluditur ab vnitate scientiæ consideratio per accidens, quia scientia non habet vnitatem ex his, quæ sunt per accidens.

Dubitatur 5. *Quæ conditiò ex his quatuor sit formalior, & potior?*

Resp. ex Aegidio pag. 87. col. 3. quod secunda, nempe quod sint eadem principia, aut quod sit eadem consideratio: quia tota ratio quare scientia est vna est quia considerat de omnibus secundum considerationem vnam, vel quod idem est, quia considerat de omnibus secundum eadem principia prima sumpta secundam propriam cõsiderationem; cum enim hæc conditio reperitur in aliqua scientia vna, tunc sunt ibi omnes aliæ tres conditiones: nam secundum vnam, & eamdem considerationem non possunt considerari nisi quæ sunt eiusdem generis subijcibilis, & quæ non sunt per se partes, vel passiones eiusdem subiecti, non possunt cadere sub eadem consideratione, nec possunt contineri sub eisdem principijs primis proprijs.

Dubitatur 6. *An scientia possit esse eorum quæ sunt frequenter?*

Resp. ex Aegidio pag. 89. col. 4. quod aliud est habere scientiam de rebus factis, aliud de modo fiendi: de ipso enim modo fiendi, quod .s. aliqua fiant per se, aliqua per accidens possumus habere scientiam tam de fortuitis, quam de non fortuitis: scimus enim aliqua euenire per accidens, & fieri à casu, & fortuna, quia scimus esse per accidens aliquem concursum causarum: nam

per

per accidens est quod ista concurrant, nempe quod descendat lapis quando Sortes vadit ad forum causa recipiendi argentum, ex quo descensu frangitur caput: docendo enim hoc damus scientiam de modo fiendi, sed de ipsa re facta ex inopinato concursu causarum, vt de ipsa fractione capitis euntis ad forum per descensum lapidis possumus habere sensum, quia possumus per sensum accipere sic esse, sed non scientiam: quia infinitis alijs modis posset hoc contingere, quod .s. frangatur Sorti caput, quando vadit ad forum: quare de fortuitis possumus habere sciētiam tantum quantum ad modum causandi, non verò quantum ad res causatas; at de his quæ non possunt aliter se habere possumus habere scientiam vtroquè modo.

Dubitatur 7. ***An non tantum sint vera, scientia, intellectus, & opinio, sed etiam quod dicitur per hæc?***

Resp. ex Aegidio pag. 94. col. 2. quod veritas est in rebus tanquam in causa, est in intellectu componente tanquam in subiecto, & est in oratione per vocem prolata tāquam in signo: nam verum, & falsum ex 6. met. sunt in anima, bonum autem, & malum sunt in rebus; & quia sciētia nostra causatur à rebus, si verum, & falsū sunt in anima, oportet quod verum sit in rebus tanquam in causa; immò cum verum dicat adæquationem rerum cū intellectu, & adæquatio sit formaliter in intellectu, quia intellectus adæquatur rebus, & non res intellectui, veritas formaliter erit in intellectu, causaliter in rebus, & tanquam in signo erit in oratione, quia ea, quæ sunt in voce sunt signa eorum, quæ sunt in anima. Insuper ista tria, Intellectus, Sciētia & opinio possunt considerari tripliciter, primò secundum se; secundò vt comparātur ad sua obiecta, .s. ad scibilia, intelligibilia, & opinabilia; tertio vt componantur ad propositiones in voce prolatas de ipsis scibilibus, opinabilibus, & intelligibilibus. His positis dico quod non tantum Scientia, intellectus, & opinio sunt vera, sed etiam quod dicitur per ista, .i. quod scibilia, intelligibilia, & opinabilia sunt vera; illa quidem sunt talia formaliter; ista verò causaliter: potest etiam dici quod etiam illa, quæ dicuntur per ista sunt vera referendo hoc ad ipsas propositiones prolatas de illis, vt sit sensus; non solum scientia, intellectus, & opinio sunt vera, sed etiam quod dicitur in voce per tales propositiones: nam per scientiam quam quis habet dicit, & profert propositiones scibiles; per opinionem opinabiles; & per intellectum intelligibeles; & sic tales propositiones prolatæ sunt etiam veræ.

Dubitatur 8. ***An si de eodem esset opinio vera, vel falsa, nulla opinio esset falsa?***

Resp. ex Aegidio pag. 95. quod dato casu nulla opinio esset falsa, quia modi intelligendi sumuntur à modis essendi, vndè sicut res se habet ad esse, ita ad cognosci, propter quod de eodem penitus non potest esse opinio vera, & falsa; nam opinio vera est de eodem relato in id, quod inest ei; opinio falsa est de eodem relato in id, quod non inest ei; ergo non potest esse de eodem formaliter, sed tantum materialiter; id enim quod inest, & id quod non inest, non sunt de eodem formaliter;

ter;

ter; ſicut Sortes ſedens, & ſtans non eſt idem formaliter, ſed tantum materialiter. Quod ſi de eodem per omnem modum poſset eſse opinio vera,& falſa, veritas, & falſitas non acciperetur ex eo quod ineſt rei, ſed ex parte intellectus opinantis: ergo ſi Sorte non ſedente aliquis opinaretur quod ſederet,talis opinio eſset vera, quia ita ille opinarentur: hoc autem eſt abſurdum, ex 4. met. quia tunc quidquid apparet eſset verum: ergo &c.

Dubitatur 9. ***An de eodem materialiter poſſit eſſe ſcientia, & opinio?***

Reſp. Ex Aegidio pag. 96. quod etiam in mathematicis, quæ maximè ſunt ſcita, & quæ ſunt in primo gradu certitudinis poteſt contingere quod idem ſit ſimul ſcitum, & opinatum; vt quod triangulus habeat tres poteſt eſſe ſcitum, ſi huic veritati aſſenſum præbeat eo quod nouit cauſam; & poteſt eſſe opinatum ſi ita aſſerat propter authoritatem Euclidis, & ſic de eodem materialiter poteſt eſſe ſcientia, & opinio: non tamen formaliter, & ſecundum eamdem conſiderationem; quia non eſt idem formaliter referre aliquod in cauſam per ſe, & in aliquod probabile ſignum, vel in authoritatem Euclidis.

Dubitatur 10. ***An ſi idem eſſet ſcitum, & opinatum, idem eſſet ſcientia, & opinio?***

Reſp. ex Aegidio loc. cit. quod ſi eſſet idem materialiter, & formaliter tunc idem eſſet ſcientia, & opinio: nam idem penitus, & per omnem modum non poſſet eſse ſcitum, & opinatum, niſi de ipſo ſecundum eamdem conſiderationem ſcientia, & opinio generaretur, quo poſito non differret ſcientia ab opinione; nam haberent eamdem rationem formalem, & per conſequens eſsent idem.

Dubitatur 11. ***An de quocumquè eſt ſcientia poſſit etiam eſſe opinio?***

Reſp. ex Aegidio loc. cit. affirmatiuè, quia quod eſt ſcitum per rationes neceſsarias ab vno, poteſt eſse cognitum ab altero per rationes probabiles; & per conſequens de quocumque eſt ſcientia poteſt eſse opinio: non tamen conuertitur quod de quocunquè eſt opinio poſſit eſse ſcientia: nam particularium non eſt ſcientia, neque definitio poteſt tamen de illis eſse opinio.

Dubitatur 12. ***An opinans poſſit credere ſe ſcire, & ſciens credere ſe opinari?***

Reſp. ex Aegidio loc. cit. quod circa opinionem deceptionem cadere non eſt inconueniens: multi enim opinantur, & non habent niſi medium probabile, quod poteſt aliter ſe habere, & tamen decipiuntur credentes ſe habere medium neceſſarium, & quod non poſſit aliter ſe habere; vndè tales non habent ſcientiam,credunt tamen ſe eam habere: at circa ſcientiam cadere deceptionem eſt impoſſibile: poteſt enim contingere quod neſciens credat ſe ſcire, ſed quod ſciens credat ſe neſcire, & decipiatur, vel credat ſe opinari, eſt impoſsibile, nam non eſt ſciens niſi ſciat reſoluere vſquè ad per ſe nota; hoc autem ſciens ſtatim videt quod impoſsibile eſt aliter ſe habere; ſic autem ſe habens non eſt poſsibile quod opinetur. Notandum tamen quod habens medium probabile, ſi credat habere neceſ-

cessarium, licet decipiatur, & non habeat scientiam, habet tamen opinionem materialiter, sed non formaliter, quia non opinatur vt opinans se opinari, sed vt deceptus, & vt existimans se scire.

Dubitatur 13. ***An Definitio subiecti, vel passionis sit medium in demonstratione potissima?***

In hac difficultate prima sententia est asserentiam medium in demonstratione potissima esse definitionem subiecti, vel minoris extremi; nunquam verò passionis, vel maioris extremi: v.g. in demonstranda hac conclusione: *ergo homo est risibilis*, docent medium esse definitionem hominis, qui est subiectum, & minus extremum; non verò definitionem risibilis, quod est affectio passio, & maius extremum. Hanc sententiam tradunt D. Th. 2. post. lect. p. Scotus 2. post. q. 56. et cum eis omnes tùm Thomistæ, tùm Scotistæ.

Secunda sententia est afferentium medium in demonstratione potissima nec esse definitionem subiecti, nec passionis, sed tantummodo causam passionis, & affectionis, quam sententiam amplectitur Balduinus, apud Zab. lib. p. de medio demonstrationis, licet enim contingat medium esse definitionem, tunc tamen definitio non sumitur vt definitio, sed vt causa, cum scire sit rem per causam cognoscere.

Tertia sententia est Zab. lib. p. de medio demonst. qui docet in omni potissima demonstratione medium esse causam, et definitionem maioris extremi, per accidens autem contingere posse, vt medium sit definitio minoris extremi.

Aegidius tum lib. 2. post. tùm in speciali tractatu de medio demonstrationis docet medium in demonstratione potissima esse definitionem passionis; quam sententiam sequuntur quamplurimi, et præcipuè noster Augustinus de Biella quæst. de medio demonst. Hæc sententia vera est, et amplectenda.

Pro resolutione noto primò cum Aegidio tract. citato quod in substantia sensibili (de qua tantum potest esse potissima demonstratio, vt ibi ostendit Aegidius) sicut duplex natura requiritur, altera quæ per se, & primò est talis, vt forma; altera quæ est talis ex consequenti, vt materia; ità in ea reperitur duplex genus accidentium: vnum quod sequitur formam; aliud quod sequitur materiam. Accidentia quæ sequuntur formam sunt accidentia per se, cum consequantur rem secundum suam formam, & naturam per se: accidentia autem quæ consequuntur materiam, sunt accidentia per accidens, vt per accidens distinctum est à per se: illa dicuntur accidentia per se, quia sicut ista *ædificator ædificat* est per se, cum sit vera ratione formę .s. artis ædificatiuæ: ista verò *musicus ædificat* est per accidens, quia est vera ratione materiæ, in quantum musica, & ædificatiua in eadem materia habent esse: ità etiã ea quæ sunt vera ratione formæ sunt per se, & quæ ratione materiæ sunt per accidens; & accidentia primi generis sunt illa, quæ sunt demonstrationi vtilia; nam ex his quæ sunt per accidens non constituitur demonstratio.

Noto 2. ex eodem loc. cit. quod sicut

ſicut in ſuppoſito exiſtit duplex natura, ita etiam & duplex eſſe .ſ. eſſe eſſentiæ, & eſſe actuale, & exiſtentiæ: primum eſſe comparatum ad demonſtrationem tantum aliqualiter poteſt eſſe demonſtrationis medium, nunquam tamen poteſt per demonſtrationem concludi: ſecundum verò tantum poteſt aliqualiter concludi (dico aliqualiter quia aliquo modo petitur principium) nunquã tamen poteſt eſſe demonſtrationis medium. Ratio primi eſt quia eſſe eſſentiæ, & eſſentia non differunt, niſi ſicut rubeum, & rubor, ſicut abſtractum, & concretum: ſed eſſentia, & quidditas ſubiecti formaliter loquendo non poteſt per demonſtrationem concludi: ergo nec eſſe eſſentię, quod eſt idem cum eſſentia, & quidditate: mi. pr. quia nihil ſubiecto magis ineſt, quam ipſa quidditas, nec in ſubiecto eſt aliquid quod ſecundum cauſalitatem ipſam quidditatem, & eſſentiam præcedat; ſed potius quidditas ſecundum cauſalitatem præcedit omnia accidentia, quæ ſunt in ſubiecto: ergo quidditas & eſſentia per ſe loquendo numquam poterit per demonſtrationem concludi.

Ratio alterius partis, nempe quod eſſe eſſentiæ, & quidditas ſubiecti poſſit aliqualiter eſſe medium demonſtrationis probatur, quia eſſe actuale originatur ab eſſe eſſentiæ: ergo poterit per eſſe eſſentiæ aliquo modo demonſtrari, nam demonſtratio tunc fieri poteſt, quando poteſt reddi cauſa immediata: cum ergo eſſe eſſentiæ ſit cauſa immediata à qua originatur eſſe exiſtentiæ ſeu eſſe actuale, per illud poterit eſſe actuale demonſtrari. Dico *aliquo modo* quia in tali demonſtratione petitur principium, cum ſupponatur quod eſt probandum: nam in ſyllogiſmo probante, & inferente, concluſio debet eſſe alia à qualibet præmiſſarum, & per conſequens neceſſe eſt quod medium differat à maiori, & minori extremitate: ſi enim eſſet idem quod maior extremitas, tunc concluſio non differret à minori propoſitione; & ſi eſſet idem quod minor, tunc concluſio non differret à maiori propoſitione, hoc autem nedum eſt contra naturam demonſtrationis, ſed etiam contra naturam ſyllogiſmi; ſed definitio ſubiecti non eſt alia à ſubiecto, ergo quando per eſſe eſſentiæ, vel per quidditatem ſubiecti demonſtratur eſſe actuale de ſubiecto; ſecundum rei veritatem petitur quod eſt in principio, & ideo illa oſtenſio deficit à ratione demonſtrationis.

Ratio autem ſecundi, nẽpe quod eſſe actuale non poſſit eſſe alterius demõſtrationis mediũ eſt, tùm quia tale eſſe non eſt natura, nec pars naturæ, ſed eſt aliquid à natura procedens, & reſpicit non accidentia per ſe, ſed accidentia per accidens, & quæ ſunt accidentia indiuidui; tùm quia non eſt quid completum in genere, ſed tantum reducitur ad ſubſtantiam: ergo non poteſt eſſe medium ad probandum, quod eſt ens completum, & per ſe, alias & accidens demonſtraretur per accidens, & incompletum eſſet medium ad oſtendendum id, quod eſt ens completum in genere.

Noto 3. ex eodem quod inter paſſiones, & proprietates ſequentes formam duplex ordo eſſe poteſt,

test, alius ex modo abstractionis, alius ex causalitate, siuè secundum causalitatem. Primus ordo sic patet in vna, & eadem re sunt diuersi abstractionis modi, quia licet vnius rei vnica sit forma substantialis, tamen illa forma considerata secundum esse magis, vel minus abstractum habet diuersas rationes; nam illa forma considerata secundum esse magis abstractum, dicitur esse, & dat rationem essendi, considerata secundum esse minus abstractum dicitur viuere, & secundum minus dicitur animal, homo &c. & secundum hos diuersos gradus habet diuersas rationes, quas consequuntur aliæ, & aliæ proprietates: nam proprietates quæ sequuntur hominem secundum gradum essendi, sunt aliæ à proprietatibus sequētibus hominem secundum gradum viuendi, sentiendi, &c. & sicut omnia reducuntur ad ens, ità proprietates sumptæ ex ente sunt illæ ad quas reducuntur omnes aliæ proprietates, qua de causa propositiones formatæ ex subiecto, & huiusmodi proprietatibus vniuersalibus sunt illæ, quæ regulant omnes alias propositiones, & vocantur dignitates, quæ tandem reducuntur in dignitatem sumptam ex ente, nempe in hanc de quolibet affirmatio, vel negatio vera; quia sicut ens est abstractissimum, ita & huiusmodi dignitas, & ideo per eam aliæ omnes regulantur. Istæ autem dignitates non possunt ingredi demonstrationem, & in ea concludi, cum non habeant causas, & præmissas priores, quod requiritur ad demonstrationem; hæc enim debet esse ex causis, & per consequens ex priori, notiori, &c.

Secundus ordo est inter proprietates in ratione causalitatis, pro quo noto quod cum natura sit determinata ad vnum, ab vna natura, vt à forma secundum vnum abstractionis genus immediatè non procedit nisi vna passio, & proprietas: nam licet à forma hominis concepta, vt dat esse hominem, & esse animal possint originari diuersæ proprietates, tamen hæc forma concepta, vt dat esse hominem est tantum radix immediata vnius proprietatis, sic etiam animal est tantum immediata causa vnius proprietatis, & sic ascēdendo, vndè proprietas fluens immediatè ab animali, fluit mediatè à forma hominis vt tali, & sic ascendendo, & per consequens ordo causalitatis inter proprietates erit quod aliæ sint primæ, aliæ mediæ, aliæ postremæ. Primæ ita sunt medium demonstrandi, quod nunquam sunt per demonstrationem conclusæ, & de istis dixit Aristoteles, quod immediatorum non est demonstratio. Mediæ sunt medium ad demonstrādum passiones sequentes, & possunt per præcedentes demonstrari. Vltimæ autem, vt vltimę sunt ità demonstrantur, quod numquam sunt medium demonstrandi: & ex hoc patet quod demonstratio, vel est ex primis, veris &c. vt quando passiones secundę demonstrantur per primas: vel ex ijs quæ ex primis, & veris sumpserunt originem, vt quando postremæ passiones demonstrantur per secundas medias: semper tamen demonstratio est ex immediatis, accipiendo immediatum respectu passionis conclusæ, quia numquā ostenditur passio sequens, nisi per passionem præcedentem immediatè, & ità

pa-

patet quod prima paſſio, & immediata eſt indemonſtrabilis. His prænotatis pro reſolutione.

Sit prima concluſio. Prima paſſio ſubiecti eſt indemonſtrabilis. Eſt Aegidij vt dictum eſt. Probatur autem ſupponendo quod primum dicatur vel in comparatione ad cauſam, vel in comparatione ad ſuppoſitum: v. g. habere tres ineſt triangulo primò, quia non ineſt ei per aliud ſubiectum, vel ſuppoſitum; non tamen ineſt ei primò, nempe non per aliam cauſam, cum inſit ei per habere angulum extrinſecum, tanquam per cauſam; hic eſt ſermo de primò, vt excludit aliam cauſam, vel paſſionem; quod enim eſt ſic primum nõ poteſt eſſe demonſtrationis concluſio, ſed tãtum medium. Quo ſuppoſito.

Probatur concluſio, quia talis paſſio non poteſt demõſtrari per aliam cauſam, cum ex ſuppoſitione nulla præcedat cauſa: nec poterit demonſtrari per aliquod accidens ſecundi generis, quia talia accidentia ad demonſtrandum ſunt inutilia; nec per paſſiones ſequentes, quia demonſtratio debet eſſe ex prioribus, notioribus, cauſiſquè concluſionis: paſſiones autem ſequentes non poſſunt eſſe cauſa paſſionis præcedentis, vt conſtat: nec per ſe ipſam, quia tunc medium non differret à maiori extremitate, quæ eſt ipſa paſſio, & tunc eſſet idem concluſio, & minor præmiſſa: nec poteſt demonſtrari per ſubiectum, quia tunc non differret medium à minori extremitate, & ità concluſio non differret à maiori propoſitione, quod eſt contrà naturam ſyllogiſmi, & demonſtrationis: nec poterit demonſtrari per eſſe actuale; quia eſſe actuale in nulla demonſtratione poteſt eſſe mediũ, cum directè reſpiciat accidentia per accidens, quorum non eſt demonſtratio; nec tandem poterit demonſtrari per quidditatem ſubiecti, quod probatur.

Primò, quia ex Ariſtotele 1. poſt. pluribus in locis demonſtratio potiſſima eſt, quæ habet vnum tantum medium adæquatum ad vnam paſſionem, & concluſionem; ideo ex Ariſtotele augentur demonſtrationes non per media, ſed in poſt aſſumendo, quia ſecundum ordinem paſſionum eſt ordo mediorum: ſed quidditas ſubiecti non eſt vnicum, & adæquatum medium reſpectu primæ paſſionis: ergo per quidditatem ſubiecti nõ poteſt demonſtrari prima paſſio demonſtratione potiſſima: pr. mi. quia per quidditatem ſubiecti demonſtratur eius actuale eſſe: ergo non poteſt demonſtrari prima paſſio, alias medium erit commune, & licet iſta plura ſint diuerſi generis; hoc tamen non tollit, ſed auget difficultatem, quia iam mediũ erit improportionatũ ad vtrumque.

Secundò, quia medium demonſtrationis debet eſſe medium inter paſſionem concludendam, & ſubiectum de quo eſt concludenda, ideo in tali medio duplex attendi poteſt immediatio, vel ex parte ſubiecti, & hæc non ſemper requiritur, vel ex parte paſſionis, & hæc ſemper requiritur, quia demonſtratio potiſſima ſemper eſt per cauſam proximam, & immediatam; nam demonſtratio per cauſam remotam eſt demonſtratio *quia*: ſed quidditas ſubiecti non eſt immediata cauſa paſſionis, cum ſit cauſa immediata eſſe

Mmm 2 actua-

actualis: ergo &c. & licet inter quidditatem subiecti, & passionem primam sit aliqua immediatio, hæc tamen non est in ratione demonstrationis.

Tertiò ex eodem, quia in demonstratione potissima medium debet realiter differre à subiecto, & passione; alias non differret conclusio à qualibet præmissarum: sed definitio subiecti non differt realiter à subiecto, sed tantum secundum rationem: ergo per eam non potest passio demonstrari de subiecto verè, & realiter, sed petendo principium.

Noto 1. quod inter subiectum, & definitionem subiecti non est realis distinctio, nam principia essentialia sũt realiter id ipsum intrinsecè quod definitum, nec sunt eo priora nisi secundum rationem, ideo conclusio non erit alia à præmissis nisi secundum rationem, & per consequens à parte rei petetur principium.

Noto 2. quod quidditas subiecti per quam ex opposita sententia potest probari passio de subiecto, vel potest comparari ad subiectum, de quo probatur passio, vel ad passionem, quæ de subiecto probatur: si comparetur ad subiectum est idem realiter cum ipso, & tantum differt secundum rationem, & ideo probaretur idem per idem secundum rei veritatem: & licet esset diuersitas secundum rationem, hæc tamen non sufficit ad demonstrationem potissimam; alias cum prædicatur substantia de homine per animal, esset potissima demonstratio, quod est falsum: si comparetur ad passionem tunc quidditas non est medium reale propter quod passio insit subiecto, quia quidditas non differret à subiecto, & sic medium à subiecto non differret, nisi secundum rationem, ad medium autem demonstrationis potissimæ requiritur causa realis ob quam passio insit subiecto, ad hoc autem quod medium sit causa realis passionis in subiecto, requiritur quod mediũ distinguatur realiter à subiecto, & passione, & quod passio prius prioritate reali habeat ordinem ad illud medium, quam ad subiectum: si enim medium non esset realiter distinctum à subiecto, & passione, realiter subiectum esset causa inhærentiæ passionis in se, & sic cum probaretur quod passio inest subiecto per medium, probaretur quod inesset ei per se ipsum, & probaretur idem per idem.

Vltimò pr. conclusio, quia illud quod non habet ordinem immediatum ad passionem potissimè demõstrabilem non est medium in demonstratione potissima; sed definitio subiecti non habet ordinem immediatum ad primam passionem: ergo hæc non erit per definitionem subiecti demonstrabilis: pr. mi. quia licet idem sit ordo definitionis subiecti ad passionem immediatam, & ipsius subiecti ad eamdem passionẽ immediatam, tamen subiectum immediatius respicit suam passionem immediatam, quam definitio subiecti, quæ est distincta secundum rationem ab ipso subiecto: ergo impossibile est quod definitio subiecti sit medium in demonstratione potissima: pr. mi. quia definitio subiecti non habet ordinem immediatum ad passionẽ, nisi mediante subiecto.

Sit secunda conclusio. Definitio subiecti non potest esse medium in demonstratione potissima. Est Aegidij.

gidij. Probatur autem primò, quia si definitio subiecti esset medium in tali demonstratione, vel esset medium respectu primæ passionis, & non, quia hæc est indemonstrabilis, vt patet ex prima conclusione: vel respectu aliarum, & non quia tunc tolleretur proportionabilitas inter medium, & conclusionem, nec quælibet præmissarum roboraretur per dignitates, & tandem periret ordo, qui in demonstratione reperitur; sed ista non sunt asserenda: ergo &c. pr. mi. quoad primum, quia quidditas subiecti continet virtualiter omnes passiones subiecti: ergo demonstrare passionem per quidditatem non est procedere ex proprijs, sed ex communibus: item demonstratio non esset ex immediatis, cum nec etiam prima passio fluat ab essentia subiecti. Probatur quoad secundam partem, quia si definitio subiecti esset medium, tunc ad roborationem minoris præmissæ non se extenderet aliqua dignitas: ergo &c. Nec potest dici quod roboraretur per illam dignitatem, *de quolibet vera est affirmatio, vel negatio*, quia huiusmodi robur esset sine vtilitate; nam esset tantum secundum illationem, non secundum causalitatem, cum illa dignitas licet inferat proprias naturas singulis rebus inesse; non tamen est causa naturarum in ipsis rebus, immò magis è contra à natura rerum illud principium firmitatem habet.

Secundo pr. quia alias peteretur principium, vt dictum est. Cum ergo definitio ex Aristotele sit medium demonstrationis, & hæc non sit definitio subiecti, erit per consequens definitio passionis.

Sit tertia conclusio. Definitio passionis dicēs propter quid est medium in demonstratione potissima. Notat Aegid. quod duplex est definitio passionis, alia dicens quid, alia dicens propter quid; medium est definitio dicens propter quid. Hoc autem sic debet intelligi, quod passio præcedens sit definitio passionis sequentis: accidentia enim aliter habent quidditatem, & aliter substantiæ habent quidditatem non per additamenta, & ideo quod non est de essentia substantiæ non potest pertinere ad quidditatem substantiæ; passiones verò habent quidditatem per additamenta, & ideo quod non est de essentia passionis, dici potest quod quid est passionis, & ideo causa passionis potest dici definitio eius dicens propter quid ipsius, vt interpositio terræ est definitio dicēs propter quid ecclypsis.

Rogas. *An definitio subiecti possit ingredi aliquo modo demonstrationem?*

Resp. cum Aegidio 2. post. pag. 118. col. 4. definitionem subiecti posse tripliciter demonstrationem potissimam ingredi; numquam tamen probabitur passio de subiecto nisi per passionem, vt passio posterior per passionem priorem, & passio minoris abstractionis per passionem maioris abstractionis, in quo casu medium erit passio, non passio, quæ sit passio propria, sed quæ in hoc subiecto est causa propria propriæ passionis, vt enim docet Aegidius 2. post. pag. 114. col. 3. scientia passionis, vel de passione non est alicuius rei secundum se, quia tunc fortè sufficeret scire principia essentialia passionis, & sufficeret ad demonstrationē definitio dicens quid,

sed

ſed ſcientia per ſe eſt paſsionis, vt in hoc, cuius principalis cauſa non eſt eſſentia paſsionis, ſed eſt aliquid in ſubiecto, à quo cauſatur natura talis paſsionis, vt aliquid eſt in ipſa Luna à quo cauſatur talis paſsio, quę eſt ecclypſis, vt quia Luna poteſt habere diametralem oppoſitionem cum terra, ex hoc enim ſequitur quod poſsit ecclypſari, & ideo paſſio quæ debet eſſe medium non debet importare ſolam definitionem exprimentem eſſentiam paſsionis, ſed exprimentem cauſam inhærentiæ paſsionis in ſubiecto. Hoc tamen non obſtante definitio medij termini, vel ſubiecti poteſt ingredi demonſtrationem, primò quando eſt talis definitio, quæ non tantum dicit quid ſubiecti, ſeu exprimit eſſentialia ſubiecti; ſed etiam includit aliquam paſsionem de qua notum ſit eam ineſſe ſubiecto, tunc enim probabitur paſsio per paſsionem. Secundò quando non ſunt notæ nobis definitiones eſſentiales, tunc .n. poſſumus accipere aliqua propria, quæ nota ſint ineſſe ſubiecto, & ex illis formare definitionem ſubiecti, & per eam demonſtrare, adhuc tamen demonſtraretur paſsio per paſſionem. Tertiò, quando paſsio eſt ità propinqua rationi ſubiecti, quod accipiendo rationem ſubiecti, videtur demonſtratori quod accipiatur paſsio illa, deſpicit enim eam accipere propter nimiam manifeſtationem, ſed accipiendo rationem ſubiecti innuit per hoc etiam paſsionem acceptam eſse.

Aegidius inſuper pag. 119. col. 2. docet quod definitio ſubiecti non ingreditur demonſtrationem tanquam medium, ſed tanquam annexum medio, idquè ex triplici cauſa. Primò, quando medium dicens propter quid determinatur ad eſſe propriam cauſam paſſionis ex definitione ſubiecti, vt ſi dicatur. *Omne corpus luminoſum poteſt ecclypſari; ſed Luna eſt corpus luminoſum: ergo poteſt ecclypſari*. In hac demonſtratione definitio Lunæ, quæ eſt ſubiectum ingreditur demonſtrationem, quia corpus luminoſum determinat interpoſitionem terræ ad ecclypſare; nam corpus non luminoſum non poteſt ecclypſari. Secundò, quia cum medium ſit paſſio, & paſſio non poſſit intelligi ſine ſubiecto, oportet quod ſubiectum vniatur medio, vt cauſa vniuerſalis omnium paſſionum determinet paſſionem ad eſſe cauſam paſſionis demonſtratæ. Vide Aegidium loc. cit. Tertiò, hoc oritur ex differentia intercedente inter demonſtrationem, & definitionem: nam propriè loquendo non definitur concretum, ſed abſtractum; vt non definitur ſimum, ſed ſimitas: propriè tamen demonſtratur concretum, non abſtractum: definitio enim eſt rei ſecundum ſe, & ideo vt abſtractæ; at demonſtratio eſt huius vt in hoc, & ideo eſt rei in concreto: hinc eſt quod magis propriè definiatur tonitruum, quam tonare; magis tamen propriè demonſtratur tonare, quam tonitruum; & quia accidens in cõcreto implicat ſubiectum, ideò ratione huius implicationis ponitur ſimul cũ ea: non quidem ſubiectum, quia cum ſit minor extremitas non poteſt ingredi concluſionem, ſed cum definitione ſubiecti.

Verum contra Aegidij ſententiam acriter inſurgit Zabarella lib. 1. de

de medio demonst. c. 5. & primò sic. Si definitio subiecti non esset medium in demonstratione potissima, tunc primus modus dicendi per se esset inutilis ad demonstrationē: quod non est dicendum: ergo &c. pr. ant. quia non posset esse conclusio, cum hæc semper sit in secundo modo dicendi per se: nec maior quia in ea semper prædicatur effectus de sua causa: nec minor, si medium est alterum accidens eiusdem subiecti: ergo &c.

Secundò ex Arist. 4. ph. t. 31. vbi docet omnem bonam definitionem tria munera præstare; primum est declarare essentiam rei definitæ, deinde soluere omnia dubia in ea contingentia: & tandem accidentium omnium, quæ in ea insunt causam adducere: ergo ex definitione subiecti tamquam ex causa accidentia poterunt demonstrari.

Tertiò quia prima passio vel habet causam, vel non? si primum, ergo per eam demonstrari poterit: si secundum, ergo inest subiecto per accidens; non enim erit in subiecto nec in primo, nec in secundo modo dicendi per se, vt patet ex definitionibus vtriusquè modi: ergo per accidens: ergo erit à demonstratione aliena.

Miror virum doctissimum, & qui passim profitetur se in nullius verba iurare, in re postea (quantum præsens materia patitur) graui, iurasse in rationes, quas sibi obijcieerat Aegidius, nec aliquid ex proprio penu adduxisse. Acre quidem bellum aggreditur contra Aegidiū, sed ea arma sumit, quæ iam ab Aegidio confracta erant. Ergo ad eius rationes nullus respondeat, nisi qui prius eas excogitauit Aegidius.

Ad p. itaquè Respondet Aegidius p. post. pag. 26. col. 2 *quod definitio subiecti, licet propriè non sit medium in demonstratione, est tamen principium omnis demonstrationis, quia si materia subiecta cum forma est causa omnium accidentium, quæ fiunt in ea, & principia subiecti sunt principia omnium per se passionum, cum de subiecto demonstretur propria passio, definitio subiecti quæ continet principia subiecti, est principium omniū passionum, & per consequens omnis demonstrationis; definitio ergo subiecti licet semper possit coassumi medio in omni demonstratione, non tamen est propriè medium in demonstratione, sed est principium omnis demonstrationis.* Videatur Aegidius, qui exemplificat de eclypsi lunæ, et ostendit quomodo definitio lunæ est principium, et non medium.

Ad 2. Resp. ex Aegidio 2. post. pag. 119. col. 3. definitionem subiecti esse causam secundum se nego: ratione determinationis causæ, vel passiuæ implicationis à passione, quæ est medium concedo. Responsio patet ex notatis cum Aegidio.

Ad 3. Respondeo Aegidius pag. 119. col. 4. *quod accidentia per accidens, quæ non habent causam per se in subiecto, non demonstrantur de ipso; sed ex hoc non excluditur quin vna passio per se possit demonstrari per aliam passionem per se; nec dicuntur accidentia per accidens per se passiones, si insint per alias per se passiones: accidentium enim per accidens non est demonstratio, cum talia diuidantur contra proprium, immò quodlibet eorum est quoddam proprium; æquiuocatur ergo in acciden-*

dente per accidens. At iam ſatis, plura vide apud Aegidium locis citatis.

CAPVT DECIMVM.
De ſyllogiſmo Dialectico, ſeu Topico.

§. 1.

Nonnullas Definitiones præmitto.

ABſoluto tractatu de ſyllogiſmo procedente ex neceſſarijs qualis eſt ſyllogiſmus demonſtratiuus, aggreditur Ariſtoteles tractatum de ſyllogiſmo procedente ex probabilibus, qualis (ex Aegidio lib. p. Elench. pag. 8. col. p. & 2.) eſt ſyllogiſmus Dialecticus, ſeu Topicus. De eo pertractat Ariſtoteles in 8. lib. top. Aegidius verò in hos libros commentaria non edidit quia tamen multa, & præclara tùm de hoc ſyllogiſmo, tùm de locis topicis in lib. Rhet. & Elench. ſcripſit, idcirco quæ ab eo dicta ſunt in præſenti capite colligam; cœtera verò ex communiori ſententia definiam.

Topica dicitur à *Topoe* græcè, quod latinè interpretatur *locus*: vndè topicus idem eſt quod localis, & topica idem erit quod ars inueniendi argumenta, ſeu media ex locis: hac de cauſa topica congruè ſic definiri poteſt. ***Eſt ars, vel Doctrina inueniendi argumenta, & res per locos, vt cognoſcatur quid circa vnamquamque rem ſit probabile.***

Pro qua definitione noto primò quod argumentum duobus modis ſumi poteſt: primò in ſenſu communi pro toto ſyllogiſmo, quo pacto ab Ariſtotele 8. top. dicitur ſyllogiſmus dialecticus, vt lib. 3. c. p. §. 1. dixi ex Aegidio: ſecundò ſumi poteſt pro medio termino probatiuo concluſionis, qui ex eo quod mentem cogat ad aſſentiēdum concluſioni, dicitur argumentum, .i. ***arguens mentem***, ſicut etiam inſtrumentum dicitur ex eo quod ***mentem inſtruat***: in definitione ergo data non ſumitur argumentum primo modo, ſed ſecundo.

Noto 2. ex Aegidio p. Elen. pag. 7. col. 4. quod probabile eſt id, quod videtur omnibus, aut plurimis, aut maximè notis. Probabile omnibus eſt, quod ex ſe nulla eget probatione, ſed ex ſe apud omnes fidem meretur, vt parentes ſunt honorandi. Probabile pluribus apud tales nulla eget probatione, vt fidem faciat. Probabile maximè notis, & ſapientibus ſunt dogmata ſapiētum abhorrentia ab opinione vulgi, vt nefas eſt effugere periculum capitis mendacio. Optabilius eſſe manum habere in flamma cum ſcæuola, quam in ſinu Laidis cum Ariſtipo, & his ſimilia.

Noto 3. quod inuentio eſt medij, ſeu argumenti ad probandum neceſſarij peruestigatio; medium autem ad præſtandum aſſenſum connexioni prædicati cum ſubiecto in concluſione, inuenitur per locos topicos. Ex his autem manet explicata Topicæ definitio.

Syllogiſmus Dialecticus ex Aegidio lib. 1. Elen. & maximè pag. 38. col. 4. ***eſt ſyllogiſmus procedens ex probabilibus ſimpliciter.***

Locus ex Aegidio p. Elen. pag. 8. ***eſt fundamentum, vel ſedes, in qua reperitur medium ſeu argumentum ad probandum quodcumquè thema propoſitum.***

Pro hac definitione noto, quod in omni

omni problemate proposito duo sunt membra præcipua, subiectum, & prædicatum, vt ergo inueniatur medium ad probandum prædicatum inesse subiecto, vtrumquè membrum solitariè, & separatim est considerandum, & contemplandum est qua parte facilius, & commodius media peti possint, an à subiecto, an à prædicato, & pars illa eligenda est, ex eaquè sumenda sunt media suadentia connexionem prædicati cum subiecto v. g. proponitur hoc problema. Virtus est nè expetenda? Respondebis affirmatiuè, & sumes argumentum ad hoc probandum à subiecto sic.

Virtus est genitrix immortalitatis

Ergo virtus est expetenda.

Item proponitur, An Princeps sit colendus, sumens medium probandi à subiecto, quia Princeps est imago Dei, & sic argumentaberis.

Dei imago est colenda:
Princeps est Dei imago:
Ergo Princeps est colendus.

Rogas. *Quomodo diuiduntur loci Dialectici?*

Resp. Ex Aegidio p. Elen. pag. 9. col. 3. in maximas, & differentias maximarum. Loci maximæ dicunt quid complexum, & per consequens sunt propositiones indubitatæ quas cognoscimus in quantum locos cognoscimus: sicut enim principia cognoscimus inquantum terminos cognoscimus; nam qui scit quid est totum, & quid est pars, scit quod omne totum est maius sua parte, ità qui cognoscit rationes locorum, cognoscit maximas fundatas super illis locis, vt qui cognosceret quid est maius, & quid est minus cognoscit hanc maximam, *quod potest minus, potest & maius, & quod non potest maius non potest minus*; ex quo sequitur quod huiusmodi *maximæ* probatione non egeant, sed tantum cognitione terminorum incomplexorum. Loci qui sunt differentiæ maximarum dicunt quid incomplexum: dicuntur autem differentiæ maximarum, quia per illos maxime differunt à maximis, vt v. g. locus à maiori est differentiæ huius maximæ, *quod potest maius, potest & minus*.

Loci qui sunt differentiæ maximarum diuiduntur ab Aegid. lib. 2. Rhet. pag. 58. diuisione spectante ad Rhetoricam iuxta triplex genus, nempe *Deliberatiuum, Demonstratiuum*, & *Iudiciale*; cæterum quia Aegidius ibidem asserit non omnes locos Rhethoricos ad Dialecticum spectare, nec omnes locos dialecticos ad Rhetoricam pertinere, eo quod Dialectica communior sit; hęc verò specialior ideo prętermissa in præsenti diuisione locorum Rhetoricorum diuisionem spectantem ad Topicam ex Aristotele seligam, eamquè exemplificabo, dicturus postea de diuisione Rhetorica ex Aegidio. Loci ergo dialectici breuiter, & clarè diuidi possunt duplici via, & primo sic.

Locorum alij sunt spectantes ad res; alij ad personas. Primi generis ex quatuor capitibus, aut fūdamētis deducūtur nēpe ex Definitione, Diuisione, Causa, repugnantia, secundi generis sumuntur ex eo quod vel personis, vel negotijs est attributū, ideo à Cicerone vocantur attributa personarum. Ratio autem diuisionis est, quia membra problematis,

& quæstionis, vel sunt res, vel personæ: ergo loci habiles ad probandum, vel spectant ad res, vel spectant ad personas. Dicuntur loci personarum, quia in quæstione persona aliqua inferitur, vel personæ aliquid attribuitur. Dicuntur verò loci rerum, quia media à rebus ipsis non à personis sumuntur.

Loci personarum sunt. *Patria, parentes, educatio, studia, vel ingenium, sexus, ætas, disciplina, sodalitia, res gesta, genus, vel conditio vitæ*. Loci rerum sunt definitio, genus, species, differentia, proprium ethymologia. Coniugata, causæ quatuor .s. efficiens, formalis, materialis, finalis, effectualis, antecedentia, concomitantia, consequentia, totum, & partes, similitudo, par, maius, & minus, opposita, contraria, disparata, exemplum, authoritas, signum.

Secundò sic. Loci seu sedes mediorum alij sunt artificiales, alij inartificiales. Artificiales vel sunt interni, vel coniuncti, vel disiuncti. Interni sunt genus, species, definitio, totum, pars. Coniuncti vel sunt in terminis quæstionis, vt in subiecto, & sunt proprium, accidens, coniugata: & accidens vel est antecedens, vel consequens, vel concomitans. Vel sunt coniugati extra terminos quæstionis, & sunt causa, & effectus. Causa quadruplex est: materialis, formalis, efficiens, finalis. Loci disiuncti, vel pertinent ad vocem, vt notatio nominis: vel pertinent ad rem, & sunt, similia, comparata, opposita. Comparata vel sunt à pari, vel ab eo quod est magis, vel ab eo quod est minus. Opposita vel sunt relata, vel contraria, vel priuatiua, vel contradictoria. Inartificiales verò sunt testimonium diuinum, & testimonium humanum. Cæterum quia dialectica magis percipitur ex vsu, quam ex præceptis, oportet de his locis exemplificare, vt facilius res innotescat: at de vsu dicam §. 3. nunc dubia quædam circa dicta cum Aegidio expedio.

§. 2.

Dubia quædam excurro cum Aegidio.

CIrca syllogismum dialecticum multa quæri possunt, quæ breuiter sunt examinanda.

Dubitatur ergo 1. *An syllogismus dialecticus, seu topicus addat aliquid supra syllogismum simpliciter.*

Resp. cum Aegid. 1. Elenc. pag. 8. col. 4. syllogismum dialecticum addere supra syllogismum simpliciter quamdam habitudinem localem. Ratio est, quia syllogismus dialecticus contrahit syllogismum simpliciter, nam ille est specialior, iste verò est communior; ergo addit aliquid ratione cuius possit ipsum contrahere; semper enim specialia addunt supra communia ab eis contracta. Vt autem dignoscatur quid addat notat Aegidius, quod sicut syllogismus simpliciter resoluitur in sua principia, sic syllogismus dialecticus resoluitur in quædam principia, præter principia syllogismi simpliciter; nam sicut ex eo quod homo cõtrahit animal, quicquid est de ratione animalis est de ratione hominis, aliquid tamen est de ratione hominis, quod non est de ratione animalis: sic omnia principia, quæ sunt de ratione syllogismi simpliciter, sunt etiam de ratione syllogismi dialectici; aliqua ta-

tamen principia specialia sunt de ratione syllogismi dialectici, quæ non sunt de ratione syllogismi simpliciter: principia syllogismi simpliciter sunt dici de omni, & dici de nullo; principia verò syllogismi dialectici non tantum sunt ista, sed etiam sunt specialia, nam si dicam, ***omnia quæ potest miles potest Rex: miles potest expugnare castrum: ergo & Rex***; syllogismus iste habet duo genera principiorum .s. generalia, & specialia: generalia sunt ***dici de omni***, sicut erat in syllogismo simpliciter; specialia verò sunt habitudines quædam, nempe habitudo minoris ad maius, quia non tantum confirmatur per ***dici de omni***, sed etiam per istam maximam, ***quidquid potest minus, potest & maius***, quæ fundatur in loco ***à maiori***, & ideo dicitur quod syllogismus dialecticus addit supra syllogismum simpliciter habitudinem localem.

Dubitatur 2. ***An habitudines locales sint de ratione syllogismi dialectici?***

Resp. cum Aegid. 1. Elen. pag.8. col. 2. esse aliquo modo de ratione syllogismi dialectici; nam ex 7. met. t. 34. non est inconueniens quod illud, quod est materiale respectu vnius, sit formale respectu alterius, vt cuprum est pars materialis circuli, est tamen pars formalis circuli cuprei, quidquid enim est de ratione rei potest dici pars formalis eius; habitudo ergo localis, licet nõ sit de ratione syllogismi simpliciter, nec sit pars formalis eius, cum talis habitudo non reperiatur nisi in materia speciali, vt habitudo fundata in loco à contrario non reperitur nisi in his, quæ habent rationem oppositionis, et habitudo fundata in loco à minori non reperitur, nisi in terminis inter quos est proportio minoris ad maius; & syllogismus simpliciter nõ dicat specialem materiam, ideo talis habitudo non erit de ratione syllogismi simpliciter, erit tamen de ratione syllogismi dialectici, quia talis syllogismus non potest esse sine tali habitudine.

Dices. Principia quæ sunt dici de omni, & dici de nullo ex Aegidio probant formam, maximè verò probant materiam; ergo maximè non possunt esse de ratione formali syllogismi dialectici.

Resp. ex Aegidio loc. cit. quod illud dictum Aegidij, ità ab eo in hoc loco explicatur, vt sit sensus quod syllogismus sumptus simpliciter magis accipitur secundum formam, sumptus verò in terminis specialibus magis sumitur secundum materiam: principia verò syllogismi simpliciter magis sunt secundum formam, principia autem syllogismi dialectici respectu syllogismi simpliciter possunt dici secundum materiam; loci enim probant propositiones ipsas, non vt sunt materia syllogismi simpliciter, sed vt sunt materia syllogismi dialectici, cum in terminis generalibus localis habitudo reseruari non possit, & per consequens huiusmodi habitudines erunt tantum de ratione syllogismi dialectici.

Dubitatur 3. ***An hæ habitudines se teneant magis ex parte materiæ, vel ex parte formæ.***

Pro responsione noto ex Aegidio loc.cit. pag.8.col.2. & 3. quod sicut syllogismus dialecticus est syllogismus specialis, & contractus, ita ha-

bet materiam specialem, & contractam, proportionatam suæ formæ, vt actus actiuorum sit in patiente bene disposito; vndè sicut syllogismus dialecticus addit aliquid speciale quantum ad formam, ità addit aliquid speciale quantum ad materiam: syllogismus enim simpliciter loco materiæ habet propositiones affirmatiuas, vel negatiuas, & loco formæ habet ordinem illum syllogisticum, in quo saluari posst dici de omni, vel de nullo, syllogismus verò dialecticus includit omnia, quæ pertinent ad syllogismum simpliciter tam ex parte formæ, quam ex parte materiæ; quia verò specialior est addit aliquid ex parte vtrinsquè; nam ex parte materiæ addit probabilitatem, & ex parte formæ addit habitudinem localem; ad hoc enim quod propositiones sint materia syllogismi dialectici non sufficit, quod sint affirmatiuæ, vel negatiuæ, sed vltra requiritur quod sint probabiles. Ex parte autem formæ addit habitudinem localem, quia non sufficit, quod sit ibi principium *dici de omni, vel de nullo*, sed vlterius requiritur quod sit ibi habitudo localis, vt si fiat hic syllogismus dialecticus. *Quidquid potest miles, potest Rex; miles potest expugnare: ergo & Rex;* vltra hoc quod est principium dici *de omni*, est etiam in eo habitudo localis, nempe locus à minori, cum dictus syllogismus confirmetur per hanc maximam: *Quidquid potest minus, potest & maius*.

Hoc notato resp. ex Aegidio prędictas habitudines locales aliquo modo pertinere tam ad materiam, quam ad formam: nam in syllogismo præmisso duo sunt, maior secundum se, & illatio illa, quæ fit ex minori ad conclusionem; vtrumquè autem istorum probatur per dictam habitudinem; maior quidem, quia ideo verum est, quod quidquid potest miles, potest Rex, quia qui potest minus, potest & maius; illatio etiam ideo est vera .i. *ergo & Rex;* quia quidquid potest minus, potest & maius: & quia propositio secundum se considerata pertinet ad materiam syllogismi, illatio verò pertinet ad formam, ideo habitudo localis probat quodammodo vtrumquè; non quidem syllogismi simpliciter, sed syllogismi dialectici.

Ex hoc autem colligitur differentia inter *dici de omni, & de nullo,* ex vna parte, & habitudines locales ex altera: dici enim de omni, & de nullo, vt reseruantur in syllogismo dialectico probant solum formam; habitudines verò locales probant non solum materiam syllogismi dialectici, sed etiam formam; nam sicut cōpositum ex potentia, & actu differt ab actu per hoc quod est in potentia, & à potentia per hoc quod est in actu, sic huiusmodi habitudines probantes tam materiam, quam formam differunt à dici de omni, & de nullo probantibus solam formam per hoc quod probant materiam, quod si aliqua sint probantia solam materiam, tunc dictæ habitudines differrent ab eis per hoc, quod probant formam.

Dubitatur 4. *An loci Topici differant à locis Rhetoricis, & quomodo?*

Pro responsione præmitto primo ex Aegidio lib. 1. Rhet. pag. 12. col. 4. enthymemata, & syllogismos differre inter se ratione materiæ: sicut .n. syllogismus demonstratiuus, & dia-

lecticus differunt inter se ratione materiæ, quia ille constat ex necessarijs, iste verò ex probabilibus: ità syllogismi dialectici, & enthymemata Rhetorica differunt ratione materiæ, nam illi procedunt ex probabilibus, versantur circa vera, & applicantur scientijs speculatiuis: ista verò procedunt ex persuasibilibus, versantur circa verisimilia, & magis inseruiunt rebus politicis. Differentia autem secundum materiam per se loquendo numquam facit diuersitatem in specie; sed vel facit differentiam in genere, vel diuersitatem in numero: nam ex 5.met. c.de vno vnitas generis est vnitas materiæ, & illa sunt vnum numero quorum materia est vna.

Præmitto 2. materiam dupliciter suscipere diuersas formas: primo ratione extensionis, nam ideo fiunt diuersi annuli ex auro, quia materia auri est extensa, & in diuersis partibus auri fiunt diuersæ formæ annulares. Secundo non solum ratione extensionis, sed etiam ratione diuersi modi suscipiendi formam, vt quia hæc materia suscipit formam non habentem contrarium, & satiantem totum appetitum eius, hæc verò suscipit formam habentem contrariũ, & non explentem appetitum materiæ, & primo modo suscipit formas materia corporum cœlestium; secũdo modo materia sublunarium: ex his autem diuersitas secundum extensionem tantum, facit differentiam numericam: diuersitas verò secundum rationem suscipiendi formas facit differentiam, aut diuersitatem in genere.

Ex hoc doctrina colligit Aegidius syllogismum simpliciter non esse genus ad syllogismum demonstratiuum, & dialecticum, sed esse analogum, quia si materia necessaria, & probabilis faciunt differentiam propter rationem diuersam, eo quod dictæ materiæ non secundum eamdem rationem suscipiunt formam syllogisticam, oportet quod prædicti syllogismi differant genere inter se, & proinde syllogismus simpliciter non erit genus ad eos, sed analogum; sicut corpus est analogum ad superiora, & inferiora. Quod si inter hos syllogismos esset tantum diuersitas ratione extensionis materiæ, tunc essent eiusdem speciei, & solo numero differrent; hoc tamen est falsum vt patet, ideo necesse est quod differant ratione diuersi modi suscipiendi formas, & per consequens quod differant genere.

Colligit 2. enthymemata Rhetorica differre à syllogismis dialecticis genere; nam materia persuasibilis ex qua constat enthymema, & materia probabilis, ex qua constat syllogismus dialecticus non recipiunt secundum eamdem rationem formã syllogisticam; nam in syllogismo dialectico per se requiritur, quod exprimatur tota forma syllogismi, etiã si præmissæ sint notæ, alias non esset ibi syllogismus: non est autem per se in enthymemate, quod vtraquè præmissarum exprimatur, sed hoc potius est per accidens, & ex parte auditoris, cui altera præmissarum non est nota; propter quod eam nescit addere si vna tantum proferatur, & per consequens materia illius, & istius differunt secundum diuersam rationem suscipiẽdi formas, & sic differunt genere. Hoc etiam colligitur ex eo, quod syllogismus dia-

dialecticus cum generet opinionem terminat intellectum secundum se; enthymema verò cum generet fidem terminat intellectum, vt habet ordinem ad voluntatem.

His præmissis respondetur ad difficultatem. Locos dialecticos differre à locis Rhetoricis genere. Ratio autem est, quia sicut propter diuersam materiam, quæ non secundum eamdem rationem suscipit formam syllogisticam, differt enthymema à syllogismo dialectico genere: sic ob eamdem diuersitatem materiæ loci dialectici, & rhetorici debent inter se distingui genere. Nec facit quod tam dialecticus, quam Rhetoricus vtantur locis à maiori, à minori, & quod ferè omnes loci dialectici nominentur eisdem nominibus, ac nominantur loci Rhetorici, tamen loci isti in Dialectica, & Rhetorica sumuntur æquiuocè, vel analogicè: vndè locus à maiori, & locus à minori dicitur analogicè, prout eo vtitur Rhetor. & Dialecticus; sicut corpus dicitur analogicè de corporibus cœlestibus, & de sublunaribus.

§. 3.

Exempla à Locis Personarum desumpta.

VT Pictura addisci non potest spectando, & Musica audiendo, ità & Dialectica addisci non potest regulas contemplando, sed eas ad praxim reducendo, profero ergo exempla, vt facilius Topica addiscatur. A locis ergo personarum ita deduci possunt argumenta.

A Patria. *Italus est, ergo ingeniosus. Græcus est, ergo mendax.*

A sexu. *Vir est, ergo fortior. Virgo est, ergo verecunda. Monialis est, ergo clausa.*

A parentibus. *Bruti filia est, ergo virile pectus gestat. Pater pius est, ergo & filius.*

Ab ætate. *Iuuenis est, ergo inexpertus. Senex est, ergo prudenter operatur.*

Ab educatione. *Inter feras educatus, ergo crudelis est. A cerua lac sumpsit, ergo velox in cursu.*

A disciplina. *Aegidius doctus est, ergo doctum habuit præceptorem. Hæretici indocti sunt, ergo indoctos habuerunt magistros.*

A studijs. *Miles est, ergo bellum non abhorret. Faber est, ergo fabrilia tractat.*

A sodalitijs. *Prodigus vixit cum meretricibus, ergo omnia dissipauit. Conuersatur cum Religiosis, ergo religioni nomen dabit.*

A rebus gestis. *Alexander semper fœliciter pugnauit, ergo Darium vincet. Cæsar nullum bellum amisit, ergo Consul creandus. Magdalena pœnitentiam egit, ergo veniam est consecuta.*

A vitæ genere. *Aeremita est, ergo sæcularia non curat. Astrologus est, ergo syderum motus contemplatur.* Ad hos autem facilè reduci possunt loci circumstantiarum, & accidentium.

§. 4.

Maxima, & Exempla à locis rerum deprompta.

EXemplificandum modo est in locis rerum, ex quibus eruuntur media ad probandam connexionem rei cum re, prout res distinguitur à persona.

Pri-

Primus locus est *à Genere*, vbi genus non est sumendum tantum propriè pro eo quod prædicatur in quid de pluribus speciebus; sed etiā magis latè, vt se extendit etiam ad materiam ex qua, & in qua aliquid fit, genus enim sumitur à materia eo modo quo dictum est suprà, & ideo materia comprehendi potest sub generis nomine. Ex hoc loco sumi potest medium ad probandum tàm affirmatiuè, quam negatiuè; & vtroquè modo habet suas maximas.

A genere affirmatiuè sumitur hæc maxima. *Quod prædicatur de genere vt dicit primam intentionem, prædicatur etiam de speciebus, & indiuiduis.*

Exemplum est. *Omnis virtus est conformis recta rationi; ergo fortitudo est conformis recta rationi. Omnis homo est animal; ergo omnis homo est sensitiuus.*

A genere negatiuè sumitur hæc maxima. *Quod non conuenit generi non conuenit speciei.* Exemplum. *Non est animal, ergo non est homo. Non est conforma recta rationi: ergo non est virtus.*

A genere vt dicit materiam in qua, vel ex qua. *Philosophia inhæret animo; ergo addiscenda. Voluptas inest corpori; ergo respuenda.*

Secundus locus est *à Differentia* ex qua sumi potest medium tàm affirmatiuè, quam negatiuè, & vtroquè modo ex ea sumitur maxima. Maxima affirmatiua. *Cui tribuitur differentia, ei tribuitur id cuius est differentia.* Maxima negatiua. *Cui non conuenit differentia, ei non conuenit species constituta per talem differentiam.*

Vsus & exemplum. A differentia affirmatiuè. *Est rationalis: ergo est homo, est disgregatiuum visus: ergo est album.*

Tertius locus est *à specie* ex qua sumi potest medium ad probandum tàm affirmatiuè, quam negatiuè. A specie affirmatiuè sumitur hæc maxima. *Cui tribuitur species ei etiam tribuitur genus.* A specie negatiuè sumitur hæc. *Quod non conuenit omnibus speciebus, non conuenit generi.*

Vsus & exemplum à specie affirmatiuè. *Est homo: ergo est animal. Leo in se habet vitam: ergo & animal.* A specie negatiuè. *Non est iustitia temperantia & sic de alijs: ergo non est virtus moralis.*

A differentia negatiuè. *Non est rationale: ergo non est homo.*

Quartus locus est *à Definitione*. Ex ea sumitur medium tàm ad affirmationem, quam ad negationem, & vtroquè modo habet suas maximas. Maxima affirmatiua ex Aegidio 2. Rhet. pag. 58. *Cui competit definitio, ei competit definitum.* Maxima negatiua ex eodem. *A quo remouetur definitio, ab eo remouetur & definitum.*

Vsus & exemplum. A definitione affirmatiuè. *Cæsar fecit generosa: ergo est generosus*; definitio enim, & notificatio generosi est factio operis generosi: *Senex est: ergo semimortuus*; hæc enim est definitio quid nominis. *Senis. Senatus decreuit: ergo prudenter*; Senatus enim dicitur à Senibus propter prudentiam.

A definitione negatiuè. *Non est animal rationale; ergo non est homo.*

Sub hoc loco comprehenditur locus *à definito ad definitionem*, ex quo vtrumquè medium, & vtraque ma-

maxima sumi potest ex Aegidio loc. cit. maxima affirmatiua. *Cui competit definitum, ei competit definitio.* Maxima negatiua. *Cui non competit definitum, ei non competit definitio.*

Vsus & exemplum. *A definito affirmatiuè. Est generosus: ergo facit generosa. Sacerdos est ergo facere debet sacra. Religiosus est: ergo à saeculo relegatus.*

A Definito negatiuè. *Non est generosus; ergo non agit generosa. Cucurbita non est homo; ergo non est animal rationale.*

Sub eodem loco comprehenditur locus *à definitiuo ad definitum*, ex quo & vtroquè modo arguere, & maximas sumere possumus. Maxima affirmatiua ex Aegidio loc. cit. *De quo praedicatur definitum, de eo praedicari debet & definitiuum*; debemus enim tale definitum accipere quod conuertatur cum definitiuo, alias non possemus arguere construćtiuè, & destrućtiuè. Maxima negatiua. *De quo non praedicatur definitum, de eo praedicari non debet definitiuum.*

Vsus & exemplum ex Aegidio. Si bonum est diffinitiuum honesti: ergo bonum est honestum. Si bonum non est definitiuum honesti: ergo bonum non est honestum.

Quintus locus est *proprium*. Est autem proprium quod necessario coniunćtum est cum essentia, cum semper ab ea fluat: vndè est locus rei, & est locus coniunćtus. Ex eo vtroquè modo sumi possunt argumenta, & maximae; maxima affirmatiua. *Cui tribuitur proprium*, (intellige quarto modo) *ei tribuitur & species*, cum conuertatur cum specie. Maxima negatiua. *Cui non conuenit proprium, ei non conuenit essentia à qua dimat.*

Vsus & exemplum. *Est risibilis; ergo est homo. Non est admiratiuus: ergo non est homo.* Item rugit, runcat, vncat, frendit, mugit, balat, sibilat, tinnit, trutilat, crocitat, stridet: ergo est leo, tygris, vrsus, Aper, taurus, ouis, serpens, paro, turdus, coruus, vespertilio.

Sextus locus est *etymologia*. Ex ea sumi possunt argumenta, & maxime vtroquè modo. Maxima affirmatiua. *Cui conuenit nomen, ei conuenit & interpretatio nominis.* Maxima negatiua. *Cui non conuenit nomen, nec etiam cōuenit interpretatio nominis.*

Vsus & exemplum. Ab etymologia affirmatiuè. *Christus vocatur Iesus: ergo est Saluator. Haec auis est merula: ergo mera, & sola volat. Est Sol; ergo super omnia lucet. Iste est puteus; ergo ex eo sumi potest:* Dicitur enim puteus ex Varrone, quia ex eo sumi potest. *Hoc est monumentum ergo mouet mentem*, & ab opposito exemplificari potest negatiuè.

Sub hoc loco continetur etiam nomen ex operibus acquisitum vt notat Aegidius Rhet. 2. pag. 85. col. 4. multi enim propter aliqua quae egerunt adepti sunt nomen aliquod, & si illud nomen sonat in duritiem, possumus arguere ipsum esse durum. Si sonat audacem esse possumus arguere ipsum esse audacem, & sic de alijs. Maxima autem est talis. *Probabile est sic aliquem operari, prout nomen per opera acquisiuit.*

Septimus locus est *à Consentaneis*, seu *Coniugatis*, qui locus ex Aristotele nobilissimus est, & commodissimus. Coniugata autem sunt,

qua

quæ habent diuersas terminationes in vocibus, habent tamen eamdem originem, & significationem, vt *Iustus, Institia, Iustè, Fortis, Fortitudo, Fortiter.* Ex hoc loco sumendus est modus, qui sit coniugatus prædicati. Ex eo sumi potest vtrumquè medium, & vtraquè maxima. Maxima affirmatiua est. *Cui conuenit vnum coniugatorum, eidem conuenit reliquum.* Maxima negatiua. *Cui non conuenit vnum, nequè conuenit alterum.*

Vsus & exemplum est. *A coniugatis affirmatiuè. Qui iustus est facit iusta; Aristides iustus est: ergo facit iusta.* Item *qui contemnunt religiosos contemnunt religionem Hæretici contemnunt religiosos; ergo contemnunt religionem.* Item. *Qui est Consul debet consulere reipublicæ: Cicero est Consul; ergo debet consulere reipublicæ. A coniugatis negatiuè*, quando medium est coniugatum tùm subiecti, tùm prædicati; tunc enim licet deducere conclusionem tùm affirmatiuam, tùm negatiuam. *Si dulcedo est qualitas, dulce est quale. Si diues non est fælix, diuitiæ non sunt fælicitas.*

Octauus locus est, *A Causis.* Hic locus inter cœteros principatum obtinet tùm ratione amplitudinis, tùm ratione certitudinis, quia scire est rem per causam cognoscere.

Causa est principium à quo aliquid per se pendet. Causæ sunt quatuor, duæ internæ vt materia & forma; & duæ externæ, vt efficiens, & Finis. Materia est primum principium ex quo aliquid fit. Forma est ipsum quod quid erat esse rei. Efficiens est principium à quo aliquid fit. Finis est id cuius gratia cætera fiut.

Ex hoc loco sumi potest argumentum ad probandum tàm affirmatiuè, quam negatiuè, & pari modo sumi possunt suæ maximæ nedum in genere, sed etiam in specie. Maxima affirmatiua ex Aegidio Rhet. 2. pag. 85. *Posita causa ponitur effectus.* Maxima negatiua. *Remota causa remouetur effectus.* Vsum & exemplum adducam in causis specialibus.

Causa materialis duas habet maximas. Maxima affirmatiua. *Quod conuenit materiæ consentaneum est conuenire composito.* Maxima negatiua. *Sublata materia tollitur compositum, & forma materialis.*

Vsus & exemplum. A causa materiali affirmatiuè. *Domus solis est ex auro; ergo est pratiosa. Homo constat ex contrarijs; ergo est corruptibilis.*

A causa materiali negatiuè. *Cœlum non est compositum ex contrarijs: ergo non est corruptibile Non habuit metalla; ergo nummos non adulterauit.*

Causa Formalis duas similiter habet maximas. Maxima affirmatiua. *Posita forma substantiali ponitur res ipsa.* Maxima negatiua. *Ablata forma substantiali aufertur res ipsa.*

Vsus & exemplum. A causa formali affirmatiuè. *Est figuræ circularis; ergo est aptum ad motum circularem. Brunellus est gibbosus: ergo deformis. Imperium Turcicum est Tyrannicum; ergo vituperandum.* A causa formali negatiuè. *Anima excessit à corpore: ergo corpus non est homo. Elephans non habet vsum rationis; ergo literas scribere non potuit. Mulier deformis est; ergo adulterium non comisit.*

Causa efficiens præbet argumentum tùm affirmatiuum, tùm negatiuum. Maxima affirmatiua. *Posita causa proxima efficiente, ponitur effectus*. Maxima negatiua. *Sublata causa efficienti proxima, remouetur effectus*. Ex hoc loco laudamus, & vituperamus filios à parẽtibus, opera ab artificibus. Laudamus eos, qui sponte opera studiosa, & digna ediderunt. Suademus bellum cũ Turcis, quia milites, arma, pecuniæ promptæ sunt, & Turci inter se dissident.

Vsus, & exemplum à causa efficiente affirmatiuè. *Poema est Virgilij, ergo est egregium*. *Pictura est Apellis, ergo est insignis*.

A causa efficiente negatiuè. *Pharao non obediuit Deo, ergo non credidit Deo. Gladium non habuit, ergo interficere non potuit*.

Causa finalis vtroque modo subministrat argumenta, & maximas. Maxima affirmatiua. *Cuius finis bonus est, ipsum quoquè bonum est*. Maxima negatiua. *Cuius finis non est bonus, nec ipsum est bonum*. Ex hac sede sumimus argumenta laudandi, vel vituperandi res à fine.

Vsus, & exemplum. A causa finali affirmatiuè. *Paupertate fælicitatem consequimur, ergo paupertas est expetenda. Sapientia gloriam affert patriæ, ergo addiscenda. Bellum amicos liberabit à morte, ergo suscipiendum*.

A causa finali negatiuè. *Bellum non cedit in honorem patriæ, ergo non amplectendum. Turpe est persequi probos viros, ergo non sunt persequendi*.

Nonus locus est. *A Causato, seu ab Effectu*. Hic locus affinis est loco causarum, quia sicut ex causis cognoscimus effectus, & causata, ità ex effectis, & causatis deuenimus in cognitionem causæ. Effecta autem, aut causata sunt ea, quæ pendent ab aliqua ex quatuor generibus causarum. Effectus in genere causæ efficientis vulgò, & communiter dicuntur effecta: effectus materiæ, & formæ est compositum: effectus finis sunt media, adminicula, aut præparationes ad finem.

Ex hoc loco sumi possunt argumenta tam affirmatiua, quam negatiua in omni genere effectus, & in quolibet genere reperiuntur suæ maximæ. Maximæ effectus, seu causati materiæ, & formæ. 1. *Quod conuenit composito, probabile est conuenire materiæ*, vt nix est frigida: ergo & aqua, quæ est materia niuis. 2. *Posito composito necessarium est poni materiam*, vt si est nauis sunt ligna, claui &c. 3. *Posito, aut sublato composito, ponitur aut tollitur forma*. Excipe animam rationalem, quæ est separabilis à materia.

Maximæ pro causatis in genere causæ efficientis. 1. *Posito proprio effectu ponitur, & propria causa, vel esse, vel fuisse*, vt dies est: ergo Sol ortus est. Est sensus: ergo est anima: est domus: ergo est, vel fuit ædificator. 2. *Sublato effectu tollitur causa*: vt non est calor, ergo non est ignis: non est lumen, ergo non est Sol: non est eclypsis, ergo nec interpositio terræ. 3. *Posito effectu quod est in fieri, ponitur causa in actu, & remoto remouetur*, v. g. est splendor, ergo est corpus luminosum: est calefactio, ergo est calefaciens: est musica, ergo sunt cantores. 4. *Qualis est effectus, talem esse causam probabile est*.

Ma-

Maximæ pro effectis, & causatis in genere causæ finalis. 1. *Sublatis medijs tollitur finis*, vt non est studium literarum, ergo non est felicitas: non est cibus, ergo non est vita animalis. 2. *Positis medijs non necessario ponitur finis*. Ratio est, quia in multis voluntas destituit opus inchoatum, & in multis occurrunt infortunia impedientia à consecutione finis.

Vsus, & exemplum omnium causatorum peti potest ex causis, nam ex vsu causarum facilè est colligere vsum causatorum.

Decimus locus est. *Ab antecedentibus, concomitantibus, & consequentibus*. Hic locus à Cicerone, & alijs vocatur *ab adiunctis*.

Pro huius loci intelligentia noto quod per antecedentia, & consequentia hic intelliguntur accidentia quædam, quæ accidunt prædicato quæstionis, & cum eo probabiliter cohærent, quæ hac de causa dicuntur *adiuncta*, quia prædicato adiunguntur, & sunt præter essentiam eius, & vnum non est causa alterius. Hæc autem vel sunt antecedentia, vel concomitantia, vel consequentia. Antecedentia vt lassitudo antecedit febrim; vel concomitantia, vt lux, & calor; vel consequentia, vt lac sequitur conceptum. Ex his autem aliqua necessariò cohærent, vt aurora, & solis ortus, quædam vt plurimum, vt lassitudo ante febrim, quædam sæpe sæpius, vt rubedo in sero ante serenum in mane; & quæ cohærent necessariò cum prædicato reddunt conclusiones necessarias, cœtera, probabiles. Ex hoc loco tanquam ex færacissimo campo varia media sumuntur ad faciendam fidem, & Oratores in eis prosequẽdis maximè exultant. Ex eo laudant, vel vituperant à scientijs, virtutibus, vitijs, forma, figura, &c. Laudant à consuetudine bonorum, vituperant à familiaritate improborum, à comitatu audacium. Ex eo suadent vitandam esse amicitiam improborum, amplectendam bonorum, religiosorum. Ex eo argumentantur homicidium fuisse perpetratum ab homine, quia seditiosus, crudelis. Eo arguit Cicero pro Roscio, Comædo, Fannium Chæream dicendo. *Nonnè ipsum caput, & supercilia penitus abrasa, olere malitiam, & clamitare calliditatem videntur? Nonnè ab imis vnguibus vsque ad verticem summum (si quam cõiecturam affert homini tacita corporis figura) ex fraude, fallacijs, mendacijs constare totus videtur? Qui idcirco capite, & supercilijs semper est rasis, nè pilum vllum viri boni habere dicatur*. Ex eo Martialis argumentatur Zoilum bonum non esse lib. 2.

Crine ruber, niger ore, breuis pede, lumine luscus,
Rem magnam præstas, Zoile, si bonus es.

Ex eo tandem sumuntur maximę, & media ad faciendam fidem, pro quibus nota quod quando medium est *ab antecedentibus*, est hæc maxima. *Sublato antecedenti tollitur consequens*. Quæ maxima in necessarijs semper est vera, in contingentibus ferè vera. Si medium est *à concomitantibus*, est hæc maxima. *Si duo accidentia cohærent necessariò, aut vt plurimum, vno posito, aut sublato, alterum tolli consentaneum est*. Si medium est *à consequentibus*, est

hæc maxima *Posito consequenti ponitur antecedens*.

Vsus autem, & exemplum in his omnibus est. Ab antecedentibus negatiuè. *Ciuitas non est munita, ergo capietur ab hostibus.* Ager non est concitus, ergo non fructificabit. *Non est radix, ergo nec rami*. *Clodius progressus est cum seruis audacibus, ergo occidit Milonem. Christus resurrexit, ergo & nos resurgemus*.

A concomitantibus. *Rufus est, ergo nequã. Philosophus, ergo pauper.*

A consequentibus. *Habet lac, ergo peperit. Leprosus adorat Christum, ergo prius credidit. Domus est, ergo & fundamentum. Fugam arripuit, ergo furtum, vel homicidium commisit*.

Vndecimus locus est *à Toto*. Totum est quod partes habet. Duplex est alterum quod constat ex partibus formalibus, alterum ex materialibus. Partes materiales sunt, in quas totum diuiditur actu. Partes formales sunt partes essentiales ex quibus totum essentiale resultat. Partes materiales sunt fundamentum, parietes, tectum, &c. respectu domus. Partes formales sunt animal, & rationale respectu hominis. Partes materiales aut sunt homogeneæ, aut hetereogeneæ; illæ sunt quæ habent idem nomen, eamdemquè definitionem cum toto; vt partes aquæ, aeris, ignis: illæ verò sunt, quæ habent diuersum nomen, & diuersam naturam à toto, vt manus, caput, pes, oculus respectu hominis. Partes homogeneæ, aut sunt integrantes proximè, vt corpus, & anima: aut sunt integrantes remotè, vt sunt partes componentes partes proximè integrantes. Locus *à Toto* confunditur à quibusdam cum loco à genere, sed immerito, tùm quia genus prædicatur de omnibus speciebus, totum autem hetereogeneum non prædicatur de partibus propriè: tùm quia totum continet partes omnes actu, genus verò in potentia. Ex hoc loco sumi potest medium ad probãdum, tùm affirmatiuè, tùm negatiuè; & ex eo deducuntur suæ maximæ. Maxima affirmatiua in toto homogeneo. *Quod prædicatur de toto homogeneo, prædicatur de singulis partibus*. Excipe ea, quæ conueniunt toti, vt totum est, vt aqua ambit totum locum fluminis, non tamen pars aquæ, quia ambire conuenit aquæ fluminis, vt totum est. Maxima negatiua. *Quod non prædicatur de toto homogeneo, non prædicatur de partibus*. Maxima affirmatiua in toto hetereogeneo. *Posito toto ponuntur partes integrantes, aut necessaria*. Maxima negatiua. *Sublato toto auferuntur partes*.

Vsus autem, & exemplum est. A toto homogeneo affirmatiuè. *Totus ignis est calidus, ergo & qualibet pars ignis. Tota aqua est frigida, ergo & qualibet pars eius*.

A toto homogeneo negatiuè. *Totus aer est humidus, ergo suprema regio aeris non est sicca*.

A toto hetereogeneo affirmatiuè, & negatiuè. *Canis est animal, ergo habet animam. Non est animal, ergo non habet animam*.

Duodecimus locus est *à Parte*. Pars est quæ in toto continetur, & est vel homogenea, vel hetereogenea. Ex hoc loco potest sumi argumentum affirmatiuum, & negatiuum. Maxima affirmatiua. *Quod*

cōuenit omnibus partibus simul sumptis, conuenit etiam toti. Positis omnibus partibus, ponitur totum. Maxima negatiua. *Quod non conuenit partibus simul sumptis, non conuenit toti.* Item. *Sublata parte integrali, vel necessaria tollitur totum.*

Vsus, & exemplum. A partibus affirmatiuè. *Est corpus & anima simul, ergo est animal. Singula gutta aqua sunt figura sphærica, ergo tota aqua est figura sphærica.*

A partibus negatiuè. *Non est paries, nec tectum, ergo non est domus.*

Decimus tertius locus est *à similibus, vel à paribus, siuè comparatis.* Similia dicuntur ea, quæ aliquam analogiam, & proportionem habēt inter se, vt sicut est Pastor in grege; ita Rex in regno. Dissimilia verò sunt, quæ inter se proportionē non habent. Illa vim habent ad persuadendum, ista vim habent ad refellendum. Ex hoc loco sumitur argumentum ad suadendum, & dissuadendum. Maxima *similium* ex Aegidio 2. Rhet. pag. 85. est. *De similibus simile est iudicium.* Maxima *dissimilium. De dissimilibus dissimiliter est iudicandum.*

Vsus, & exemplum. A simili. *Corpus sine mente non potest vti suis membris, ergo & respublica sine legibus non potest vti suis partibus. Agricola nullis parcit laboribus ad excolendum agrum, vt ex eo vberem fructum recipiat ergo & Patres nullis laboribus parcere debent, vt filiorum ingenia excolantur. Asinus non progreditur nisi verberetur, ergo nec malus seruus operatur nisi plagis affligatur.*

A dissimili non valet: nam si dicatur. *Inter animalia omnia sunt communia, ergo inter homines omnia debent esse communia.* Non valet quia homines, & animalia sunt valde dissimilia. *Ignis est dissimilis aquæ, ergo et terra est dissimilis aeri;* valet.

Decimus quartus locus est *à maiori ad minus.* Maius hic dicitur quod suæ veritatis maiorem habet probabilitatem. Ex hoc loco sumitur argumentum negatiuè. Maxima ex Aegidio loc. cit. est. *Quod non potest maius, non potest minus.*

Vsus, & exemplum. *Maiores nobis non potuerunt expugnare ciuitatē, ergo nec nos eam expugnabimus.*

Decimus quintus locus est *à minori.* Ex hoc loco sumitur medium ad probandum affirmatiuè. Maxima ex Aegidio loco citato est talis. *Quod potest minus, potest maius.*

Vsus, & exemplum est. *Minores nobis debellauerunt castrum, ergo & nos debellabimus. Miles gregarius potest arcē expugnare, ergo & Rex. Feræ diligunt suos partus, ergo & homines. Licet Ionem Sabbato sanare, ergo licet Sabbato hominem curare.*

Decimus sextus locus est *ab oppositis,* qui locus ab alijs vocatur *à dissentaneis*, & à Cicerone vocatur *à contrarijs;* seù à repugnantibus. Dissentaneum est, quod ab altero dissentit, vel diuersum est. Dissentanea vel ad inuicem dissentiunt sine pugna, & ista sunt distincta; vel cum pugna, & sunt opposita. Opposita sunt, quæ habent inter se repugnantiam, ità vt nec vnum possit conuenire alteri, nec vtrumque eidem tertio secundum idem, ad idem, & eodem tempore. Opposita vel sunt disparata, vel contraria. Disparata sunt

ſunt quorum vnum opponitur indirectè multis; & talia ſunt ſub diuerſis generibus, vt linea, & ſcientia ſunt oppoſita diſparata, homo & color, & ſimilia. Contraria ſunt illa, quæ ſub eodem genere maximè diſtant. Contrariorum quatuor ſunt ſpecies, aut enim opponuntur contrariè, vt album, & nigrum; aut priuatiuè, vt iuſtum, & iniuſtum; aut relatiuè, vt dominus, & ſeruus; aut contradictoriè, vt eſſe, & non eſſe; de quibus omnibus dictum eſt ſupra. Ex hoc loco ſumì poteſt argumentum, tum ad probandum affirmatiuè, tum negatiuè. Sumuntur etiam ſuæ maximæ nedum in genere, ſed etiam in ſpecie. Maxima generica affirmatiua ex Aegidio 2. Reth. pag. 85. *Si propoſitum in propoſito, & oppoſitum in oppoſito*. Maxima negatiua ex eodem. *Si in propoſito non eſt propoſitum, nec in oppoſito eſt oppoſitum*.

Vſus in genere. *Habere pacem eſt bonum, ergo bellare eſt malum. Habere pacem non eſt bonum, ergo bellare non eſt malum.* Item. *Vitium eſt turpe, ergo virtus eſt honeſta*.

In ſpecie ſimiliter ſunt ſuæ maximæ. In contrarijs. Maxima affirmatiua eſt. *Poſito vno contrariorum remouetur alterum. Nix eſt candida, ergo non eſt nigra*. Maxima negatiua. *In contrarijs immediatis negato vno ponitur alterum, & è contra. Sortes eſt ſanus, ergo non eſt ægrotus*.

In relatiuè oppoſitis reſpectu eiuſdem ſubiecti affirmatiuè tantum ſumi poteſt argumentum. Maxima eſt talis. *Impoſſibile eſt vnum, & idem eſſe duo relata eodem reſpectu. Eſt Pater, ergo non eſt Filius. Eſt ſeruus, ergo non eſt dominus*. Relatiua autem diuerſorum ſubiectorum valent affirmatiuè, & negatiuè. Maxima talis. *Relatiua poſita ſe ponunt, & perempta ſe perimunt*.

Vſus eſt talis. *Sortes eſt dominus, ergo non eſt ſeruus. Non eſt dominus, ergo non eſt ſeruus*.

In priuatiuè oppoſitis argumentamur tàm affirmatiuè, quam negatiuè. Maxima eſt talis. *Poſita priuatione remouetur habitus, & è conuerſo*.

Vſus, & exemplum eſt. *Ebrius contemnitur, ergo ſobrius eſt laudandus. Eſt cæcus, ergo non videt. Non eſt lux, ergo ſunt tenebræ*.

In contradictoriè oppoſitis reperitur medium tùm affirmatiuum, tùm negatiuum. Maxima talis. *Contradictoria non poſſunt eſſe ſimul vera de eodem. Neceſſarium eſt contradicentium alterum cuilibet rei conuenire, alterum non conuenire*.

Vſus eſt. *Sortes eſt viuus, ergo non eſt mortuus. Non eſt viuus, ergo eſt mortuus. Eſt videns, ergo iam non eſt non videns*.

In diſparatis, ſiuè diuerſis maxima talis. *Poſito vno diſparatorum tollitur alterum*.

Vſus eſt. *Eſt ſeruus Mammonæ: ergo Deo adhærere non poteſt. Hoc factum eſt crudele: ergo non eſt iuſtum, nec æquum. Italus eſt; ergo non eſt Gallus*.

Decimus ſeptimus locus eſt *ab exemplo, ſeù à ſimilibus caſibus*. Exẽplũ eſt ꝓbatio alicuius rei per ſimilia maxima talis. Quod in vno ſimilium, aut exemplorum valet, valet quoque in alio. Hic locus parum differt à ſimili.

Vſus eſt. *Cicero conſul factus, oc-*

cidit Catalinam opprimentem rempublicam: ergo occidendus est Dionisius oppriments rempublicam.

Decimus octauus locus est *ab Authoritate, vel à Testimonio.* Authoritas est perfectio, vel qualitas dicentis ratione cuius dicens dignus censetur, vt ei fides adhibeatur, vt est scientia, vel virtus; ex eo enim quod proferens rem per causam cognoscat, non errat, & per consequẽs fide dignus est. Duplex est authoritas alia affirmatiua, alia negatiua: affirmatiua est quando dicens affirmat ita esse, & hæc dicitur testimonium. Negatiua est qua negat hoc esse, & huius ad probandam negationem est vsus; sic Aristoteles negat verecundiam esse virtutem.

Insuper authoritas duplex est. Diuina, & humana, Diuina est certa, & infallibilis, humana est probabilis. Authoritas diuina est ex oraculis, ex hominum inspirationibus, ex somnijs diuinitus immissis. Item ex signis, prodigijs & portentis, quæ dici potest authoritas operis. Humana est ex consuetudine, fama, antiquitate, testimonio peritorum in sua arte, plurium, sapientum, bonorum, aut meliorum.

Ex huiusmodi loco sumi potest medium ad probandum tùm affirmatiuè, tùm negatiuè. Maxima ex Aegidio 2. Rhet. pag. 85. est. *Quod videtur eis, quorum iudicio standum est, dicendum est sic esse*; & ex opposito quod non videtur non est dicendum esse, sed non esse.

Vsus autẽ & exẽplum est. Ab authoritate affirmatiuè. *Socrates Apollinis oraculo est omnium sapientissimus; ergo ita existimandus. Fama publica commendat sortem vt virum bonum; ergo fraudem, aut furtum non fecit.* Ab authoritate negatiuè. *Sapientes asserunt Sortem non esse dolosum ergo ità dicendum est.* Hic locus dicitur ab alijs inartificialis.

Decimus nonus locus est *à signo.* Signa sunt notæ quædam quæ sensu depræhenduntur, & sunt vel necessaria, vel probabilia. Locus iste apud Rhetores dicitur à coniecturis, aut à communiter accidentibus. Maxima est talis. *Posito signo necessario, vel probabili, necesse est signatum poni.*

Vsus & exemplum. Terra efficit vmbram rotundam in eclypsi lunæ: ergo terra rotunda est: interrogatus erubuit: ergo reus est.

Vigesimus locus esse potest *à diuisione,* hæc enim inter locus numeratur. Diuisio li. 2. est definita itaquè mẽbra diuidẽtia sunt exposita, ideo non oportet nunc illa repetere. Habet suam maximam, quę est ex Aegidio lib. 2. Rhet. pag. 85. est. *Quod conuenit alicui diuiso, necesse est vt conueniat alicui diuidentium.*

Vsus & exemplum est. Quicumquè iniuriam infert, vel est auarus, vel superbus, vel odio habens: Titius iniuriam inferet, & non est auarus, nec superbus, ergo est odio habens. Sortes non voluit, nec potuit; ergo nullam faciẽdi causam habuit. Si vxor est ducenda, vel est ducenda formosa, vel desformis: sed formosa non est ducenda, quia tunc futura esset communis; nec desformis quia molestiæ, vel tædio esset; ergo nullo modo est ducenda.

Sunt alij loci minus præcipui quos breuiter tango. Est locus à generatione ad genitum, vel è contra. Maxima talis. *Quorum bona est ge-*

ne-

neratio, & ipsum genitum bonum est, & quando genitum est bonum, & ipsa generatio est bona.

Vsus & exemplum. *Natiuitas Virginis gaudium attullit vniuerso mundo; ergo & ipsa Virgo. Acquisitio sapientiæ superat omne aurum, ergo & sapientia.* Maxima corruptionis. *Cuius corruptio est mala, corruptum est bonum. Cuius corruptio est bona corruptum malum est.*

Suspensio latronis est bona: ergo latro malus est. Destructio idoli est bona: ergo Idolum malum est. Corruptio Iudæ est bona: ergo Iudas malus est. Perditio sapientiæ est mala: ergo Sapientia est bona.

Est locus *ab vsibus.* Maxima talis. *Si res est bona, vsus eius bonus est, & è conuerso.* Bonus est vsus equi ad equitandum: ergo equus bonus est.

Est locus *à proportione.* Maxima talis. *Vbi est eadem proportio, idem est iudicium.*

Vsus. Sicut se habet Sol, & lumen in mundo visibili, ita gratia in homine: ergo sicut sine sole, & lumine omnia sunt in tenebris, ità sine gratia Dei anima est in tenebris peccatorum.

Est locus à metaphora. Leo rugiēs est fugiendus: ergo & Dæmon, qui leoni assimilatur. Sunt etiam innumeri alij loci pertinentes ad Topicam, sed istos insinuasse sit satis.

Et hi omnes inseruiunt ad probandam quæstionem simplicem, & absolutam, vt *An v.g. virtus sit expetenda?*

At de quæstione comparata, qua quæritur, *An virtus sit magis expetenda, quam bona valetudo?* dubitari potest quinam loci ei inseruiant?

De hac agit Arist. 3. top. maximas præcipuas elicio ex quibus innotescet quæ res in bonitate, & præstantia emineat.

Maxima prima generalis. *Quod sua natura est tale, magis est tale quā quod est per participationem tantum.*

Secunda. *Quod est per se tale est magis tale quam quod per accidens:* vt Sol est lucidior speculo.

Tertia. Quæ à suis contrarijs sunt magis remota, sunt magis puræ, quam quæ minus.

4. *Cui conuenit magis definitio, ei conuenit magis definitum.*

5. *Quod magis per se efficit, magis est tale.*

6. *Cui magis inest causa, magis inest effectus.*

7. *Cui magis insunt media ad finem, ei magis inest finis.*

Maximæ in speciali. 1. *Quod propter se expetitur est præstantius eo quod expetitur propter aliud.* Vt pax bello.

2. *Quod omnibus est bonum melius est quam quod alicui tantum.*

3. *Bonū frequens & promptū melius est eo, quod raro vtile est:* & ideo panis ad vitam melior est, quam turdus. Intelligitur cæteris paribus.

4 *Quod per se est bonum est melius, eo quod est per accidens;* vt valetudo est optabilior medicina.

5. *Quod quis cum habet non desiderat alterum, melius est eo quod cùm habet, altero eget.* Sic abundantia melior est pecunijs.

6. *Causarum finalis postrema est nobilissima.* Sic fælicitas est melior virtute.

7. *Quæ ordinantur ad meliorem finem sunt meliora.*

8. *Quæ sunt stabiliora, sunt meliora.* Sic virtus est prestantior auro.

9. Bo-

9. Bona quæ ducunt ad perfectionem sunt meliora ijs, quæ ad necessitatem.

10. Quę sola expetenda sunt, meliora sunt ijs, quæ cum alijs. Et ferè ex omnibus locis iam præmissis sumi potest medium ad probandam quæstionem comparatam. Qui plura cupit legat Fonsecam lib.7. c. 36.

§. 5.

De Rhetorica assecutiua Dialectica quadam excurro cum Aegidio.

QVia Rhetorica ex Aristotele, & Aegidio p. Rhet. pag. p. est assecutiua Dialecticæ; & hæc assecutio in quadam imitatione consistit, ideo de ea nonnulla excurrere, & locos Rhetoricos assignare cum Aegidio libet.

Assecutio Dialecticæ quæ fit per Rhetoricam in quadam imitatione, & æqualitate consistit, ex Aegidio pag. 2. Hæc autem æqualitas in tribus cum dialectica conuenit, & in tribus deficit; si enim omnino conueniret esset eadem, et si omnino differet, non esset illius assecutiua. Primo ergo Rhetorica æquatur dialecticæ in eo de quo est; quia vtraquè est de actibus rationis. Secundo in modo procedendi, quia vtraquè docet componere rationes non omnino terminantes intellectum. Tertiò in ambitu, quia vtraquè se extendit ad omnia, quæ nullius artis specialis est determinare. Deficit pariter in tribus, primò quia non est tanta certitudo speculatiua per rationes Rhetoricas quanta est per logicas. Secundo quia dialectica vtitur syllogismo, et inductionè. Rhetorica enthymematibus et exéplis. Tertiò quia Dialectica respicit intellectum secundum se, Rhetorica verò vt ordinatur ad voluntatem: vnde ob hanc cōuenientiam etiá de locis Rhetoricis hic agere intendo.

Noto ex Aegidio p.Rhet.pag.13. col.3. quod Rethoricæ species sunt tres secundum quod triplex est auditor: nam vel auditor est iudex factorum, vel futurorum, vel est susceptor & amplexator eorum, quæ dicuntur; & sicut est triplex auditor sic etiam est triplex negotium Rhetoricum seu triplex genus circa quod versatur Rhetorica. Si sit iudex futurorum, vt sunt Senatores, sic est negotium *deliberatiuum*; Senatores enim de futuris deliberant. Si sit iudex factorum, sic est negotium *Iudiciale*. Si sit amplexor dictorum, sic est negotium, vel genus *demonstratiuum*: & per consequens tres erunt species Rhetoricæ, *Deliberatiua, Demonstratiua, & Iudicialis*. Deliberatiua ex Aegid. ibidem col. 4. versatur circa adhortationes, dehortationes: deliberationes, consilia, suasiones, dissuasiones, conciliationes, reconciliationes, lamentationes, consolationes, & circa ea quæ respiciunt tempus futurum, de quibus quæri potest an sint vel non sint facienda. Demonstratiua versatur circa laudem, vel vituperium, & circa ea quæ respiciunt tempus præsens nam secundum existentiam omnes laudant, vel vituperant. Item circa gratiarum actiones, dedicationes, circa dicta, vel scripta, Epithalamia, panegyrica, epicedia, parentationes, & vniuersaliter circa quascumquè res laudandas vel vituperandas.

Iudicialis versatur circa accusationem, & defensionem, quærelas, repræhensiones, expostulationes, exprobrationes, comminationes, execrationes, & vniuersaliter circa ea, quæ respiciunt tempus præteritum in ordine ad accusandum, & defendendum.

Noto 2. quod Rhetorica deliberatiua cum versetur circa suasionem, & dissuasionem, hortationem, & dehortationem, habet pro obiecto quodcunquè in deliberationē, aut in adhortationem in adhortando cadere potest, vt sunt respertinentes ad religionem, legum constitutiones, mores emendandi, politica gubernandi, confederationes, bella suscipienda, pax concilianda, apparatus pecuniæ &c. Pro fine interno habet peculiares quosdā affectus mouerē, pro externo habet vtilitatem, honestatem, & dignitatem.

Rethorica Demonstratiua habet pro obiecto id quod laudatur, vel vituperatur, siuè sit persona, vel factum alicuius personæ, siuè sit res alia, vt iustitia, eloquentia, regio, vrbs &c. pro fine habet laudem, vel vituperium; quem finem vt consequatur debet peculiares quosdam affectus mouere, vt in laudationibus, amorem, venerationem &c. in vituperijs, contentum, iram, odium &c. in gratulationibus gaudium, & lætitiam.

Rhetorica Iudicialis, habet pro obiecto id quod est iudicandum; pro fine habet iustum & iniustum. Affectus in hoc genere mouendi sunt metus, terror, pudor, misericordia. Vt autem hæc omnia assequantur indiget quælibet ex his speciebus quibusdam locis, vnde præcipua argumenta deducantur; loci autem isti ex Aegidio 2. Rhet. pag. 85. sunt triginta, qui licet sint communes, quatenns singuli aliquo modo adaptabiles sunt ad plura negotia politica: aliqui tamen sunt magis proni, & magis adaptabiles vni negotio, quam alteri, & ideo aliqui inseruiunt Rhetoricæ deliberatiuæ, aliqui demonstratiuæ, & aliqui Iudiciali; duodecim enim sunt adaptabiles deliberatiuæ, octo demonstratiuæ, & decem, iudiciali. Hos autem omnes ex Aegidio refero, & quæ vltra addenda sint insinuo.

§. 6.

Loci deliberatiui expenduntur cum Aegidio.

LOci inseruientes Rhetoricæ deliberatiuæ sunt duodecim. Primus est locus à contrarijs, secundus est ***à similibus casibus***: tertius est ***ab habitudine actiuorum***: quartus ***à maiori***; quintus ***à minori***: sextus ***à diuersitate temporis***: septimus ***à diuersitate personarum***: octauus ***à definitione***: nonus ***à diffinitiuo***: decimus ***à diuisione***: vndecimus ***ab inductione***: & duodecimus ab authoritate, siuè à iudicio.

Horum autem vsus ex Aegidio loc. cit. est huiusmodi: nàm à contrarijs hortamur, et deorthamur tam affirmatiuè, quam destructiuè. ***Vt si habere pacem est bonum: ergo bellare est malum***: & destructiuè: ***si habere pacem non est bonum: bellare non est malum***. Maxima huius loci est talis. *Si propositum in proposito, & oppositum in opposito, & si in proposito non est propositum, nec in opposito oppositum*.

A si-

A similibus causis sic hortamur, & dehortamur. *Si iustum est bonum: ergo quod fit iustè fit benè*. Maxima est talis. *De similibus causis idem est iudicium*. Ab habitudine actiuorum ad passa. *Si inimici nostri, iustè patiuntur, nos iustè punimus eos*. Maxima talis. *De similiter se habentibus, de actiuis & passiuis idem est iudicium*.

A maiori hortamur, & dehortamur sic. *Si maiores nobis non potuerunt vincere ciuitatem, nec nos vincemus*. Maxima talis. *Quod non potest maius, non potest minus*.

A minori sic. *Si minores nostri debellauerunt castrum, & nos debellabimus*. Maxima talis. *Quod potest minus, potest maius*.

A diuersitate temporis sic. *Antequā seruiremus regi nihil nobis promisit, seruiendo ei nihil nobis dabit*. Maxima talis. *Si antecedentia non antecedunt, nec consequentia consequentur*.

A diuersitate personarum sic. *Si vilior non forefacit, nec melior forefaciet*. Maxima talis. *In quo non forefacit vilior nec melior*.

A definitione sic. *Iste fecit generosa; ergo est generosus*: definitio enim, & notificatio generosi est factio operum generosorum. Maxima talis. *Cui competit definitio, & definitum, & à quo remouetur definitio, & definitum*; vndè ex hoc loco possumus etiam arguere destructiuè.

A definitiuo sic. *Si bonum est definitiuum honesti, bonum est honestum, & si definitiuum boni non est honestum, bonum non erit honestum*. Maxima talis. *De quo prædicatur definitiuum, & definitum*: debemus enim tale definitiuū accipere, quod cum definito conuertatur; alias non possemus arguere constructiuè, & destructiuè.

A diuisione sic. *Quicumquè iniuriatur, vel est auarus, vel superbus, vel est odiens; hic iniuriatur, & non est auarus, nec superbus; ergo est odiens*. Maxima talis. *Quidquid conuenit alicui diuiso, necesse est conuenire alicui diuidentium*.

Ab inductione sic. *Medea mater iurauit per filium, ymenid per filium, & sic de singulis; ergo omnis mater iurat quod verum est per suum filiū*. Maxima talis. *Quod verificatur de omnibus particularibus simul sumptis, verificatur de ipso vniuersali*.

Ab authoritate, & iudicio sic. *Si omnes, aut plurimi, aut sapientes, aut boni, aut patres iudicant virtutes esse sequendas; ergo debemus eas sequi*. Maxima talis. *Quod videtur eis quorum iudicio est standum, dicendum est sic esse*. His præcipuè locis vtitur Rhetorica deliberatiua.

§. 7.

Loci Demonstratiui contemplantur.

RHetorica demonstratiua vtitur præcipuè octo locis ex Aegidio loc. cit. Primus est *ab actibus*: secundus *à consequentijs quibuscunquè*: tertius *à consequentijs oppositis*: quartus *ab inopinatis*: quintus *à proportione*: sextus *à consequentijs eisdem*: septimus *à diuersitate electionis*: octauus *a fine loci*.

Horum autem maximæ ex Aegidio sunt. *Ab actibus* est quando ex vno malo actu arguimus plura mala, & ex vno bono plura bona. Maxima talis. *Qui male se gerit in vno, signū est quod malè se geret in multis,*

tis, & qui benè se gerit in vno signũ est quod benè se geret in multis.

Locus à *consequentijs diuersis* est quando ex eodem diuersa sequuntur; tunc enim possumus ex illo diuersa exclamare, & diuersimodè exhortari, vel iudicare secundum quod ad huiusmodi locum adaptauerimus diuersa negotia. Maxima talis. *Quod de antecedente conceditur, & de consequente concedi debet.*

Locus à *cõsequentijs* oppositis est quando ex eodem possunt aliquo modo sequi opposita. Maxima talis. *Si ex eodem sequuntur opposita, sic ex illo possumus opposita persuadere.*

Locus *ab inopinatis* est quando aliquis ostendit aliquod esse contra opinionẽ occultam, vel manifestam. Maxima talis. *Non est loquendum quod est opinioni contrarium.*

Locus à *proportione* est quando aliqua proportionaliter se habent. Maxima talis. *Proportionabilium idem est iudicium.*

Locus à *consequentijs eisdem* est cum ad aliqua idem sequitur. Maxima talis. *Quorũ consequentia est eadem, de eis eadẽ debet esse sententia.*

Locus à *diuersitate electionis* est secundum quod aliqui in diuersis temporibus diuersa elegerunt. Maxima talis. *Secundum quod aliqui diuersa eligunt, sic sunt diuersimodè commendandi.*

Locus à *fine* est quando aliquis agit gratia alicuius finis. Maxima talis. *Cuius* finis bonus est, ipsum quoquè bonum est: & cuius finis malus est, ipsum quoquè malum est, vndè cum aliquis seruit alicui illud seruitium est iudicandum bonũ, vel malum secundum quod seruiens intendit bonum, vel malum finem.

§. 8.

Loci Iudiciales assignantur.

RHetoricæ iudiciali inseruiunt decem loci ex Aegid. loc. cit. & sunt. Primus *à prouocantibus*. Secundus *ab incredibilibus*. Tertius *ab inconfessis*. Quartus *ab inopinabilibus*. Quintus *a causis simpliciter*. Sextus *ab actionibus melioribus*. Septimus *ab actionibus contrarijs*. Octauus *ab actionibus repugnãtibus*. Nonus *ab actionibus annexis*. Decimus *à nomine*.

Locus *à prouocantibus*, est cum alicui insunt prouocãtia ad aliquod negotium, vt quod possit aliquid facere, quod sit ei proficuum. Maxima talis. *Cum prouocantia adsunt probabile est prouocatum adesse.*

Locus *ab incredibilibus*, est cum ex positione credibilium arguimus remotionem credibilium. Maxima talis. *Si contingit multa incredibilia esse, contingit multa credibilia non esse.* Vel cum ex positione vnius incredibilis arguimus positionem alterius. Maxima talis. *Si aliquid incredibile esse potest, & hoc licet sit incredibile esse potest.*

Locus *ab inconfessis*, est cum aliquis accusat aliquem, quia quod cõfitetur verbis, non confitetur factis, vel quod confitetur vno tempore, non confitetur alio. Maxima talis. *Cuius verba discordant factis, vel verba verbis, dignum est, quod eius eloquium contemnatur.*

Locus *ab inopinabilibus*, est cum aliquis de aliquo accusatur, & ostẽdit illud esse inopinabile. Maxima talis. *Posita causa inopinabili contingit illud inopinabile esse.*

Lo-

Locus *à causis quibuscumquè*, est quando ex causa arguimus aliquod quodcumque illud sit. Maxima talis. *Posita causa ponitur effectus, & remota remouetur.*

Locus *ab actionibus melioribus*, est quando quis potest ostendere, quod ipse cognoscat, quod potuit melius arguere quam illud, quod ei imponitur, signum est eum, nam fecisse quod ei imponitur. Maxima talis. *Contingit quemlibet meliora eligere, si meliora cognoscat.*

Locus *ab actionibus contrarijs*, est quando aliquis incusat aliquem, & incusando implicat ipsum egisse cõtraria; eo enim ipso ostendit suam accusationem esse nullam. Maxima talis. *Non est recipienda incusatio, si contingat eam cõtraria implicare.*

Locus *ab actionibus repugnantibus*, est cum aliquis incusatur de aliquo negotio, si potest ostendere quod fecit aliquod repugnans ei, signum est ipsum non fecisse illud. Maxima talis. *Probabile est quod nullus repugnantia operetur.*

Locus *ab actionibus connexis*, est quando aliquis committit aliquod peccatum signum est, quod committat illud, quod habet connexionem cum ipso: probabile enim est iuuentutem vti venereis, & pauperem, & lusorem esse furem. Maxima talis. *Facientem antecedentia probabile est ipsum connexa, & consequentia operari.*

Locus *à nomine*, est quando ex nomine aliquid colligitur, & potissimè valet locus iste, quando nomen est aduentitium. Multi enim propter aliqua quæ egerunt adæpti sunt nomen aliquod, & si illud nomen significat duritiem, possumus arguere ipsum esse durum, & si significat audacem esse, possumus arguere ipsum esse audacem, & sic de alijs. Maxima talis. *Probabile est sic aliquem operari prout nomen per opera acquisiuit.*

§. 9.

Dubia quædam circa Rhetoricam, & Dialecticam excurro.

DVbitatur 1. *An Rhetorica, & Dialectica sufficienter distinguantur?*

Resp. ex Aegidio 1. Rhet. pag. 15. Rhetoricam esse alteram scientiam à dialectica. Pro qua re noto ex Aegidio loc. cit. quod dialectica est de actibus rationis simpliciter, Rhetorica verò non est de eis absolutè sumptis, sed vt sunt applicabiles ad facta singularia. Nam sicut Geometria est de linea simpliciter, Perspectiua verò non est de linea simpliciter, sed de linea visuali, & Arithmetica est de numero simpliciter, Musica verò est de numero vt sonoro; sic Dialectica est de actibus rationis simpliciter, Rhetorica verò est de eis, vt sunt applicabiles ad moralia, & hac ratione asserit Aristoteles ad natum esse Rhetoricæ, esse quãdam Dialecticam applicabilem ad negotium circa mores. Quo notato.

Probatur primò, Rhetoricam esse alteram scientiam à Dialectica, quia non potest esse vna scientia de aliquo simpliciter, & de aliquo contracto ad talem, vel talem rationem, nisi quando differentia contrahens oritur ex principijs eius, vel in sua ratione illud includit, hac enim de causa de corpore mobili, vt sic, & de corpore mobili ad formam est

vna

vna scientia, quia mobilitas ad formam includit rationē corporis mobilis simpliciter, sed negotia politica de quibus est Rhetorica non sunt nec passio, nec pars actuum rationis simpliciter: ergo non potest esse vna scientia de actibus rationis simpliciter, & de eis vt applicabilibus ad negotia politica, & per consequens Rhetorica, & Dialectica non erunt vna scientia simpliciter, sed erunt scientiæ distinctæ.

Cōfirmatur quia ità se habet Rhetorica ad Dialecticam, sicut Perspectiua ad Geometriam, & Musica ad Arithmeticam, vt constat ex not sed Musica, & Perspectiua sunt scientiæ distinctæ à Geometria, & Arithmetica: ergo & Rhetorica, & Dialectica. Vnde sicut Musica est quædam Arithmetica particularis, ita Rhetorica erit quædam particularis Dialectica.

Secundo probatur, quia ratio est male terminabilis termino proprio, & benè terminabilis alieno, & ideo ea ad quæ ratio applicatur, rationem diuersificant; sed Rhetorica est de actibus rationis, vt applicabilibus ad negotium morale: ergo non considerat de actibus rationis secundum eamdem rationem, ac Dialectica, & per consequens stante tali diuersitate causata ex applicatione ad facta singularia, Rhetorica erit à Dialectica distincta.

Dubitatur 2. *An Rhetorica subalternetur Dialecticæ?*

Resp. negatiuè cum Aegid. lib. 1. Rhet. pag. 15. col. 2. Ratio est, quia ad subalternationem primò requiritur, quod scientia subalternata addat aliquid supra scientiam subalternantem, cum oporteat ipsam esse magis sensibilem, & magis subiectam. Secundo requiritur, quod illud additum non oriatur à subiecto, vel à suis principijs, ita quod se habeat tanquam passio respectu eius. Tertio requiritur, quod non includat in se rationem subiecti, sicut pars subiectiua includit totum vniuersale, eo quod tota ratio generis de necessitate contineatur in specie; debet tamen in illo addito saluari ratio eius, de quo per se determinatur in superiori scientia: vt patet in Perspectiua, quæ addit aliquid supra lineam simpliciter, addit enim visuale, qua de causa Perspectiua est magis sensibilis, quam sit Geometria: & tale additum non est passio lineæ, saluatur tamen ratio lineæ in linea visuali: sed hæ rationes non reperiuntur in Rhetorica respectu Dialecticæ; nam licet Rhetorica sit magis sensibilis, quam sit Dialectica, cum sit de syllogismo applicabili ad negotium morale, & sensibile, & licet huiusmodi negotium contrahens syllogismum Rhetoricum non sit passio, species, vel pars syllogismi, sicut visuale non est passio lineæ, nec species, aut pars; tamen in syllogismo Rhetorico non reseruatur ratio syllogismi simpliciter, sicut in linea visuali reseruatur ratio lineæ, cum syllogismus Rhetoricus, siue enthymema sit quædam obliquitas syllogismi simpliciter: ergo Rhetorica non erit simpliciter subalternata Dialecticæ, sed tantum aliquo modo.

Dubitatur 3. *An ad Rhetoricam spectet considerare speciales propositiones circa negotium politicum?*

Resp. notando cum Aegid. lib. 1. Rhet. pag. 15. col. 3. quod considerare de specialibus propositionibus tri-

tripliciter poteſt contingere: nam primo, & principaliter conſiderant de talibus ſcientiæ reales, quæ ſunt de illis rebus, quæ ſignificantur per terminos conſtituentes dictas propoſitiones, vt ſcientia naturalis eſt de propoſitionibus conſtitutis ex terminis ſignificantibus naturalia, & ſcientiæ morales de moralibus. Secundò de talibus poſſunt conſiderare artes, quę non ſunt de rebus principaliter, ſed ſunt de actibus rationis, vt ſunt applicabiles ad illas. Tertiò de eis poteſt conſiderare ſcientia, quæ non eſt de rebus, nec de actibus rationis, vt ſunt applicabiles ad illas, ſed de actibus rationis ſimpliciter, dum tamen per talia ſpecialia ipſi actus rationis magis innoteſcant. Quo notato.

Dico Rhetoricam etiam, vt docentem poſſe conſiderare de ſpecialibus propoſitionibus moralibus ſecundo modo. Ratio eſt, quia ſyllogiſmi Rhetorici de ſe ad talem materiam ſunt applicabiles.

Dubitatur 4. *An in tali conſideratione differat Rhetorica à Politica?*

Reſp. cum Aegidio loc. cit. differre ex duplici capite: differunt .n. primò, quia Politica conſiderat de moralibus propoſitionibus primò, & principaliter, eo quod de talibus ſit, & talium ſcientiam tradere intendat: Rhetorica verò principaliter non eſt de eis, ſed de enthymematibus, & perſuaſionibus, & talium ſcientiam tradere intendit: verum quia enthymemata, & ſyllogiſmi Rhetorici non ſunt ſyllogiſmi ſimpliciter, ſed ſyllogiſmi ſenſibiles de ſe concernentes materiam moralem, ideo negotium morale non ſpectat omninò per accidens ad Rhetoricam, licet non ſit de conſideratione eius prima, vt ſunt enthymemata. Differunt ſecundò, quia aliter Rhetor, aliter Politicus reſoluunt enthymemata in ſua principia; nam Rhetorica reſoluit in principia communia, Politicus verò in principia propria, ſi enim dicatur. *Pythacus fecit iuſtum, ergo non fecit iniuſtum*. Rhetor diceret quod eſt locus à contrario. Politicus verò diceret, quod eſt locus ab hoc contrario .ſ. *à iuſto*, & ſic differunt inter ſe Rhetorica, & Politica.

Dubitatur 5. *An rationes Rhetoricæ applicari poſſint ad materiam naturalem, & ad ſcientias ſpeculatiuas?*

Pro reſponſione noto primo cum Aegidio loc. cit. quod licet ex dictis conſtet differentiam eſſe inter Rhetoricam, & Dialecticam; illa tamen differentia aſſignata non eſt radicalis, vnde vt innoteſcat difficultas propoſita, differentia radicalis eſt aſſignanda. Hæc autem eſt duplex, prima eſt quia ex Rhetorica generatur fides, quæ terminat intellectum in ordine ad appetitum; ex Dialectica verò generatur opinio, quæ habet quietare intellectum ſecundum ſe. Secunda differentia eſt, quia Dialectica eſt de actibus rationis ſimpliciter, & ſecundum ſe; Rhetorica verò eſt de eis, vt ſunt applicabiles ad negotiũ politicum. Hę autẽ differentiæ ſibi inuicem correſpondent; nam cum res ſint volitiæ ſecundum eſſe quod habent in ſe, quod eſt eſſe particulare, & ſignatum, ſequitur quod ſi per rationes Rhetoricas generetur fides, quæ terminat intellectum in ordine ad appetitum, quod propria materia talium rationum

ſint

ſint tacta ſingularia. Sic etiam quia res intelliguntur ſecũdum eſſe, quod habent in anima, quod eſt eſſe vniuerſale, ſi rationes dialecticæ generant opinionẽ, conueniens eſt quod hæ rationes, tanquam propriam materiam reſpiciant vniuerſalia, & ſcientias ſpeculatiuas.

Noto 2. ex eodem, quod ex his differentijs naſcitur alia differentia neceſſaria ad propoſitum, nempe quod per rationes dialecticas magis probetur aliquod eſſe verum, per Rhetoricas verò magis eſſe bonum. Nam cum verum, & falſum ſint in anima, & obiectum intellectus formaliter loquendo non ſit bonum, ſed verum terminans intellectum ſecundum ſe, oportet quod per rationes dialecticas probetur aliquod eſſe verum; quia tamen bonum, et malum ſunt in rebus, & bonum eſt obiectum appetitus, quod terminat intellectum in ordine ad voluntatem, oportet per rationes Rhetoricas oſtẽdi aliquod quia bonum; & ideo finis Rhetoricæ eſt verum, quia perſuaſibile, Logicæ verò quia probabile. His viſis.

Reſpondeo rationes Rhetoricas non poſſe applicari ad ſcientias ſpeculatiuas tãquam ad materiam propriam. Ratio eſt, quia ſcientiæ ſpeculatiuæ finaliter intendunt contemplationem veritatis tanquam propriam materiam: poſſe tamen applicari ad ſcientias ſpeculatiuas naturales tanquam ad materiam extraneam, quatenus in eis poteſt probari aliqua concluſio per melius, vel per cauſam finalem, vt in 1. phiſ. probatur melius eſſe ponere principia finita, quam infinita. Ad ſcientias autem ſpeculatiuas in quibus ex cauſa finali argumenta ſumi non poſſunt, vt ſunt ſcientiæ mathematicæ, in quibus ex 3. met. non eſt finis, nec bonum, applicari nequaquam poſſe.

Dubitatur 6. *Quomodo Rhetorica diuidatur?*

Reſp. ex Aegidio 1. Rhet. pag. 16. col. 1. diuidi ſecundum diuiſionem boni; triplex enim eſt bonum ex 1. eth. honeſtum, vtile, & delectabile, & iuxta triplex bonũ, triplex etiam eſt negotium politicum; primum accipitur in ordine ad bonum conferens, ſeu vtile, & ſic eſt Rhetorica deliberatiua, quæ ſecundum quod huiuſmodi non curat de iuſto, vel iniuſto, nec de honeſto, & turpi, ſed principaliter intendit quid cõferens, vel nociuum. Secundum accipitur in ordine ad bonum honeſtum, & ſic eſt Rhetorica demonſtratiua, quæ principaliter intendit laudem, vel vituperium ſecundum veritatem, vel malitiam, quas concomitatur honeſtas, & inhoneſtas: cum .n. honeſtum ſit idem, quod honoris ſtatus, & honor ſit exhibitio reuerentiæ in teſtimonium virtutis, virtutem concomitatur honeſtas, et per locum ab oppoſitis vitium inhoneſtas; & ſic Rhetorica demõſtratiua reſpicit bonum honeſtum, & pulchrum, & inhoneſtum, ac turpe. Secundum bonum delectabile ſumitur Rhetorica Iudicialis; nam cum in tali negotio intendatur ne cuilibet fiat iniuria, quæ habet impedire delectationem, & eſt illatiua triſtitiæ, tale negotiũ, & talis Rhetorica videtur reſpicere bonum delectabile, cum igitur triplex ſit bonum, & finis Rhetoricę ſit ipsũ bonũ, Rhetorica diuidenda erit ſecũdum triplex bonũ, vt diuiſa eſt.

CA-

CAPVT VNDECIMVM. De Syllogismo Sophistico.

§. 1.
De methis, & modis arguendi Sophistarum.

QVoniam ex Ægidio p.elenc. pag 4. eiusdem scientiæ est considerare rectũ, & obliquũ, & Dialectica cõsiderat per se de syllogismo Dialectico, qui rectus est: ideo eius etiam erit considerare de sophystico, qui syllogismi dialectici obliquitas quædam est; non quidem per se, sed per accidens, nempè vt eius obliquitates Dialecticus euitare possit: cùm ergo ad Dialecticã aliquo modo spectet, idcircò de eo etiam est determinandum.

Vsus talis syllogismi est in disputatione, quia cum per ipsum intendat sophista victoriam, & gloriam de respondente reportare, oportet quod inter vtrumque intercedat disputatio, quæ est actus syllogisticus vnius ad alterum. Disputationis autem quatuor sunt species ex Ægidio p.elenc.pag.7. & 8. nempe, Doctrinalis, Dialectica, Tentatiua, & Litigiosa; quarum sufficientia ex eodem est hæc. Ex disputatione vel acquiritur veritas, vel opinio, vel experimentum, vel victoria: si primum, est disputatio doctrinalis per quam scientia acquiritur: si secundum est dialectica per quam generatur opinio, cum procedat ex probabilius: si tertium est tentatiua per quam sumitur experimẽtum de respondente, an. s. habeat scientiam, vel non: si quartum est litigiosa per quam sophista victoriam intendit reportare, & de hac in præsenti est dicendum.

Sophista autem vt gloriam apparentem ex disputatione reportet, nititur respondentem ad aliquod incõueniens deducere, & huiusmodi inconueniens dicitur metha, vel finis, seu terminus disputationis sophisticæ. Methæ autem istæ sunt quinque, nempe, Redargutio, Falsũ, Inopinabile, Solæcismus, & Nugatio. Redargutio ex Ægidio pag.9. est præconcessi negatio, vel prænegati concessio in eadem disputatione propter vim argumenti: vnde cum quis in eadem disputatione ex vi argumenti facti contra ipsum à sophista cogitur sibi contradicere, dicitur redargutus. Si enim respondens negauerit se carnes crudas comedisse, sophista contra sic argumentabitur. Quicquid emisti, comedisti: sed emisti carnes crudas: ergo carnes crudas comedisti. Si respondens ob vim huius argumenti concedat quod prius negauerat, dicitur redargutus. Falsum vt hic sumitur, est aliquod manifestè falsum, quod respondens concedere cogitur ex vi argumenti facti à sophista: vt si cogatur concedere sydus cœleste esse latrabile ob hoc argumentum. Omnis canis est latrabilis, sed sydus cœleste est canis: ergo sydus cœleste est latrabile. Inopinabile est aliquod manifestè inopinabile, ad quod potest quis sic deduci. Quemcumque contingit aliquem hostem vincere, est infœlix: nam qui vincitur est infœlix: sed Regem contingit aliquem hostem vincere: quia hostis potest Regem vincere: ergo Rex est infœlix.

lix. Solæcismus est incongruitas locutionis in latino, vt vir alba, Nugatio est frequens repetitio eiusdẽ.

Modi arguendi sophisticè sunt duo. s. in dictione, & extra dictionem, ideo fallaciæ aliæ sunt in dictione, aliæ extra dictionem: illæ sunt quæ causam decipiẽdi sumunt ex parte vocis: istæ sunt quæ causam decipiendi sumunt ex parte rei.

§. 2.

Dubia quædam ex Aegidio soluo.

Circa syllogismum sophisticum multa quæri possunt, quæ breuiter sunt tangenda, & soluenda: vnde.

Dubitatur primò *An de syllogismo sophistico possit esse scientia?*

R. cũ Ægidio p. elenc. pag. 4. Non posse esse scientiam per se, & primariò, benè tamen secundariò, & per accidens. Ratio est, quia scientia non tantum considerat recta, sed etiam obliquitates rectorum; vt grammatica non solum considerat congrua, sed etiam incongrua, & naturalis philosophia non solum considerat formam, sed etiam priuationem: sed syllogismus sophisticus est obliquitas syllogismi dialectici, qui per se consideratur à Dialectica: ergo de eo erit scientia per accidens, & secundariò, quatenus est obliquitas syllogismi recti per se considerati.

Ob. De non ente, & de eo quod est per accidens non est scientia, quia de istis ex 5. ethic. nõ curat ars: sed syllogismus sophisticus est non ens, vel saltim est ens per accidens, cũ sit priuatio rectitudinis: ergo &c.

Respondetur ex Ægid. p. dist. p. partẽ ma. de non ente non est scientia per se, & distincta, concedo: non est scientia quæ est de recto principaliter, nego: hæc enim potest esse de non ente, sed secundariò: de syllogismo autem sophistico non est scientia primò modo, sed secundò.

Ad secũdam partem Respondetur p. ex Ægid. dist. ma. nõ est scientia per se, & distincta, concẽdo: ex consequenti nego: in his autem libris non consideratur per se syllogismus sophisticus, sed elenchus; syllogismus verò sophisticus tantum consideratur, vt est obliquitas elenchi.

R. 2. ex eodem dist. ma. ens per accidens duobus modis sumi potest: primò vt dicit quid indeterminatum, & sic de eo non est scientia, quia quod est tale est quodãmodo infinitum, & de hoc non potest esse scientia: secundò sumi potest vt dicit id, quod non est per se, & primò, sed tantum est secundariò, & ex consequenti, & sic est tale per accidens, & tale ens per accidẽs, cum dicat quid determinatum, non subterfugit considerationem scientiæ; sic album fit ex nigro, licet enim fiat ex eo per accidens, nihilominus quia tale per accidẽs dicit quid determinatum, ideò potest esse de consideratione artis: & sic dist. ma. de ente per accidens non est scientia, si sit per accidens primò modo concedo: si secundò modo, nego: & quia syllogismus sophistus habet determinatos modos apparentię, s. in dictione, & extra dictionem; ideò de eo potest esse aliquo modo scientia.

R. 3. ex eodem dist. ma. de ente per accidens non potest esse scien-

tia

tia quantū ad res subiectas ei, quod est ens per accidens concedo: quantum ad determinatam eius considerationem, & quantū ad id, quod importatur nomine eius, nego: potest enim esse scientia de casu, & fortuna, quia possumus scire quid importetur nomine eorum: de rebus tamen substratis casui, & fortunæ nō potest esse sciētia. Ita de syllogismo sophistico potest esse sciētia, quia possumus scire quid determinatè importatur nomine vtriusque, & quot modi sint talium syllogismorum: non tamen potest esse scientia de rebus, ad quas applicari possunt: quia talia sunt quodammodo indeterminata.

Dubitatur 2. *An Dialecticæ sit agere de syllogismo sophistico?*

R. cum Ægidio p. elen. p. 4. affirmatiuè, quia eiusdem scientiæ est considerare rectum, & obliquum; cum rectum sit iudex sui, & obliqui ex p. de anima t. 85. sed dialecticæ est cōsiderare de syllogismo recto. s. de Dialectico: ergo eius etiam erit considerare de sophistico, qui est obliquitas syllogismi dialectici.

Dubitatur 3. *An syllogismus sophisticus sit subiectum in lib. elenchorum?*

R. Negatiuè cum Ægidio pag. 6. & ratio est, quia subiectum in aliquo libro non est omne illud, de quo determinatur in illo, sed est illud de quo principaliter est intentio ibidem: est enim differentia inter materiam, & subiectum: quia subiectum alicuius libri dicitur illud, cuius cognitio principaliter intenditur: materia verò dici potest omne illud, de quo in libro intenditur, siuè principaliter, siue ex cōsequenti: sed de syllogismo sophistico non intenditur principaliter in libris elenc. sed tantum de Elencho, & de syllogismo sophistico solum intenditur quatenùs est obliquitas Elēchi, & reducitur ad ignorantiam elenchi: ergo &c.

Dubitatur 4. *An syllogismus sophisticus addat aliquid supra syllogismū simpliciter?*

R. cum Ægidio p. elenc. pag. 9. syllogismum sophisticum addere aliquid supra syllogismum simpliciter, quia si nihil adderet, tunc syllogismus sophisticus posset dici bonus syllogismus. Addit autem aliquid incompetens cum quo non potest stare forma syllogistica; an verò hoc additum sit secundum rem positiuum, vel priuatiuum non est præsentis speculationis, sufficit enim ad præsens scire, quod secundum nostrum modum intelligendi aliquid addit.

Vt autem innotescat quid addat, notat Ægidius quod sicut syllogismus dialecticus addit quamdam habitudinem localem supra syllogismum simpliciter: sic syllogismus sophisticus addit localem habitudinem supra huiusmodi syllogismum: habet enim syllogismus sophisticus suos locos & suas maximas, sicut syllogismus dialecticus: Dialecticus tamen habet suos locos & suas maximas competentes & congruas: sophisticus vero habet suos locos & suas maximas incongruas & incompetentes: nam sicut dicendo, quod potest miles, potest etiam Rex; miles potest expugnare: ergo & Rex; est ibi locus à minori, qui est locus cōpetens, & habet maximam veram, quæ talis est. Quod potest minus, potest & maius.

ius. Sic dicendo: canis currit: cœleste sydus est canis: ergo cœleste sydus currit; est ibi æquiuocatio, qui est locus incompetens, & innititur falsæ maximæ, quæ est semper vni nomini respondet vna res.

Ex his patet quomodo differant loci sophistici, & syllogismi sophistici; nam sicut in dialecticis loci sunt quædam vniuersalia compræhendentia multos syllogismos, propter quod in talibus locis sunt elementa, & principia syllogismorum verorũ: sic loci sophistici sunt quædam vniuersalia compræhendentia multos syllogismos sophisticos: vnde loci sophistici non sunt ipsi syllogismi sophistici, sed sunt elementa, & principia ipsorum. Huiusmodi autem loci sunt vel in dictione, vel extra dictionem; in dictione sunt, Æquiuocatio, Amphibologia, Compositio, &c. Extra dictionem sunt. Accidens, secundum quid, Ignorantiā elenchi, &c. vt infra.

Dubitatur 5. *An locus sophisticus differat à maxima sophistica?*

R. cum Ægidio p. elenc. pag. 9. col. 3. quod duplex est locus: alius est locus maxima, alius est locus differentia maximæ; loquendo de loco maxima, tunc sicut locus dialecticus non differt à sua maxima, sed est ipsa maxima: sic locus sophisticus est ipsa maxima sophistica: at loquendo de loco, qui est differentia maximæ, tunc locus, & maxima non sunt idem, sed differunt sicut complexum, & incomplexum: nam locus vt differt à maxima dicit quid incomplexũ, maxima vero dicit quid complexum: vnde æquiuocatio v.g. est locus sophisticus; maxima verò est. Semper vni nomini respondet vna res: & Amphibologia est locus; maxima verò est. Semper vni rationi respondet vna sententia, & sic patet quod locus dicit quid incomplexum; maxima verò quid complexum; & si locus aliquando dicit quid complexum, hoc est per accidens, quia circumloquimur ipsum, nescientes eum nominare vno nomine.

Dubitatur 6. *An syllogismus sophisticus sit obliquitas syllogismi simpliciter, vel dialectici?*

R. cum Ægidio loc. cit. col. 4. syllogismum sophisticum (loquendo de sophistico peccāte in forma) esse obliquitatem tam syllogismi simpliciter, quam syllogismi dialectici: nam cùm huiusmodi syllogismus innitatur falso loco, & indebitæ habitudini locali, & in falso loco non possit reseruari principium dici de omni, & dici de nullo; non potest ibi saluari forma syllogistica: vnde omnis ferè fallacia arguit aliquo modo in quatuor terminis, & sic variando terminum non retinet principium de omni, vel de nullo. In quantum ergo syllogismus sophisticus innititur falso loco, opponitur syllogismo Dialectico: in quãtum vero ibi non saluatur principium de omni, vel de nullo, opponitur syllogismo simpliciter.

Rogas: Cui opponitur per se, & primo?

R. cum Ægidio loc. cit. quod per se, & primo opponitur syllogismo dialectico, syllogismo autem simpliciter opponitur in quantum talis syllogismus reseruatur in tali materia. Ratio autem est quia sophisticus primo opponitur habitudini locali; hæc autem primo conuenit syl-

syllogismo dialectico, ideo &c.

Rogas: Quot sunt loci, seu fallaciæ in dictione?

R. cum Aristotele, & Ægidio p. elenc. pag. 9. quod sunt sex. s. Æquiuocatio, Amphibologia, Compositio, Diuisio, Accentus, & Figura dictionis. Hæ autem vel peccant secundum multiplicitatem actualem, vt Æquiuocatio, & Amphibologia, vel secundum potentialem, vt Compositio, Diuisio, Accentus: vel secundum phantasticam, vt Figura dictionis.

§. 3.

De Fallacijs peccantibus secundum multiplicitatem actualem. s. de Aequiuocatione, & Amphibologia.

FAllacia Æquiuocationis ex Ægidio p. elenc. p. 10. sumit causam deceptionis ex parte vocis: vnitas enim nominis est causa apparentię; causa vero non existentię est diuersitas significatorum.

Hæc fallacia habet tres modos. Primus est cum dictio aliqua principaliter plura significat, vt discere apud græcos ex Aristotele hoc in loco, est Æquiuocum ad discere, & docere, & principaliter vtrumque significat: vnde ex eo fit hic paralogismus, i. syllogismus, qui videtur, & non est. Quicunque discunt addiscunt: sed scientes discunt: ergo scientes addiscunt. Est fallacia secundum æquiuocationem, quia discere æquiuocum est ad docere, & ad addiscere, & in maiori significat addiscere, in minori verò significat docere; & ideò non est verus syllogismus, cum non sit idem medium; & si sumatur vt idem medium in vtraque, tunc altera præmissarum est falsa.

Aliud exemplum. Omnis canis est latrabilis: cœleste sydus est canis: ergo cœleste sydus est latrabile. Est eadem fallacia, quia canis est æquiuocum, & in maiori significat animal latrabile, in minori stellam.

Secundus modus est cum aliqua dictio vnum significat principaliter, aliud verò ex consequenti, vt v. g. Quæcunque expediunt bona sunt: mala expediunt: ergo mala bona sunt. Est fallacia secundum æquiuocationem, quia expediens principaliter dicitur in bonis; secundariò verò, & ex consequenti dicitur in malis; sic proijcere merces non est bonum, & expediens principaliter, sed sic est malum, est tamen bonum & expediens in casu, s. ad euitandum naufragium. Sic etiam truncatio pedis non est expediens in se, est tamen expediēs in casu, ne. s. totum corpus inficiatur. Alia exempla. Quicunque ridet habet os: pratum ridet: ergo habet os. Item quicquid currit habet pedes: aqua currit: ergo habet pedes. Non sequitur, quia videre, & currere primò sumitur principaliter, & propriè, secundò ex consequenti, ac metaphoricè. Item omne sanum habet vitam: vrina est sana: ergo vrina habet vitam. Non sequitur, quia sanum in maiori significat principaliter, nempe vt dicitur de animali; in minori significat secundariò, & ex consequenti.

Tertius modus est quando vna dictio habet tantum multiplicitatem secundum diuersum modum significandi, vt v. g. Quicunque surgebat, stat: sedens surgebat: ergo sedens

dens stat. Item; qui sanabatur sanus est: laborans sanabatur: ergo laborans sanus est. Non sequitur, quia sedens in minori sumitur pro eo, qui sedebat prius; in conclusione verò pro eo, qui sedet nunc; & laborans in minori supponit pro laborãte prius; & in conclusione pro laborante nunc.

Fallacia Amphibologiæ tribus modis fieri potest. Causa apparentiæ in hac fallacia est vnitas orationis: causa verò non existentiæ est pluralitas significationis. Primus modus est prout eadem oratio per se accepta principaliter plura significat, vt quoscunque vellem me accipere, vellem vt me acciperent: sed pugnantes velle me accipere; ergo pugnantes vellem quod me acciperent. Item quod quis scit hoc scit: ferrum scit: ergo ferrum scit. Item. Quod videt, habet virtutem visiuam: ferrum videt: ergo ferrum habet virtutem visiuam. In his omnibus oritur fallacia ex eo, quod eadem dictio per se accepta principaliter plura significat: nam ly *me* potest construi cum accipere ex parte post, & pugnantes ex parte ante, & tunc est sensus: vellem quod pugnantes me capiant: vel potest construi è cõtra; & tunc est sensus; quod pugnantes capiantur à me; & idem dicendum est de alijs, ly enim *hoc* scit, & significat scientem, & scitum, & ly *hoc* videt, potest denotare videntem; & visum secundum diuersam constructionem.

Secundus modus est quãdo vna oratio significat plura, vnum tamen propriè, aliud verò transumptiuè. De hoc modo non ponitur exemplum ab Aristotele; potest tamen sic poni. Quando littus aratur, terra scinditur: sed quando opera perditur, littus aratur: ergo quando opera perditur, terra scinditur. Non valet, quia arare littus principaliter significat scindere: transũptiuè verò operam perdere. Tertius modus est quando oratio per se accepta non est multiplex al[t]eri tamen coniuncta contrahit multiplicitatem, vt quemcumquè contingit dicere, contingit loqui: seu contingit tacentem dicere: ergo contingit tacentem loqui. Item qui habet scientiam sæculi, sæculum scit: hic homo habet scientiam sæculi: ergo sæculum scit. Hęc fallacia habet multiplicitatem ex coniunctione cum altero; nam nec ly *tacentem*, nec ly *scit sæculum*, habent ex se multiplicitatem: sed tantum ex vnione cum subiecto: sæculum enim scit semper ex se significat quod sæculum habeat scientiam; at dum apponitur subiectum, vt cum dicitur, *sed homo scit sæculum*; tunc significat quod sæculum sciatur.

§. 4.

De Falacijs peccãtibus secũdum multiplicitatem potentialem vt sunt Compositio, Diuisio, & Accentus.

Fallacia compositionis oritur ex multiplicitate potentiali orationis, quatenus vna oratio potentialiter est multiplex, vnde committitur in oratione. Tribus autem modis contingere potest.

Primus modus est, quando plura ponuntur ex parte subiecti ad quæ prædicatum comparari potest, vel coniunctim, vel diuisim, vt v. g. Quicquid est possibile contingit vt sit: sed sedentem ambulare est possibi-

sibile: ergo contingit quod sedens ambulet. Item quicquid est possibile contingit vt sit: sed scribentem non scribere, & non scribentem scribere est possibile: ergo contingit quod scribens non scribat, vel quod non scribens scribat. Oritur hæc fallacia ex eo quia plura se tenent ex parte subiecti, ad quæ prædicata comparari possunt vel coniunctim, vel diuisim: nam ly *sedentem ambulare*, *scribentem non scribere*, se tenent ex parte subiecti; & ly *est possibile*, se tenet ex parte prædicati, quod prædicatum potest comparari ad ea, quæ se tenent ex parte eiusdem subiecti vel coniunctim, vel diuisim: si comparetur primò modo propositio est falsa; vera tamen si comparetur secundo modo; quia subiectum vt est sub sessione non potest esse sub ambulatione; potest tamen subiectum quod est sub sessione, diuisim esse sub ambulatione.

Secundus modus est quãdo vna dictio ponitur inter duas dictiones, & cum vna facit talem compositionem; cum altera verò diuersam, vt v.g. quicumq; scit literas nunc didicit illas: sed iste scit literas: ergo nunc didicit illas. In hoc paralogismo maior est duplex, quia ly *nunc* potest comparari cum scit, & tunc est locutio vera: est enim sensus, quod quicunque nunc scit literas, ille didicit illas: & deinde potest comparari cum ly *didicit*; & tũc est locutio falsa, quia est sensus, quicunq; scit literas, nunc didicit illas, quod non oportet esse verum; potest enim scire literas, quas non didicit nunc, sed prius.

Tertius modus est, quando plura ponuntur ex parte prædicati, ad quæ subiectum potest comparari coniunctim, vel diuisim v.g. quod potest vnum solum ferre, potest vnum, & vnum ferre: sed quod potest vnum, & vnũ ferre potest plura ferre: ergo quod potest vnum solum ferre, potest plura, & plura ferre. In hoc paralogismo ponuntur plura ex parte prędicati, ad quę subiectum comparari potest coniunctim; vel diuisim; & si ad illa subiectum comparetur diuisim, locutio est vera; si verò coniũctim est falsa.

Fallacia Diuisionis ex eadem radice oritur, & in oratione similiter habet esse; tribusquè modis fieri potest.

Primus modus est, quando plura ponuntur ex parte prædicati ad quę subiectũ potest referri coniunctim, vel diuisim, vt v.g. Quæcunquè sũt duo, & tria; sunt duo, & sunt tria: sed quinque sunt duo, & tria: ergo quinquè sunt duo, & quinque sunt tria. Item quæcumque sunt paria, & imparia: sunt paria, & sunt imparia: sed quinque sunt paria, & imparia: ergo quinque sunt paria, & quinque sunt imparia. In his paralogismis minor est duplex, quia si ly *quinque* stans ex parte subiecti referatur ad duo, & tria; ad paria & imparia coniunctim, locutio est vera: quia quinque sunt duo & tria, paria & imparia coniunctim: si diuisim, locutio est falsa: quia quinq; non sunt duo per se sumpta, nec paria per se sumpta; & diuisim accepta.

Secundus modus est, quãdo plura ponuntur ex parte subiecti, & prædicatum ad illa comparari potest coniunctim, vel diuisim, vt v.g.

in tertia figura. Tantumdem, & amplius, est tantumdem & per consequens æquale; sed tantumdem, & amplius est maius: ergo maius est tantumdem, & per consequens æquale. In hoc paralogysmo minor est duplex; quia ly tantumdem & amplius se tenentia ex parte subiecti, si referantur ad maius positum ex parte prædicati coniunctim; locutio est vera: si diuisim est falsa: maius enim non est tantumdem per se sumptum nec est amplius per se sumptum; sed est hæc duo coniunctim sumpta .s. tantumdem, & amplius.

Tertius modus est, quando ponitur aliqua dictio inter duas dictiones, quæ potest coniungi cum vna, & cum reliqua, & v.g. quemcumq; posui seruum existentem liberum, ille est liber: sed posui te seruũ existentem liberũ: ergo tu es liber Minor est duplex, quia ly *existentem* componi potest cum seruo, & est sensus, quod existentem seruum, fecit liberum, & locutio est vera: vel componi potest cum libero, & tunc est falsa, quia est sensus, quod existentem liberum fecit seruum. Sic etiam in isto. Quorum relinquuntur centum, illa sunt plura, quam centum. sed quadraginta virorum centum reliquit Acchilles: ergo quadraginta sunt plura quam centum. Minor est duplex, quia ly *virorum* potest cõponi cum ly [illegible] *tum*, & tunc locutio est v[illegible] est sensus quod Acch[illegible]tum viris reliquit qu[illegible]: vel potest componi cum [illegible]raginta, & tunc est falsa [illegible] est sensus, quod de quad[illegible]nta viris Acchilles reliquerit centum, quod est impossibile.

Rogas 1. *An. Compositio, & Diuisio sint duæ fallaciæ.*

R. Cum Ægidio p. elenc p. 13. affirmatiuè; notat tamen quod hæ duæ fallaciæ conueniunt inter se plus, quam aliæ duæ: non tamen tantum conueniunt, quod faciant vnam fallaciam: conueniunt enim plus, quia habent quasi communẽ causam apparentiæ, & non existentiæ: nam vnitas orationis materialiter est causa apparentiæ in vtraquè fallacia; causa verò non existentiæ est diuersitas significatorum. Licet tamen sic conueniant: vtraque tamen habet specialem causam apparentiæ, & non existentiæ, quia non est idem accipere cõpositum, vt diuisum; & accipere diuisum vt compositum: vnde causa apparentiæ in compositione est, quia accipimus orationem compositam indifferentem esse ab oratione diuisa: causa verò apparentiæ in diuisione est, quia accipimus orationem diuisam tamquam indifferentem ab oratione composita. Sicut autem differunt in causa apparentiæ, ita differunt in causa non existentiæ: nam causa non existentiæ in compositione est falsitas in oratione composita; causa verò nõ existentiæ in diuisione est falsitas orationis diuisæ.

Rogas 2. *An in omni paralogismo in quo est fallacia compositionis, sit etiam fallacia diuisionis?*

R. cum Ægidio loc. cit. quod nõ in omni compositione attenditur fallacia compositionis, nec in omni diuisione attenditur fallacia diuisionis; sed tunc tantum est fallacia compositionis, quando est composita

posita falsa; & tunc est fallacia diuisionis, quando est falsa diuisa: & quia aliqua oratio ita est falsa secũdum sensum diuisum, quod non est fasa secundum sensum compositum, ideò prout ex illa oratione consurgit paralogismus, ita erit ibi fallacia diuisionis, quod non erit fallacia compositionis; & è conuerso si aliqua oratio sic esset composita falsa, quod non diuisa, tunc erit fallacia compositionis, non tamen diuisionis: ideò quinque sunt duo, & tria; paria, & imparia, & similes orationes, quia ita sũt falsæ in sensu composito; sunt fallaciæ secundum diuisionem; non tamen secundum compositionem: illæ verò sedentem ambulare, scribentem non scribere, & similes; quia tantum sunt falsæ in sensu composito; non autem in diuiso; ideò ita sunt paralogysmi secundum compositionem, quod non secundum diuisionem.

Fallacia Accentus oritur ex multiplicitate potentiali, & contingit in dictione secundum ea, quæ ei accidũt. Modi huius fallaciæ sunt quatuor, quia syllaba, quæ est pars dictionis, duobus modis considerari potest, vel in se, vel vt habet ordinem ad dictionem. Si consideretur in se, sic tria habet. s. tempus, tenorem, & spiritum: habet etiam numerum literarum; sed quia ex ipso nõ potest sumi aliqua fallacia; nam si non essent eædem literæ in vna dictione, & in alia, deficeret causa apparentiæ, quia non esset eadẽ vox, ideò quoad hoc dimittitur. Secundum ergo syllabam in se consideratam sumuntur tres modi huius fallaciæ, nempe secundum tempus, spiritum, & tenorem. Si consideretur in ordine ad dictionem, tunc habet quod possit proferri vel vt vna dictio, vel vt duæ, & sic est quartus modus huius fallaciæ.

Primus ergo modus est secũdum tempus; nam quando aliqua dictio habet plura significata, & vt significat vnum habet aliquam syllabam longam; vt verò significat aliud, habet illam syllabam breuem, est in fallacia accentus secundum tempus; v.g. populus vt stat pro gente, habet primam breuem: vt verò stat pro arbore habet primam longam: vnde fit fallacia dicendo. Omnis populus est arbor: multitudo gentium est populus: ergo multitudo gentium est arbor.

Secundus modus est quantum ad spiritum, quia aliqua dictio aspirata significat vnum; non aspirata significat aliud, vt hamo aspiratè sumptum idem est quod hamo capere; amo verò sine aspiratione idem est, quod diligo: vnde fieri potest talis paralogismus. Omne quod hamatur hamo capitur; bonum vinum amatur: ergo bonum vinum hamo capitur.

Tertius modus est quantum ad tenorem, vt quando aliqua dictio regitur tenore, & accentu graui, aliqua verò acuto, vt est hoc verbum, *pendere*, quod vt habet accentum acutum significat sufferre pœnam; vt habet accentum grauem significat inferre pœnam: & in hoc nomine, *lepore*; vnde fiunt hi paralogismi. Quoscumque iustum est pendere, iustum est pati pœnam: sed bonos viros iustum est pendere: ergo bonos viros iustum est pati pœnam: nam in maiori sumitur pendere

prout profertur accentu graui, quo pacto significat pati pœnam: in minori verò sumitur, vt profertur accentu acuto; quo pacto idem est, quod dare pœnam. Item. Qui leporem venatur plurima lustrat loca: Petrus domi sedens leporem venatur: ergo Petrus domi sedens plurima lustrat loca: nam in maiori sumitur ly *leporem*, vt profertur accentu graui, quo pacto significat insequi animal, in minori verò sumitur, vt profertur accentu acuto; quo pacto acceptum significat otiari.

Quartus modus est, quando vna vox potest esse vna syllaba, vel duæ, vt in hac voce, *Quies*, quæ prolata vt vna vox significat requiem, prolata verò vt duæ, significat, *Qui*, *es*; vnde fit hic paralogismus. Tu es qui, es; sed quies est requies: ergo tu es requies. Idem dicendum est de hac voce *inuite*; ex qua fit hic paralogismus. Quicquid Deus inuite facit, facit coactè: sed in vite facit vinum: ergo Deus facit vinum coactè: in maiori enim *ly inuite*, profertur vt vna vox, in minori vt duplex.

Rogas. *Quomodo in his fallacijs sit multiplicitas potentialis, & actualis?*

R. Cum Ægidio lib. 1. elenc. pag. 14. col. 3. quod in dictione, & oratione quædam sunt formalia, quædam materialia. Nam ipsæ literæ, & vox ipsa est materialis in prolatione, ordo tamen dictionum, & modus proferēdi formalia sunt in prolatione. In compositione ergo, & diuisione est eadem prolatio secundum vocem, sed non secundum ordinem dictionum. In accentu verò est eadem prolatio secundum vocem, sed non secundum modū proferendi, & quia vox est materialis in prolatione, ideò compositio, diuisio, & accentus dicuntur habere multiplicitatem potentialem; quia sub vna prolatione non formaliter, cum non sit ibi idem modus proferendi; sed materialiter, cum illa prolatio sit vna ratione vocis, est ibi diuersitas significatorum; & quia materia se tenet ex parte potentiæ, forma verò ex parte actus, ideò compositio, diuisio, & accentus, vbi est vnitas prolationis materialiter, tantum, dicuntur habere multiplicitatem potentialem: amphibologia verò, & æquiuocatio, vbi est vnitas prolationis formaliter, dicuntur habere multiplicitatem actualem.

Roga. *Vbi sit minus de multiplicitate in accentu, vel in compositione, & diuisione?*

R. Cum Ægidio loc. cit. quod compositio, & diuisio diuersificant formam prolationis propter diuersum ordinem dictionum: accentus verò diuersificat huiusmodi formam propter diuersum modum proferēdi; & quia talis modus proferendi magis sensibiliter prolationem variat, cum quanto aliquid magis est subiectū variationi, magis fit in potentia, licet tam accentus, quam compositio, & diuisio habeant multiplicitatem potentialem; tamen accentus habet huiusmodi multiplicitatem magis potentialiter, quam compositio, & diuisio, quia prolatio vt peccat per accentum magis sensibiliter est variationi subiecta. In ipsa ergo potentialitate actuali est dare gradus, & minus habet de multiplicitate accentus, quam compositio, & diuisio, quia magis potentialiter habet huiusmodi multiplicitatem.

§. 6.

§. 5.

De Fallacia figura dictionis peccante secundum multiplicitatem phantasticam.

FAllacia figuræ dictionis oritur ex multiplicitate phantastica: vnde causa apparentiæ huius fallaciæ est similitudo interpretationis, causa autem non existentiæ & diuersitas interpretatorum.

Modi huius fallaciæ sunt tres.

Primus est, quando propter vnitatem rei significatæ interpretamur eumdem modũ significandi; & hoc ab Aristotele vocatur, Masculinum interpretari fœmininum, vel neutrum. v.g. quicquid est animal coloratum albedine est albũ: sed Plato est animal coloratum albedine: ergo Plato est album. In hoc paralogismo masculinum interpretatur neutrum: nam quia animal vt est in Platone dicit eandem rẽ, quod Plato, credimus quod habeat eumdem modum significãdi, vt sicut animal significat neutraliter, sic credimus quod etiam Plato significet neutraliter. Eodem modo masculinum potest interpretari fœmininũ, vt v.g. omnis substantia colorata albedine est alba: lapis est substantia colorata albedine: ergo lapis est alba. Laborat eodem vitio; quia enim substãtia in albedine est idem quod lapis, credimus propter vnitatem rei, quod sicut substantia significat fœminine, sic etiam significet lapis.

Ad hunc modum (vt notat Ægidius) reduci potest variatio suppositionis, vt si dicatur; homo est species: Sortes est homo: ergo Sortes est species: quia enim homo in Sorte est eadem res quod Sortes, credimus hominem, & Sortem habere eumdem modum significandi, vt sicut homo significat quale quid; sic etiam Sortes significet quale quid: & sicut homo est species, sic etiam Sortes.

Secundus modus est, quãdo propter vnitatem modi significandi interpretamur vnitatem rei significatæ, qui modus ab Aristotele vocatur, interpretari quale quantum, vel è contra, quia enim prædicamenta in concreto sumpta se implicant, & secundum modum significandi vnum aliquo modo importat aliud (cum enim lignum sit quantum, necesse est quod quantum aliquo modo implicet subiectum de quo prędicatur) ideò ob hanc conuenientiam in modo significandi interpretamur vnitatem rei significatæ, & credimus quod omne illud, quod est distributiuum substantię, vel alterius prædicamenti; sit etiã distributiuum in reliquis; quod est committere fallaciam dictionis; vt v. g. Quicquid emisti comedisti: sed carnes crudas emisti: ergo carnes crudas comedisti. Item Quicquid emisti, comedisti: magnum emisti: ergo magnum comedisti. In primò variatur quid in quale; in secundò quid in quantum: quia ly *quicquid*, quod est distributiuum substantiæ, interpretamur ac si esset distributiuum qualitatis, & quantitatis. Sic etiam quantumcunque, & quotcũque, quæ sunt signa distributiua quantitatis; & qualecumque, quod est signum distributiuum qualitatis, si credimus posse ad inuicem distribui, decipimur: vt v.g. Quantacunque vidisti heri, vides hodie:

heri vidisti cruda: ergo hodie vides cruda. Item. Qualiacumque vidisti heri, vides hodie: heri vidisti magna: ergo hodie vides magna.

Tertius modus est, quando propter conueniētiam modi proferendi interpretamur vnitatem modi significandi, vel rei significatæ, quod ab Aristotele dicitur, faciens & agens interpretari patiens, vel è contra, vt si ex eo quod videre est similis terminationis, ac secare; crederemus quod sicut secare importat actionem, ita & videre; vt v. g. quod se habet sicut secare importat actionem: videre se habet sicut secare: ergo videre importat actionem. Deceptio est in ly *videre*, quia propter similem terminationem cum secare, credimus quod importet actionem, sicut importat secare.

Rogas. *Quare hæc fallacia dicitur figura dictionis?*

R. ex Ægidio pag. 15. dici sic, quia figura dicit aliquid rei adiacens; & quia concretio, & terminatio ex quibus sumitur fallacia dictionis, sunt aliqua adiacētia significato, ideò talia dicuntur ad fallaciam dictionis pertinere.

Rogas. *Quare hæc fallacia dicitur peccare secundum multiplicitatem phantasticam?*

R. ex Ægidio quia in tali fallacia non est vera multiplicitas nec materialiter, nec formaliter: in hac enim fallacia vna, & eadem vox non est multiplex, vel materialiter, vel formaliter ad agere, & pati; ad quale, & quantum: ad masculinum, & fæmininum: sed tantum est multiplicitas phantastica, quatenus propter terminationem, vel concretionem dictionis vnum interpretamur aliud, ideò interpretatiuè, & phantasticè est ibi multiplicitas.

§. 6.

De Fallacijs extra dictionem, & primò de fallacia accidentis.

FAllaciæ extra dictionem ex Aristotele, & Ægidio sunt septem .s. fallacia Accidentis, fallacia secundum quid, & simpliciter, fallacia secundum ignorātiam elenchi, fallacia secundum petitionem principij, fallacia secundum consequēs, fallacia secundum non causam, vt causam, & fallacia secundum plures interrogationes, vt vnam.

Pro his autem noto cum Ægidio pag. 16. col. 3. quod fallaciarum extra dictionem quædam sunt principales, quædam verò quasi annexæ: Accidens enim, secundum quid, & simpliciter ignorantia elenchi, & petitio principij possunt dici quasi principales; aliæ vero tres, vt consequens, non causa, vt causa; & plures interrogationes vt vna, possunt dici quasi annexæ: consequens enim reducitur ad accidens, non causa, vt causa reducitur ad petitionē principij, & secundum plures interrogationes vt vnam, videntur posse reduci ad ignorantiam elenchi, vel ad secundum quid, & simpliciter.

Ex hoc autem elici potest numerus harum fallaciarum: nam huiusmodi fallaciæ vel sūt principales: vel annexæ: si sunt principales, sic vt peccant contra elenchum tripliciter distinguuntur; elenchus enim est syllogismus: est dialecticus, & est elenchus: vt syllogismus est habet i ferre; vt dialecticus habet probare, & vt elenchus est habet con-

tradicere: si ergo sit error contra elenchum, quatenus elenchus est illatiuus, sic sumitur accidens, quod peccat contra de necessitate accidere. Si sit error contra ipsum vt est contradictiuus, sic sumitur secundum quid, & simpliciter, & ignorantia elenchi. Si est error contra ipsum vt est probatiuus, sic sumitur petitio principij:& sicut fallaciæ extra dictionem quæ videntur magis principales sumũtur pænes has tres conditiones, quia vel non inferunt, vel non contradicunt, vel non probant; sic & aliæ, quæ videntur annexæ sumuntur per illa tria: quia consequens sumitur ex eo quod nõ infert: secundũ causam ex eo quod non probat: & secundum plures interrogationes ex eo quod non contradicit.

Fallacia ergo accidentis est quãdo aliquod prædicatum assignatur similiter in esse rei subiectæ, & accidenti: Vnde causa apparentiæ est identitas, & conuenientia accidentis ad subiectum; causa verò non existentię est diuersitas eorumdem.

Rogas Quid intelligatur per *Accidens*, vt est fallacia accidentis?

R. ex Ægidio pag. 16. col. 3. quod accidens est triplex, accidens absolutè, accidens respectu vnius, & accidens respectu tertij. Accidens primò modo non potest conuenire substantiæ, quia quod est substantia absolutè loquendo non potest esse alteri accidens. Accidens secũdo modo potest substantiæ conuenire; nihil enim prohibet vt id quod in se & absolutè est substantia; habeat rationem accidentis respectu alterius: sic enim omnia inferiora accidunt superioribus, quia sunt præter eorum rationes. Accidens tertio modo non dicit aliud, quam esse extraneum ab aliquo, non simpliciter, sed vt stat sub aliquo tertio attributo; & sic inferiora accidunt superioribus, & superiora inferioribus, & æqualia æqualibus, & omnia omnibus: vt si dicam, *Homo est species specialissima*, tunc homini vt stanti sub tali attributo accidit quod sit animal, vel substantia, quia animal, & substantia non sunt species specialissimę: accidit etiam sibi prædicari de Sorte, quia Sortes non est species, & homini vt stanti sub hoc attributo *species specialissima*, est extraneum prædicari de Sorte: & hoc tertio modo sumitur accidens vt est fallacia accidentis.

Modi huius fallacię communiter assignantur tres, vt primus sit quando superiora accidunt inferioribus, & è contra. Secundus quãdo conuertibilia accidunt conuertibilibus. Tertius quando accidẽtia accidunt subiectis.

Dico tamen cum Ægidio quod formaliter loquendo in hac fallacia est vnus tantum modus, licet materialiter possint esse diuersi, quo pacto est intelligendus Aristoteles, dum duos paralogismos in hac fallacia ponit.

Ratio autem est, quia hæc fallacia formaliter consistit in eo, quod semper medium stet sub aliquo attributo respectu cuius alia ei accidant: sed hæc ratio formaliter reseruatur in omnibus modis: ergo omnes modi erunt idem formaliter, & solum different materialiter. Exempla huius fallacię sunt. Coriscus est alter ab homine: Coriscus est homo

ergo Coriscus est alter à se. Homo est sortes: Plato est homo: ergo Plato est Sortes Substãtia est ens: qualitas est ens: ergo qualitas est substantia. In his omnibus cõmittitur accidens, quia accidit homini prędicari de Corisco, vt Coriscus est alter ab homine. Accidit homini prædicari de Platone quatenus prędicatur de sorte. Accidit enti vt prędicatur de substantia, quod prædicetur de qualitate.

Rogas, *Quomodo superiora possint accidere inferioribus.*

R. ex Ægidio quod ea, quæ differunt ratione ita se habent, vt aliquid sit de ratione vnius, quod non sit de ratione alterius, & ideò potest aliquid competere vni, quod non cõpetat alteri secundum quod huiusmodi; qua de causa licet absolutè loquendo superiora nõ accidant inferioribus; tamen respectu alicuius attributi, vt respectu eius quod competit inferioribus tum per cõparationem ad superiora, superiora possunt accidere inferioribus: vt si mederi cõpetit Sorti non in eo quod homo, accidit Sorti esse hominem, non simpliciter & absolutè, sed in quantum stat sub hoc prædicato quod est mederi. Ex hoc autem fit vt in his tantum quæ sunt ita synonima, quod nec re, nec ratione differunt; non possit accidentis fallacia contingere, benè tamen in omnibus alijs.

Rogas. *Quomodo accidit superiori vt prædicatur de vno inferiori, prædicari de alio?*

R. ex Ægidio quia superiora nõ reseruantur in inferioribus secundum idem esse: immò species specialissima in qua est vera vniuocacio, non participatur à sui particularibus secũdum idem esse: & quia superiora prædicantur de inferioribus secundum esse quod habent in ipsis, & in diuersis inferioribus habent diuersa esse, ideò accidit superioribus, vt prædicantur de vno, prædicari de alio.

§. 7.

De Fallacia A. secundum quid ad simpliciter.

FAllacia A. secundum quid ad simpliciter est quãdo quod particulariter dicitur in præmissis sumitur vt simpliciter dictum in conclusione: vnde causa apparentiæ in hac fallacia est conuenientia inter secundum quid, & simpliciter, causa verò non existentiæ est diuersitas eorumdem.

Vt autem modi huius fallaciæ innotescant notandum est cum Ægidio quod hæc fallacia tripliciter potest considerari. Primò quantum ad opposita quæ possunt concludi per eam. Secundò quantum ad modum procedendi, quia in ea procceditur à secundum quid ad simpliciter. Tertiò quantum ad materiam ad quam applicari potest. Si consideretur sub prima ratione sic in ea distinguuntur tres modi.

Primus est quatenus per eam cõcluduntur opposita contradictoriè v.g. dicendo. Quicquid est opinabile illud est: sed quod non est, est opinabile: ergo quod non est, est. Hic modus deficit, quia esse opinabile non est esse simpliciter, sed secundum quid, quæ duo non sunt idem.

Scundus est quatenus per eam con-

concluduntur opposita priuatiuè v.g. Æthiops cum sit niger, est albus secundum dentes: ergo est albus, & non albus.

Tertius est quando per eam concluduntur opposita contrariè v.g. sortes est albus secundum pedes, & niger secundum manus: ergo est albus, & niger. Vterque paralogismus deficit, quia procedit à secundum quid ad simpliciter.

Si verò consideretur secũdò modo, sic hæc fallacia habet duos modos; nam numquam quantũ ac modum procedendi committitur hæc fallacia, nisi ratione incongruæ additionis factæ: hæc autem duobus modis fieri potest; primò quia additio ipsa est incongrua, & incompetens, vt dicendo. *homo mortuus: ergo homo.* Secundò quia licet additio sit competens, non tamen competenter additur; cum addatur secundum partem à qua totum denominari non potest, vt dicendo: hic homo est albus secundum dentes: ergo est albus: albedo enim licet sit competens additio, non tamen cõpetenter determinat hominem; quia non determinat ipsum secundum partem à qua denominari habeat.

Si tandem cõsideretur tertiò modo, sic distingui possunt quinque modi huius fallaciæ. Primus est secũdum quod priuatio deficit à forma, vt dicendo *homo mortuus: ergo homo.*

Secundus prout potentia deficit ab actu, vt *est animal in potentia: ergo est animal.*

Tertius est prout materia deficit à forma, vt quando aliquid sumptũ materialiter infertur vt formaliter v.g. *Latro vult sumere peccuniam: sed pecunia est bonum, ergo ladro vult bonum.* Vult enim bonum materialiter, quia vult id quod in se est bonum: at formaliter vult malum, quia vult illud bonum malo modo.

Quartus est ex eo quod pars deficit à toto, vt dicendo. *Indus est albus dentibus: ergo est albus.*

Quintus est ex eo quod intentiones, & entia rationis deficiunt à rebus, vt dicendo *Chimæra est opinabilis: ergo Chimæra est.* Addi potest etiam sextus, vt quando similitudo deficit à re, vt dicendo. *Est animal pictum: ergo animal.*

Notat autẽ Ægidius quod quando additio est incompetens hoc idcò est, quia vel est diminuens, vel priuans; & ideò non valet. Est homo mortuus: ergo est homo; quia ly *mortuus* est additio priuans subiectum ratione hominis. Sic etiam non valet est opinabile: ergo est, quia opinabile diminuit de ratione entis, vel est additio conueniens toti mediante parte à qua tamen totum denominari non potest.

§. 8.

De Fallacia secundum ignorantiam Elenchi.

Fallacia secundum ignorantiam elenchi est quando committitur defectus contra definitionem elenchi.

Pro hac fallacia notat Ægidius quod ignorantia elenchi duobus modis sumi potest: primò vt est fallacia generalis: secundò vt est fallacia specialis: primò modo omnis fallacia est contra elenchum; & ratio est, quia quicquid peccat contra syllogismum, peccat contra elenchum:

chum: sed omnis fallacia peccat contra syllogismum: ergo peccat etiam contra elenchum: ma. pr. quia ratio syllogismi clauditur in ratione elenchi, & elenchus supra syllogismum addit contradictionem: sic ergo est fallacia generalis. Secundo modo sumitur quatenus fallacia peccat specialiter contra contradictionem, & sic est fallacia specialis: sicut enim quicquid contradicit animali, contradicit homini, quia ratio animalis reseruatur in homine, specialiter tamen contradicit homini id, quod contradicit rationali, quæ est differentia specifica quam addit homo supra animal; sic quicquid contradicit syllogismo, contradicit elencho, quia ratio syllogismi reseruatur in elencho; specialiter tamen contradicit elencho, quod contradicit contradictioni, quam addit elenchus supra syllogismum, ratione autem huius specialis defectus, hæc fallacia dicitur anthonomasticè contra elenchum.

Elenchus ab Aristotele, & Ægidio definitur sic. Est contradictio vnius, & eiusdem conclusa euidenter per syllogismum, non nominis tantum, sed rei, & nominis, & hoc secundum idem ad idem similiter, & in eodem tempore. Modi huius fallaciæ sunt quatuor.

Primus est per omissionem alicuius particulæ positæ in definitione elenchi: vnde non valet si dicatur. Duo sunt duplum ad vnum, & non sunt duplum ad tria: ergo duo sunt duplum, & non duplum: quia omittitur ly *ad idem*: nam duo sunt duplum & non duplum, non tamen respectu eiusdem, sed diuersorum.

Secundus est si aliquid respectu eiusdem sit duplum, & non duplum, non tamen sit tale secundum idem: nā si aliquid respectu vnius, & eiusdem est duplum secundum longitudinem, non tamen secundum latitudinē, erit respectu eiusdem duplum, & non duplum, sed non secundum idem: vnde non sequitur quod sit duplum; & non duplum, quia ommittitur ly secundum idem.

Tertius est quando est contradictio eiusdem, & secundum idem, sed non similiter: & si erit similiter, non tamen erit simul, & in eodem tempore; & sic erit quartus modus, in quo ommittetur ly simul. Exempla autem sint in Sorte; nam Sortem currere, & non currere potest concludi quadrupliciter, primò non respectu eiusdem spatij, vt currit in campo, non currit in domo: secundò si sit respectu eiusdē spatij, non tamen secundum idem, vt currit in campo ad dextrum, non currit ad sinistrum: tertiò si sit respectu eiusdem, & secundum idem, non tamen similiter; vt currit rectè, & non currit obliquè: quartò si sit respectu eiusdem, secundum idem, & similiter, sed non simul, vt currit in tertia, non currit in nona, Primus modus omittit ad idem: secundus omittit secundum idem: tertius omittit similiter; quartus omittit simul, & in eodem tempore.

Notat Ægidius quod causa apparentiæ in hac fallacia sumitur ex ipsa re, quia enim de eadem re contradictionem concludimus, est ibi causa apparentiæ, quia tamen non concludimus huiusmodi contradictionem secundum idem, & eodem mo-

modo, est ibi causa non existentiæ: ex hoc autem fit quod cum principium decipiendi sumatur ex ipsa re, hæc fallacia erit extra dictionem.

§. 9.

De Fallacia Petitionis Principij.

Fallacia petitionis principij est quando contingit petere quod est in principio, ideò fit totidem modis quot modis petitur quod est in principio. Causa apparentiæ huius fallaciæ est quia paralogismi in ea facti videntur probare intentum eo quod audientes non possunt inspicere idem, & diuersum, cum appareat diuersitas conclusionis, & præmissarum; causa verò non existentiæ est diuersitas insufficiens ad probandũ; non enim est tãta diuersitas inter cõclusioné, & præmissas, quanta requiritur ad probandum.

Pro intelligentia huius fallaciæ not. est ex Ægidio quod petere principium est probare idem per idem; hoc autem vel fit statim, vt cum dicitur, *homo currit: ergo homo currit*; & tunc non est petitio principij, cum nulla sit ibi probatio: vel non fit statim, & hoc euenire potest duobus modis, primò si maior sit æquè dubia, vel magis dubia, quam conclusio, & termini minoris accipiantur conuertibiliter, tunc enim cum conclusione, & cum conuersa minoris concludetur maior, & sic maior probabit conclusioné, & cõclusio maiorem, & per consequens probabitur idem per idem. Secundò si minor sit æquè dubia, vel magis dubia quam cõclusio, & termini minoris accipiantur cõuertibiliter; tũc enim cum conclusione, & cum cõuersa maioris concludetur minor, & sic probabitur idem per idem.

Not. 2. cum eodem pag. 19. quod de petitione principij determinatur in 8. top. & ibi assignantur quinque modi petitionis principij, quorum vnus est, quando per definitionem probatur definitum, vel è conuerso. Secundus est quando particulare probatur per vniuersale, vt si quis volens probare quod contrariorum sit vna disciplina, petit ab aduersario sibi concedi quod omnium oppositorum sit vna disciplina. Tertius modus est si fiat è conuerso, vt si per particulare probetur vniuersale, vt si quis volens probare omnium oppositorum eamdem esse disciplinam petat ab aduersario quod sibi concedat omnium contrariorum, priuatiuorum, relatiuorum, & contradictoriorum esse eãdem disciplinam. Quartus modus est si aliquis petat diuisim quod vult probare coniunctim; vel è cõuerso; vt si petat sibi concedi medicinam esse scientiam sani, & esse scientiam ægri, & inferat medicinã esse scientiam sani, & ægri. Quintus modus est si volens probare vnum relatiuorum petat sibi concedi aliud, vt volens probare quod diameter sit incommensurabilis costæ petat quod sibi concedatur, costam esse incommẽsurabilem diametro. His autem omnibus modis committitur hæc fallacia; vt si dicatur, animal rationale mortale currit: ergo homo currit. In hac nulla est probatio, quia similiter dubitatur de præmissa, & de conclusione. Sic si in secundo modo dicatur. Omnium oppositorum est eadem disciplina: ergo omnium contrariorum est eadem disciplina. In hoc paralogismo præmissa nõ est magis no-

ta, quam conclusio. Sic in tertio, & quarto vt insinuatum est: in quinto etiam vt si dicatur; Plato est filius Sortis: ergo Sortes est pater Platonis; hic petitur quod debet probari sub alijs verbis.

Rogas 1. *An petitio principij fiat illis modis, qui assignantur in 2. prior. vel in 8. topicorum?*

R. Cum Ægidio pag. 20. modos petitionis principij secundum quos fit hæc fallacia, sumendos esse secundum modos assignatos in 8. top. quia fallaciæ non sunt aliud, nisi locales habitudines sophisticæ, & quia syllogismus dialecticus supra syllogismum simpliciter addit habitudinem localem, ideò syllogismus sophisticus secundum quod huiusmodi magis directè, & per se peccat contra syllogismum dialecticum, quam contra syllogismum simpliciter; & quia modi petitionis principij positi in top. dicunt obliquitatem syllogismi dialectici, ideò modi deseruiētes huic fallaciæ magis propriè sumuntur, vt traduntur in Top. quam in lib. priorum.

Rogas 2. *An in primo, & secundò modo petitionis principij possit aliquando fieri bonus syllogismus?*

R. Cum Ægidio pag. 20. posse in eis fieri bonum & sophisticum syllogismum aliter tamen, & aliter. Pro qua re noto quod licet idem dicat definitū, & definitio: vniuersale, & particulare, tamen non dicunt idem sub eadem ratione, & propter hanc diuersitatem rationis aliqua prædicata magis per se insunt speciei, quam generi, vt quod anguli intrinseci valeant duos rectos magis per se inest triangulo, quam figuræ: sic etiam aliqua prædicata magis per se insunt generi, quam speciei, & vniuersali, quam particulari, vt quod anguli extrinseci valeant quatuor rectos, magis per se inest figuræ, quam triangulo; & esse coloratum magis per se inest corpori terminato, quam lapidi. Sic etiam aliqua prædicata sunt, quæ euidentius competunt definitioni, quam definito: definitio enim exprimit causas, & principia definiti, ideò cognita definitione rei innotescit nobis aliqua ipsi rei inesse, & sic dantur aliqua prædicata, quæ euidentius insunt definitioni, quam definito, & aliqua è conuerso. Quo præmisso.

Dico quod si loquamur de prædicatis, quæ euidentius insunt definitioni, quam definito, si procedatur à definitione ad definitum, erit ibi bonus syllogismus, & erit bonus locus dialecticus, dictus locus à definitione. Si verò loquamur de his, quæ non euidentius insunt definitioni, quam definito; & in eis fiat processus, erit ibi locus sophisticus, qui dicitur petitio principij, & idem dicendum est de vniuersali, & particulari, & etiam de alijs modis, quibus peti potest principium: nam si diceretur omnia opposita: ergo contraria: si iste processus fieret in his, quæ euidentius insunt oppositis, quam contrarijs, & in vniuersali, quam in particulari, esset bonus locus dialecticus, & vocaretur locus à toto in quantitate: sed si fieret in his, quæ non euidentius inessent oppositis, quam contrarijs; & superiori quam inferiori esset ibi locus sophisticus, & diceretur petitio principij.

§. 10.

§. 10.
De Fallacia Consequentis.

FAllacia Consequentis oritur ex eo quod putamus consequens ex necessitate sequi ex antecedente: vnde causa apparentiæ huius fallaciæ est identitas antecedentis ad consequēs, causa verò non existentiæ est diuersitas eorum: nam propter identitatem antecedentis ad consequens credimus conuerti cōsequentiam, vt propter identitatem luminis ad animal, sicut valet, homo: ergo animal: ita credimus quod valeat, Animal: ergo homo.

Hæc fallacia formaliter loquendo non habet nisi vnum modū, quia formaliter semper fit à positione consequentis; materialiter tamen, & per applicationem ad diuersas materias habet tres modos.

Primus est quatenus applicatur ad ea, quæ sunt circa sensum, & phantasiam; v. g. dicendo; mel est rubeum, fel est rubeum: ergo mel est fel. Dicitur hæc fallacia ex sensu, quia vidēdo fel, opinamur quod sit mel, eo quod vtrumquè habet colorem rubeum.

Secundus modus est quando applicatur ad scientias morales, & Rhetoricas. v. g. Adulter est errabundus de nocte: iste est errabundus de nocte: ergo iste est adulter. Adulter est comptus: iste est comptus: ergo. Isti paralogismi deficiūt quia esse errabundum, & comptum insunt pluribus hominibus, esse autem adulterum non inest illis: multi enim sunt compti, & errabundi de nocte, qui non sunt adulteri; ideò non sequitur.

Tertius est quando applicatur ad scientias speculatiuas, quo in modo exemplificat à destructione antecedentis adducendo rationem Melissi. Quod est factū habet principium: vniuersum non est factum: ergo non habet principium: si non habet principium: ergo non habet finem: ergo est infinitum. In hac ratione committitur fallacia consequentis: nam cum dicitur, vniuersum non est factum: ergo non habet principium: arguitur à destructione antecedentis, & arguendum erat sic, quod est factū habet principium: ergo quod non habet principium non est factum.

Notat Ægidius quod ex Aristotele à destructione antecedentis nō possumus arguere nisi in materia conuertibili: esse autem factum, & habere principium non sunt cōuertibilia, quia habere principium est in plus, quam esse factum.

Dices De ratione eius quod fit est habere principium suæ factionis: ergo esse factū & habere principium sunt conuertibilia.

R. ex Ægidio quod habere principium stat dupliciter, vel principium factionis, vel principium magnitudinis: si intelligatur de principio factionis concedo; sic enim quicquid est factum habet principiū, & quicquid habet principium est factum: si intelligatur de principio magnitudinis, sic (sequendo opinionem Aristotelis) nego: cœlum enim ex Aristotele habet principium magnitudinis, & tamen ex Aristotele non est factum, quia non incœpit esse. Melissus autem non loquebatur de principio factionis, sed magnitudinis, quia esse

infinitum negat principium magnitudinis, ideò Melissus non arguebat in materia conuertibili.

§. 11.
De Fallacia secundum non causam, vt causam.

FAllacia secundum non causam vt causam oritur ex eo quod assumitur quod non est causa, ac si esset causa: vnde causa apparentiæ huius fallaciæ est conuenientia non causæ ad causam, causa verò non existentiæ est differentia earumdem. Congruentius fit hæc fallacia in syllogismis ducentibus ad impossibile: nam in his necessarium est interimere aliquid ex his, quæ posita sunt; semper enim in syllogismis ad impossibile fit reuersio super præmissas, & interimitur aliqua præmissarum: vnde si inter necessarias interrogationes propter quas accidit impossibile, enumeretur aliqua alia propositio, videbitur sæpe fieri redargutio propter illam propositionem connumeratam inter necessarias propositiones, & tunc putabitur causa redargutionis esse quod non est causa. Exemplum Aristotelis est. Petatur an anima, & vita sint idem; & si dicatur quod sic. Arguatur hoc pacto. Corruptioni est contraria generatio, & alicui corruptioni est contraria aliqua generatio: sed mors est quædam corruptio, & est contraria vitæ, cum vita sit idē quod anima, vita erit quædam generatio, cum mors sit quædam corruptio, & viuere per consequens erit quoddam generari: sed hoc est impossibile; nam viuere non est generari, sed est genitum esse: ergo impossibile est etiam illud ex quo sequitur .s. quod anima, & vita sint idem.

Circa hanc fallaciam notat 1. Ægidius quod viuere viuentibus est esse, vnde mors cum sit mutatio quædam non potest opponi contrariè ipsi esse; sed sicut forma habet alium formam contrariam; sic vni mutationi respondet alia mutatio tamquam cōtraria, & sic mors, quæ est quędā corruptio viui, contrariabitur nō ipsi viuere, sed generationi viui: & q̄a hæc falsa est, *mors & vita sunt contraria*, ex hoc falso sequitur aliud falsum, quod .s. vita sit quædam generatio, sicut mors est quædam corruptio. Hæc ergo propositio; *anima, & vita sunt idem*; non est illa propositio ex qua sequitur falsum, sed associata fuit illi, ex qua sequebatur falsum, & habet quamdam conuenientiam cum illa.

Notat 2. quod in tali processu est accipere aliquid, quod est causa falsi vt propositio illa: *mors, & vita sunt contraria*, & aliquid ex quo nō sequitur falsum, vt *anima, & vita sunt idem*; & ideò dicitur quod hæc fallacia sit, secundum non causam, vt causam, quia assignatur causa redargutionis, & falsitatis, quod non est causa.

Rogas. 1. *An hac fallacia possit cōtingere in syllogismo ostensiuo?*

R. Cum Ægidio p. elenc. pag. 21. col. 3. affirmatiuè, quia etiam in syllogismo ostensiuo potest accipi aliquid, quod est simile causæ, quod tamen non est causa: nam causa est id post cuius esse aliud sequitur; vnde si accipiatur aliquid post cuius esse sequitur aliquid, videbitur illud esse causa illius vt quia post ædifica-

ca-

cationem ciuitatis contingunt multa mala, creditur quod ciuitas sit causa omnium malorum, ideò sic potest formari paralogismus. Illud post quod fiunt mala est causa malorum: sed post ciuitatem fiunt mala: ergo ciuitas est causa malorum. Item. Qui ædificat est causa ædificationis: musicus ædificat: ergo musicus est causa ædificationis.

Rogas. 2. *An hæc fallacia sit in dictione, vel extra dictionem?*

Videtur enim quod sit in dictione, nam causa apparentiæ huius fallaciæ est, quia aliqua propositio, quę non est causa, conuenit in aliquo termino cum propositione, quæ est causa: sed conuenire in aliquo termino propositionis est conuenire in voce: ergo hæc fallacia erit in dictione, cùm causam decipiendi sumat de parte vocis.

Pro resolutione notat Ægidius pag. 22. quod in quolibet motu ad formam sunt tres termini: nam secundum quod motus diuersimodè terminatur, sic habet diuersos terminos: motus enim potest considerari vt est quid quantum, & quid continuum; & sic terminatur per mutationem; sicut enim pūctus terminat lineam secundum quantitatem, ita quod vltra vltimum punctum se non extendit linea, sic vltima mutatio, siue vltimum mutatum esse terminat motum secundum quantitatem, quia vltra illud se non extendit quantitas motus. Secundò potest cōsiderari terminatio motus prout motus est determinatè in hoc genere, & in hac specie, & sic terminus non est mutatio, sed forma: motus enim reponitur in genere per formam, vel per res ad quas est motus ex 3. phys. & si motus terminatur ad formam, terminatur etiam ad esse, qui est actus formæ: termini ergo motus sunt aliter, & aliter mutatio, forma, & esse. generatio ergo est quidam terminus motus, cùm sit mutatio quædam; & anima est terminus motus, cùm sit forma per generationem inducta; & viuere est quidam terminus motus, cum sit quoddam esse, & quidā actus animæ. Hæc ergo propositio, *anima, & vita idem*, conuenit cum his ambabus præmissis, .s. cum hac, *generatio, & corruptio sunt contraria*, & cū hac, *mors, & vita sunt contraria*: nā cum generatio, & corruptio sint termini, & forma, & esse, siue anima, & vita sint termini motus, omnes hæ propositiones, videlicet, *generatio, & corruptio sunt contraria, mors & vita sunt contraria; anima & vita idem*; conueniunt non solum in voce, sed etiam in re, quia omnes dictæ propositiones accipiunt ea, quæ sunt termini motus. Vel si volumus tenere modum communem, qui non omninò respuendus est, dicere possumus, quod conuenientia secundum prædicatum, & subiectū potest attendi dupliciter, vel ratione vocis, vel ratione rei per vocem significatæ. Hæc ergo fallacia committitur ex eo quod propositio, quę non est causa redargutionis, conuenit cum propositione, quæ est huiusmodi causa in altero terminorū, non ratione vocis, sed ratione rei significatæ per illum terminum: propter quod apparet hanc fallaciam esse extra dictionem, & non in dictione. Ita Ægidius; ex quo patet ad rationem difficultatis.

§. 1

§.12.

De Fallacia secundum plures interrogationes, vt vnam.

Fallacia secundum plures interrogationes, vt vnam oritur ex eo quod latet illas esse plures interrogationes, & creditur quod sit vna interrogatio Causa apparentiæ huius fallaciæ est conuenientia inter plures interrogationes, & vnam; causa verò non existentiæ est differentia earumdem.

Hæc fallacia est facilis, & difficilis: facilis quidem in aliquibus, quia in multis facilè est videre quando sunt plures interrogationes, & quādo non est reddenda vna responsio, vt patet in hoc exemplo, vtrum terra est mare, aut cœlum? in aliquibus autem difficile est videre quando sunt plures interrogationes; nā aliquando videtur quod sit vna interrogatio, & tunc si concedatur interrogationem esse vnam, cum non respondeat ad interrogata vt debet, redarguitur: si verò non dat vnam responsionem redargui videtur.

Circa hoc notat Ægidius quod quando respondens non cognoscit esse plures interrogatiònes, tunc vel redarguetur, vel videbitur redargui: nam si propositis duobus quorum vnus sit videns, & alter cœcus, & quæratur ab aliquo, sunt ne hæc videntia, vel non? Si respondeat quod sunt videntia, verè redarguitur; sequitur enim ex dicto suo quod cœcus sit videns, & sic redarguitur, quia non respondet ad interrogatū, vt debet: Si respondeat negatiuè, & dicat quod non sunt videntia, non redarguitur, sed videtur redargui, inferret enim opponens, ex quo cæcus & videns non sunt videntes: ergo videns non est videns: hæc tamen redargutio est apparens, non existens.

Notat 2. quod quando aliquid affirmatur de pluribus potest de quolibet inferri per se; vt si Sortes, & Plato currāt, sequitur quod Sortes currat, & Plato currat: sed si aliquid negatur à pluribus, non oportet quod à quolibet negetur per se, non enim si Sortes, & Plato nō currant, sequitur quod Sortes non currat; & Plato non currat; est enim vera, Sortes, & Plato non currunt, altero non currente. Si ergo cęcus, & videns sunt videntia, potest inferri quod cęcus sit videns, & vidēs sit videns; ideò qui respondet affirmatiuè ad interrogationes plures, dando vnam responsionem, simpliciter concedit illam esse vnam, & verè redarguitur; sed quia cum aliquid negatur à pluribus, non oportet quod negetur à quolibet per se, si de cœco, & vidente responderur negatiuè quod non vident, non sequitur quod possit inferri quod quilibet corū non videat; poterit ergo sic respondens videri redargui, non tamen secundum veritatem potest redargui.

Modi huius fallaciæ dupliciter sumi possunt; primò ex ipsis interrogatis, & sic sunt tres modi, quia vel plura interrogantur de vno; vel vnum de pluribus; vel plura de pluribus: primus modus est, quando interrogatur an terra sit mare aut cœlum? secundus est quando interrogatur, est nè hic, & hic homo v. g. Sortes, & Plato sunt homo? & si respondeas affirmatiuè, tunc arguitur;

tur; cum aliquis percussisset hunc, & hunc, percussisset hominem, & non homines, quod est falsum; tertius est quando interrogatur, sunt nè hæc bona, vel non bona?& si dicas bona, tunc arguens faciet tibi elenchum arguendo quod non bonum sit bonum.

Secundò sumi possunt ex parte modi interrogandi, & sic sunt duo modi, quia quando est interrogatio plures, vel est sub numero singulari, vel sub numero plurali; & sic sunt duo modi, & ad hos deseruiūt paralogismi iam positi in primo modo.

Rogas. 1. *Quomodo habeat esse interrogatio plures?*

R. ex Ægidio lib. 1. elench. pag. 22. quod propositio, interrogatio, & enunciatio idem dicunt, sed non eodem modo; sed dicitur enunciatio eo quod est significatiua veri, vel falsi: dicitur propositio eo quod ordinatur ad syllogismum, vel ad aliquam conclusionem; ideò sic dicta est propositio, quasi pro alio posituo; dicitur interrogatio eo quod ad interrogationem ordinatur; vnde idem est quærere quomodo est propositio, vel enunciatio plures, & quomodo est interrogatio plures. Et pro resolutione sciendū est quod intellectus secundū diuersos actus diuersa format; vt intelligit quidditatem simplicium format definitionem: vt intelligit composita format enunciationem; vnde vnitas definitionis accipienda est ex quidditate & natura rei, & sic partes definitionis sunt vnum, quia dicunt vnā quidditatem, & naturam: vnitas verò enunciationis accipienda est ex intellectu componente, & diuidente, vnde vbi cadit vna actio intellectus componentis est vna enunciatio; vbi verò cadunt plures compositiones, & plures actiones intellectus componentis, & diuidentis sunt plures enunciationes; & quia ex vna compositione solum vnum componitur cum vno simpliciter, & per omnem modū non est enunciatio vna, nisi in qua componitur vnum cum vno: vbi ergo plura prædicantur de pluribus, vel plura de vno, vel vnum de pluribus est enunciatio plures.

Rogas 2. *An hæc fallacia differat ab æquiuocatione, & amphibologia?*

R. ex Ægidio loc. cit. affirmatiuè, quia in illis significantur plura sub vna voce, vel sub vna oratione, hic autem significantur plura sub pluribus vocibus singularibus, vel sub numero plurali habente vim plurium singularium.

Rogas 3. *Quid est quod facit plures interrogationes apparere vnam?*

Resp. ex Ægidio quod est conuenientia ex parte rerum interrogatarum, ideò si interrogata secundum rem multum differant, facilè est videre quod ibi est interrogatio plures: possumus ergo dicere quod eo ipso, quod aliqua plura simul demonstrari possunt, & de eis simul quæri potest, oportet illa plura secundum rem aliquo modo conuenire; & conuenientia illa est causa apparentiæ in hac fallacia; diuersitas verò est causa non existentiæ.

§. 13.

Quomodo loci sophistici deficiant ab Elencho.

PRæmitto cum Ægidio p. elenc. quod cum in elencho reseruetur

tur

tur ratio syllogismi simpliciter; addit enim elenchus supra syllogismum simpliciter contradictionem; & omne quod peccat contra superius, peccat etiam contra inferius; cum syllogismi sophistici peccent cōtra syllogismum simpliciter, peccant etiam contra elenchum, in quo ratio syllogismi simpliciter reseruatur: & ideò duobus modis loci sophistici reduci possunt ad elenchū, primò vniuersaliter, quatenus peccant contra syllogismum simpliciter, secundò specialiter quatenus peccant contra definitionē elenchi.

Primò itaque peccant contra syllogismum simpliciter, quia syllogismus simpliciter est essentialiter modificatus .i. constructus in modo, & figura, ideoque in eo ex necessitate sequitur conclusio: sed syllogismi sophistici sunt immodificati: ergo non sunt in modo, & figura, nec ex necessitate ex eis sequitur conclusio, licet appareat sequi.

Deinde peccant contra Elenchū cùm non sint Elenchi, sed reducantur ad ignorantiam elenchi: nam paralogismi, qui sumuntur ex locis sophisticis in dictione non sunt elenchi, nec contradictiones: ergo reducuntur in ignorātiam elenchi: pr. ant. quia elenchi, & contradictiones debent esse non nominis tātum, sed nominis & rei, sed paralogismi in dictione non contradicunt secundum nomen, & rem, sed tantum secundum nomen: ergo non sunt veri elenchi, sed deficiunt ab eis: pr. mi. quia cum habeant vnitatem secundum dictionem, & multiplicitatem secundum rem non possunt inferre veram contradictionē. Insuper paralogismi extra dictionem deficiunt ab Elencho: ergo reducuntur in ignorantiam Elenchi pr. ant. quia fallacia accidentis deficit ab elencho, cùm non sit syllogismus; non enim valet syllogisticè. Coruus est animal: animal est album: ergo coruus est albus: ergo nec est elenchus; hìc enim de necessitate concludit, non tamen fallacia accidentis. Paralogismi secundum quid, & simpliciter reducuntur ad ignorantiā elenchi, quia elenchus est contradictio vnius, & eiusdem; illi verò paralogismi non affirmant, & negant de eodem; & ideò non sunt elenchi. Item fallacia à non causa, vt causa deficit ab elēcho; quia in elencho sequitur conclusio ex præmissis; non causa autem nihil facit ad conclusionem inferendam, & ideò ex ea non potest sequi conclusio. Petitio principij deficit, quia in elencho conclusio est aliud à præmissis, conclusio verò in petitione principij est eadem cum præmissis, cum in tali fallacia probetur idem per idem. Paralogismus consequentis deficit ab elencho, quia consequens est pars accidentis, non quidem formaliter, sed materialiter: sed accidens peccat contra elenchum: ergo & consequens. Paralogismus secundum plures interrogationes deficit ab elencho; quia elenchus constat ex propositionibus, at plures interrogationes non sunt propositio: ergo nec elenchus: pr. minor. quia propositio dicit vnum de vno; plures autem interrogationes vt vna non dicunt verè vnum de vno, sed tantum apparenter.

§. 14.

§. 14.

Vnde Syllogismi Sophistici sint sumendi, & quomodo.

NOto ex Ægidio p. elenc. c. 6. quod loci sophistici sunt elementa, & principia syllogismorum sophisticorum; sicut enim syllogismi dialectici innituntur locis dialecticis, qui sunt veri loci: ità syllogismi sophistici innitũtur locis sophisticis, qui sunt falsi loci. Loci autem sophistici, seu fallaciæ ex quibus sumuntur syllogismi sophistici, vel sunt in dictione, vel extra dictionem sicut dictum est supra; & licet in assignandis locis sophisticis positi etiam sint syllogismi sophistici ex eis desumpti, hoc tamen solum factum est ab Aristotele ad exemplificandum: nunc autem videndum est vnde sumantur.

Dico cum Aristotele, & Ægidio cap. 6. Syllogismos sophisticos sumendos esse secundum locos sophisticos; non verò secundum propositiones, aut terminos ad quos applicantur, vel secundum comparationem ad vtentes.

Probatur autẽ prima pars, quia eadem via, & secundum eadem principia habentur omnes syllogismi sophistici, siue sint peccantes in forma, siue in materia: sed syllogismi peccantes in forma, seu apparentes sumuntur secundum locos sophisticos: ergo omnes syllogismi sophistici sumendi erunt secũdum locos sophisticos; pr. ma. quia illa eadem propositio, quæ est conclusio syllogismi peccantis in forma, potest esse præmissa in peccante in materia; vt si dicatur, canis currit: stella est canis: ergo stella currit: iste syllogismus peccat in forma, & innititur illi loco sophistico, qui dicitur Æquiuocatio; quod si accipiatur conclusio huius syllogismi, & fiat præmissa in alio syllogismo dicendo, *stella currit: sed quod currit habet pedes: ergo stella habet pedes*. Iste syllogismus peccabit in materia, & innitetur syllogismo peccanti in forma: ergo cum peccans in forma innitatur Æquiuocationi, non solum syllogismi peccantes in forma, sed etiam peccantes in materia ex eisdem locis sumentur; cum hac tamen differentia quod peccantes in forma sumuntur ex illis principijs directè, & immediatè; peccantes autem in materia sumuntur ex eisdem ex consequenti, & mediatè. Mi. pr. quia apparentes elẽchi sumendi sunt secundum particulas veri elenchi; sed secundum huiusmodi particulas sumuntur loci sophistici: ergo apparentes elenchi sumendi sunt secundum locos sophisticos, & per consequens syllogismi peccantes in forma, qui sunt apparentes elenchi sumendi erunt secundum locos sophisticos.

Secunda pars pr. quia paralogismi fieri possunt in omni scientia; sicut enim conclusiones scibiles sunt quasi infinitæ, ità & demonstrationes, & elenchi: ergo & paralogismi deficientes ab elenchis poterunt esse infiniti: infinita autem vt sumuntur secũdum principia specialium artium & secundum speciales propositiones non possunt vna, & eadem sciẽtia compræhendi; licet vt reducuntur in principia communia, & in habitudines locales de eis possit esse vna

Ttt ars,

ars, & scientia: ergo sumi non possunt secundum propositiones, & terminos ad quos applicantur.

Tertia pars pr. quia orationes nō habent comparationem per se ad eos, qui orationibus vtuntur ad nomen, vel ad intellectum; sed respectu horum habent comparationem per accidens: ergo hæc ars non erit tradenda, aut sumenda ex vtentibus, sed tantum ex locis sophisticis, qui sunt principia, & elementa talium paralogismorum.

§. 15.

De Syllogismo Litigioso, & Tentatiuo.

SYllogismus Tentatiuus ab Aristotele p. elenc. c. 8. & Ægidio ibidem definitur sic, *Est syllogismus litigiosus, & sophisticus*. Distinguitur à syllogismo sophistico apparenti, quia ex pag. 34. col. 4. tentatiuus sic sophisticat, quod etiam syllogizat: syllogismus autem apparens non syllogizat, sed videtur syllogizare. Quod verò Tentatiuus sit simul litigiosus & sophisticus, probat Aristoteles quia syllogismi, qui non sunt secūdum principia specialium artium, & videntur esse secundum talem artem, sunt syllogismi litigiosi, & sophistici: sed syllogismus tentatiuus non est secundum principia specialium artium, & videtur esse: decipit enim circa syllogismum demonstratiuum, & dicentem propter quid, cum videatur procedere secundum propria principia, & tamen non procedat: ergo tentatiuus est litigiosus, & sophisticus.

De hoc syllogismo multa quæri possunt, ideò de eo.

Dubitatur 1. *Quomodo syllogismus tentatiuus distinguatur à syllogismo falsigrapho?*

R. Cum ex Ægidio p. elenc. pag. 35. col. p. distingui in hoc, quod falsigraphus non est litigiosus, benè tamen tentatiuus: nam ille procedit secundum principia illius artis, iste verò secundum ea non procedit, sed videtur procedere; litigiosus enim videtur secundum talia principia procedere, re tamen vera non procedit. Est exemplum de syllogismo quo Ipocras quadrabat circulum per lunulas; talis enim syllogismus non erat litigiosus, quia procedebat secundum principia artis; erat tamen falsigraphus, quia procedebat ex principijs artis male intellectis; syllogismus verò quo Brisso quadrabat circulum erat litigiosus, & sophisticus, quia non procedebat secundum principia artis. Ipocras enim quadrabat circulum sic: faciebat quadratum intra circulum, qua posita figura apparebant lunulæ in circulo, nam portiones circuli, in quibus circulus excedit quadratum descriptum in ipso, habent similitudinem lunularum, quo stante, arguebat sic. Omnes lineæ ductæ de puncto ad punctum sunt æquales: corda & arcus ducuntur de puncto ad punctum: ergo sunt æquales: ergo portiones circuli sunt æquales lateribus quadrati, & totus circulus æqualis est toti quadrato. Hic ergo syllogismus procedebat ex proprijs principijs geometriæ, falso tamen intellectis: nam quando dicitur, omnes lineæ ductæ de puncto ad punctum sunt æquales, intelligitur de lineis rectis, & non de corda, & arcu, vt intelligebat Ipo-

Ipocras, & ideò syllogismus quo vtebatur, erat falsigraphus, non tamen litigiosus.

Syllogismus autem quo Brisso quadrabat circulum erat litigiosus, & sophisticus: Brisso enim describebat quadratum intra circulum, & extra circulum, quo facto arguebat sic. Circa quodcumquè reperitur magis & minus, reperitur & æquale: sed reperitur quadratum maius circulo, vt quadratum descriptum extra circulum, & continens circulum; & reperitur quadratum minus circulo, vt quadratum intra circulum, & à circulo contentum: ergo reperitur quadratum æquale circulo. Hic autem syllogismus erat sophisticus, & litigiosus, quia non procedebat ex proprijs principijs geometriæ; & sic patet differentia vnius syllogismi ab altero.

Dubitatur 2. *An tẽtatiua sit quadam dialectica?*

R. ex Ægidio p. elen. pag. 36. esse dialecticam nõ simpliciter, sed contractam, & applicatam; sicut enim Rhetorica est quædam dialectica applicata ad mores, sic dialectica est quædam tentatiua applicata ad speciales conclusiones specialium artium, est enim ex communibus ad propria, & quia commune vt reseruatur in speciali est quasi quoddam speciale, vt animal in homine non est animal vniuersaliter, sed est quoddam animal, ideò tentatiua cum sit applicata ad speciale, magis erit dialectica quædam. i. dialectica contracta, quam dialectica simpliciter.

Dubitatur 3. *An Tentatiua sit idem quod dialectica docens?*

R. ex Ægidio loc. cit. negatiuè, quia dialectica ex hoc dicitur docens, quia sistit in proprijs terminis; nam considerata vt descendit in scientias speciales non dicitur docens, cum eas docere non possit: sed tentatiua secundum quod huiusmodi non sistit in terminis dialecticæ, sed descendit in scientias speciales, quia est de communibus ad propria: ergo tentatiua secundum quod huiusmodi non erit idem quod dialectica docens.

Dubitatur 4. *An Tentatiua sit idem quod dialectica vtens?*

R. ex Ægidio loc. cit. quod propriè, & formaliter non est idẽ quod dialectica vtens. Ratio est quia finis dialectici vtentis est generare opinionem, finis verò tentatiui est experiri: ergo non erit eadem formaliter, sed solum materialiter, vndè erit idem syllogismus dialecticus, & tentatiuus, sed vt dialecticus inuestigabit veritatem vt probabilem, vt tentatiuus verò quatenus sumit experimẽtum de respondente.

Dubitatur 5. *An Tentatiua faciat specialem scientiam?*

R. ex Ægidio loc. cit. negatiuè. Ratio est quia scientiæ propriè diuiduntur sicut & res de quibus sunt: sed tentatiua non habet proprium subiectum de quo sit; ergo non faciet specialem scientiam: pr. mi. quia tentatiuus principaliter versatur circa syllogismum dialecticum, licet alio fine vtatur eo; diuersitas autem ex vsu per accidens se habet ad diuersificandam scientiam, & ideò tentatiua non erit specialis scientia.

Dubitatur 6. *An Tentatiua possit*

dici pars dialectica?

R. ex Ægidio loc. cit. col. 3. affirmatiuè. Primò potest dici pars dialecticæ quia omne applicatum & contractum secundum quod huiusmodi debet dici quid partiale: sed tentatiua est quædam dialectica contracta ad propria specialium artium: ergo tentatiua est quædam pars dialecticæ, vel partialis dialectica. Secundò potest dici pars, quia non omni modo sumpta dialectica est tẽtatiua; dialectica enim dupliciter potest accipi nempe simpliciter, & vt dialectica quædam: primo modo arguit ex probabilibus simpliciter: at secundo modo arguit ex probabilibus respondẽti, tẽtatiua ergo cum procedat ex his, quæ videntur respondenti, erit pars dialecticæ, quia non est dialectica quocumque modo accepta, sed est dialectica quædam.

Dubitatur. 7. *An tentatio possit fieri non tantum Dialecticè, sed etiã Rhetoricè?*

R. ex Ægidio p. elen. pag. 38. col. 3. affirmatiuè, quia tentare est sumere experimentum de ignorantia respondentis; sed hæc sumptio fieri potest tam per enthymema, quam per syllogismum: ergo fieri potest tam Dialecticè, quam Rhetoricè; vt enim fit per enthymema est tentatio Rhetorica, cum proprium instrumentum Rhetoricæ sit enthymema, sicut proprium instrumentum Dialecticæ est syllogismus; & sicut idem syllogismus materialiter potest esse dialecticus, & tentatiuus: ita idem enthymema materialiter erit Rhetoricum, & tentatiuum, nõ tamen formaliter, & secundum eandem rationem, sed sicut syllogismus est dialecticus vt generat opinionem; est autem tentatiuus vt sumit experimentum; ita idem enthymema erit Rhetoricum vt persuadet, & tentatiuum vt sumit experimentum.

Dubitatur. 8. *An circa omnes sciẽtias possit fieri tentatio tam Dialecticè, quam Rhetoricè?*

R. ex Ægidio loc. cit. quo Dialectica magis dirigit intellectum vt comparatur ad actum secundum se; Rhetorica verò magis ipsum dirigit circa illa, in quibus est aptus natus moueri ab appetitu: propter quod Dialectica magis descendit in artes speculatiuas, Rhetorica verò in politicas, & morales; & quia tentatiua dicit commune applicatum ad propria, cum Dialectica magis sit apta nata applicari ad speculatiua, & Rhetorica ad moralia, ideo tentatio Dialectica magis apta nata erit fieri circa speculatiua, tentatio autem Rhetorica magis circa moralia, & ideo tentatio dialectica esse poterit circa singulas artes; non tamẽ ita aptè esse poterit circa moralia, sed tantum per quamdam extensionem; sicut pariter per extensionẽ circa speculabilia poterit fieri tentatio Rhetorica.

Dubitatur. 9. *An syllogismus tentatiuus sit idem quod syllogismus peccans in forma?*

R. negatiuè ex Ægidio loc. cit. colum. 4. differt enim ab eo in tribus; primo quia syllogismus peccans in forma non syllogizat, tentatiuus verò syllogizat: secundo quia syllogismus peccans in forma non propriè sumit experimẽtũ de ignorantia respondentis, tentatiuus verò eam sumit: tertiò quia syllogismus pec-

peccans in forma directè, opponitur syllogismo dialectico, cum omnes tales syllogismi reducantur ad ignorantiam elenchi; syllogismus verò tentatiuus magis directè opponitur demonstratiuo; non enim directè opponitur syllogismo dialectico, cum tentatiua sit quædam dialectica.

Dubitatur. 10. *An syllogismus tentatiuus sit idem quod syllogismus peccans in materia?*

R. ex Ægidio loc. cit. quod formaliter non est idem, quia non secundum eandem rationem dicitur syllogismus peccare in materia, & esse tentatiuus; sed peccat in materia, vt est ex falsis: tentatiuus verò, vt sumit experimentum: non ergo formaliter sunt idem: materialiter autem se habent sicut excedentia, & excessa: nam aliquis syllogismus peccat in materia, qui nõ est tentatiuus. & aliquis est tentatiuus qui non peccat in materia: nã si syllogismus fit ex talibus falsis quæ non videantur respondẽti: nec contingat per ea sumere experimẽtum de respondente: erit peccans in materia, sed non erit tentatiuus. rursus si fiat processus ex cõmunibus ad propria: & ex tali processu possit sumi experimentum de respondente si non accipiantur falsa, erit tentatiuus; sed non peccabit in materia; potest ergo esse peccans in materia, qui non est tentatiuus: & tentatiuus, qui non peccat in materia.

Dubitatur. 11. *An syllogismus tẽtatiuus sit syllogismus Dialecticus.*

R. affirmatiuè ex Ægidio loc. cit. primò, quia procedit ex probabilibus, tamen quia non procedit ex probabilibus simpliciter: sed ex probabilibus respondenti: magis conuenit: & magis est idem cum syllogismo dialectico vt sic cuidam quam cum syllogismo dialectico simpliciter: & indè est quod tentatiua non dicitur dialectica simpliciter: quia non procedit ex probabilibus simpliciter, sed dicitur dialectica quædam: quia procedit ex probabilibus cuidam: vt quia procedit ex probabilibus respondenti; est ergo syllogismus tẽtatiuus dialecticus non simpliciter: sed dialecticus quidam: nec etiam est penitus idẽ cum syllogismo dialectico tali: tũ etiam quia non semper talis syllogismus est tentatiuus: sed tunc est huiusmodi syllogismus quando fit processus ex communibus ad propria.

Dubitatur. 12. *An tentatia possit esse circa dialecticam?*

R. ex Ægidio loc. cit. pag. 19. col. 1. quod non potest esse circa dialecticam, vt est scientia communis; sed tantum vt est aliquo modo determinati generis; sic enim potest sumi experimentum de aliquo, an intelligat dialecticam.

Dubitatur. 13. *An syllogismus tentatiuus possit dici aliquo modo sophisticus.*

R. ex Ægidio loc. cit. pag. 19. col. 1. quod omnis syllogismus deceptorius secundum quod huiusmodi potest dici sophisticus: nam tripliciter conuenit decipi in syllogizando; primò peccando in forma; secundò peccando in materia; tertio tentando; peccando in forma decipimus, & sophisticamus, quia simulamus nos syllogizare, & non syllogizamus: peccando in materia de-

decipimus, & sophisticamus, quia licet syllogizemus, possumus tamē nos fingere syllogizare ex veris, cū syllogizemus ex falsis: tentando autē sophisticamus, & decipimus, quia dato quod syllogizemus, & sit syllogismus ex veris, tamen simulamus nos syllogizare ex proprijs, cū syllogizemus ex communibus.

§. 16.

Vsus locorum Topicorum, & Rhetoricorum in Oratoria.

QVia tam loci Topici, quam Rhetorici *Oratoria* inseruire possunt nonnulla de *Oratoria* libet adiungere, vt theorica ad praxim reduci possit, de ea ergò.

Dubitatur 1. *An Rhetorica differat ab oratoria?*

R. quod licet communi loquendi vsu tàm à Græcis, quam à Latinis vna pro altera sumatur, tamen propriè loquendo differunt, quia Rhetorica est habitus instrumentalis dictione penetrāti, fluida, & copiosa animū percellens ad persuadendum; Oratoria verò est facultas in vnaquaquè re accurate perspiciēdi, quæ sint accōmodata ad persuadendum. Secundo quia potest quis Rhetor esse eloquens tropicè, & figuratè, licet non sit Orator; nō tamen potest esse orator, nisi prius Rhetoricus fuerit. Tertio finis Rhetoricæ tropicè, & figuratè mouere auditorem, vt persuadeatur: finis autem oratoriæ est inuestigare quid in vnaquaquè re aptum sit ad persuadendum.

Dubitatur 2. *Quot sint partes Oratoria.*

R. Duas esse, alteram communem respicientem dispositionem per partes formales, quæ sunt *Exordium*, Propositio, Narratio, Confirmatio, Confutatio, & Peroratio; alteram propriam inuestigantem argumenta ad persuadendum in triplici genere, .s. Deliberatiuo, Demonstratiuo, & Iudiciali: prima pars dicitur *Dispositio*, secunda *Inuentio*.

Dubitatur 3. *Quænam præcepta sint obseruanda in Dispositione?*

R. Esse hæc; primum est quod *Dispositio oratoria* sit accommodata ad finem principalem, & ad circūstantias *auditorum*, loci, temporis &c. Secundum est *Dissimulatio*, vt in amplificando, exagerando, laudando, exornando. Orator dissimulet ista peragere. Tertium est *Delectus*, vt .s. disponantur argumenta inuenta secundum delectum, non enim omnia inuenta sunt disponēda, sed tantum quæ apta sunt ad materiam propositam, & accō modata tempori, personis, & loco. Quartum est quod in pertractando subiecto generali, argumenta generalia præmittantur singularibus, & in pertractando singulari, præmittantur singularia, ità tamen sint cōnexa, vt sequentia ex antecedentibus suaptè natura fluere videātur. Quintum est *Connexio* inter partes orationis; quæ connexio fit vel ex cohærentia rerum; vel per particulas *quinimo*, *iam verò*, *deinde*, & similes; vel per varias figuras; vel per nouam cohortationem ad nouam attentiōnem. Sextum vt cōmunia, seu genera anteponantur speciebus, & proprijs, remota proximis, diuina humanis, & Emphatica in principio & fine disponantur.

Du-

Dubitatur 4. *An omnes partes formales oratoria sint essentiales?*

R. quod essentiales in omni genere sunt *Propositio, & Confirmatio*, aliæ verò nempe *Exordium, Narratio, Confutatio, & Peroratio* non sunt simpliciter necessariæ: nam in explicando argumento simplici cõfutatio vana est: in multis etiã Narratio prætermittitur, hæc enim non est necessaria, nisi quando quæstio est singularis, & dubitatur, an hic, vel ille rectè fecerit, vel non. *Peroratio* etiam sæpè omittitur, quia nõ est necessaria propter rem tractandam, sed propter auditorem, & ideò à quibusdam *pars externa* dicitur.

Dubitatur 5. *Quinam sint loci, quæ virtutes, & quæ vitia Exordij?*

R. Quod quando *Exordio* est vtendum, vt est quando auditor non est præparatus, quando nõ est temporis angustia, cum auditor non est moræ impatiens, aut defessus; tunc loci in Exordijs seruandi, & à quibus exordiendum est, sunt isti 1. *à subiecto* de quo est dicendum 2. *à Persona*, 3. *ab auditoribus* quorum laudes celebramus 4. *ab aduersarijs* si ante dixerunt quo casu seruanda est modestia, & columnia relegãda 5. *à causa impulsiua* ad dicendum, quia nempè compulsus est dicere ex beneuolentia, Charitate, præcepto, consuetudine 6. *à Circumstantijs loci, & temporis*, vt in laude præclarorum virorum 7. *ab effectibus* nempè dolore, lætitia &c. 8. *ab insigni aliqua sententia, historia, vel prouerbio*, vltimo *ex abrupto*, nempè à dubitatione, admiratione, opinione hominum, fama &c.

Virtutes autem *exordij* sunt 1. *Inuentio mirabilis argumenti*, 2. *Breuitas* quia exordium est vestibulum domus, ideoquè minima pars 3. *Simplicitas*, vt absit affectatio, & gestus insolens 4. *Modestia*; ne exordium sit inflatum, & superbum 5. *Conuenientia cum subiecto pertractando*, vt nempè sumatur ex præcordijs rei pertractandæ.

Vitia verò sunt quando exordiũ est vulgare, & pluribus idoneum, quando est commune ad vtramquè partem, quando est longum, quando non est ductum ex ipsa causa, aut quando est contra præcepta.

Dubitatur 6. *Quibus præceptis in exordio redditur auditor Docilis, beneuolus, & attentus?*

R. quod redditur attentus quando res mira proponitur exagitandã, quando aliquo sale excitatur auditor, qui defatigatus ferè dormiebat, Redditur docilis quando summa rei clarè proponitur, vt ab auditoribus percipiatur. Redditur beneuolus *à re ipsa* causa nostram extollendo, aduersarium deprimendo *à persona*, se imparem ad dicendum asserendo, *à persona laudanda*, cum eius vel merita, vel conditiones recensemus; *ab auditoribus*, cum eorum dicta, facta memoramus; *ab aduersarijs* illos in odium inducendo, si scelera manifestantur, in inuidiam, si fastus, & potentia; vel simili aliquo argumento.

Dubitatur 7. *Quænam leges seruandæ in Narratione.*

R. quod in Narratione (quæ est facti singularis clara, & breuis expositio) sunt hæ leges obseruandæ. Primò debet esse *Breuis*, ità vt relinquantur superuacanea, & tantum factum summatim repetatur; dummodo appareat res per orationem,

qua-

qualis fuit in exercitio. Secundo debet esse plena, ità vt repræsententur Persona, res gestæ, causæ, consiliũ, locus, tempus, modus, & euentus. In describenda persona ex primi debent hæ partes. Origo, patria, genus, maiores, parentes &c. Itẽ educatio cum suis circunstantijs: natura, inclinatio ad mores, artes, forma, statura corporis, sensus, sanitas, ægritudo, Tertio numerus personarum. Quarto mores, & virtutes. Quinto relationes, si seruus, si rusticus, si ciuis, si pater, si princeps. Sexto, Perpessiones fortunæ, euentus consiliorum, honor, mors. 7. vbi educatus fuerit, & vitam egerit 8. Quando vixit, & deinde aliæ cathegoriæ. In describendo rem gestam obseruãdum est primo ipsum genus facti, deinde ratio temporis præteriti, præsentis, futuri: item media, antecedentia, consequentia. Tertio debet esse perspicua, ita vt constet verbis expressiuis facti, breuibus sententijs, & benè ordinatis. Ordo Narrationis est, vt primò in ea ponantur antecedentia, vt causæ, consilia, occasiones, sunt enim aditus ad narrandum: secundo media: tertio consequentia, & euentus. Quarto debet esse probabilis, & verisimilis. Quinto debet esse cauta, vt dura interpositis alijs argumentis mitigentur. Vltimò debet esse suauis, & iucunda, vt auditores facilius rapiat, quod erit si enumeratæ virtutes insint, si affectus & gestus conuenientes sint; si addantur admirationes, exitus inopinati, noua, magna, grauia, & inexpectata.

Dubitatur 8. *Quæ leges obseruandæ sint in Propositione.*

R. quod Propositio est argumentum orationis de quo agendum est; huius autem membra debent esse pauca, nempe duo, vel tria, alias vitiosa erit. Virtutes propositionis sũt. 1. *Perspicuitas.* 2. legitima distributio. 3. vt partes eo ordine quo propositæ sunt tractentur. 4. respectus ad circumstãtias, nempe nè de quouis argumento in præsentia quorũlibet pertractetur, sed attendantur circumstantiæ personarum, loci, & temporis.

Dubitatur 9. *Quænam sint leges Confirmationis.*

R. Quod Confirmatio est pars principalis orationis, & est probatio propositionis controuersæ per idonea argumenta. In ea obseruandæ sunt hæ leges. 1. ne materia cõfirmationis sit aut manifestè vera, aut manifestè falsa: nam si esset manifestè vera, nõ esset necessaria probatio; si esset manifestè falsa, tunc turpe esset eam confirmare, aures honestę offenderentur, & boni mores corrumperentur. 2. vt in probatione occultetur artificiũ logicum. 3. vt probatio fiat per enthymemata, & exempla, quæ spectant ad negotium politicum, & rarissimè sit syllogismi vsus, non enim applicaretur ad debitam materiam. 4. vt argumenta ita disponantur, vt vnum ex alio fluere videatur.

Dubitatur 10. *Quæ sint leges obseruandæ in confutatione?*

R. Quod in confutatione, & impugnatione oppositæ sententiæ, obseruandum est, ne quæ Orator intendit confutare sint nimis euidentia, nam tunc imprudẽs censeretur. 2. ne sint per se impossibilia, quia tunc eorum falsitas non indigeret impugnatione, sed esset omnibus per-

perspicua, vndè ea tantum poterût confutari, quæ pro vtraq; parte habent argumenta. 3. vt argumenta ambigua soluantur distinctione, & obscura expositione, falsa, aut leuia, negatione, friola, irrisione, communia, opportuna explicatione; magna, & ponderosa, solida explicatione, & laudabile erit præmittere encomium de acumine argumenti, & sua probabilitate, ne Orator videatur contemnere aduersarium, & eius rationes haud ponderare. 4. vt in argumentis magni ponderis adducantur testimonia magnorum virorum, & maximè eorũ, quorum est apud auditores magna authoritas, citentur contra aduersariũ authoritates validiores, ostendatur infirmitas testimonij humani, dictum ab aduersario retorqueatur, & si malè allegetur, ostendatur falsitatis crimen.

Dubitatur 11. *Quid obseruandum sit in Peroratione?*

R. Quod Peroratio est vltima orationis pars, in qua vis, & impetus orationis apparet: floruit præ ceteris in hac parte Cicero, vt testẽtur multi ipsum in perorando lachrymas ex oculis auditorum expressisse. In ea seruentur hæ leges. 1. attẽdatur memoria auditorum, vt præcipui orationis aculei in eorum animis figantur. 2. Affectus in eis pro materiæ diuersitate relinquantur; nempè indignatio, odium, commiseratio, misericordia, amor, laus, exhortatio, & beneuolentia. 3. Peroratio sit breuis, ne auditor alio se cõuertat. 4. sit neruosa tùm voce, tùm argumentis, vt eorum animum pũgatur. 5. sit alacris in signum victoriæ consecutæ. 6. enumerentur validiora argumenta, & tota summatim causa repetatur. 7. ad mouẽdum animos auditorum acrioribus vtatur affectibus, ideoq; in medium producat amorem, odium, indignationem, misericordiam. In mouendo affectu lente est procedendum, vt paulatim eos excitet, & suã ætatem, ac conditionem contempletur; nam si adolescens sit non est aptus natus ad eos mouendos affectus, quos senex, & grauis vir mouere potest; sic etiam consideretur conditio auditoris, nam nõ quilibet auditor aptus est ad eosdem affectus recipiendos, sicut enim non queuis forma inducitur in quamcumq; materiam, sed in idoneam, aptam, & dispositam; ita non quilibet auditor aptus; & idoneus est ad recipiendos quoscunq; affectus.

Rog. *Quomodo in aliquo speciali genere, aut themate disponẽda est oratio?*

R. Quod v.g. in themate perfecto in genere, ità est disponenda; vt primò ponatur locus *ab Etymologia*, 2. à definitione. 3. *à diuisione*, ità vt rei propositæ species explicentur: 4. locus *à causa, & causato*, in quo maximè diuagari potest Orator: quinto locus *à proprijs accidentibus*: sexto locus materiæ, in qua, vel circa quam: septimo locus à simili, & exempla peti possunt ex Valerio Max. & ex alijs probatis authoribus: 8. *locus à toto, vel parte*: 9. locus *à circumstantijs* loci, & temporis. 10. locus *à pari, dissimili, opposito*, & tandem locus ab authoritate. Hęc dicta sufficiant pro hac prima parte. Vtinam cedant in Dei gloriam, & Religionis vtilitatem. Omnia siuè dicta, siuè dicenda iudicio Sanctæ Matris Ecclesiæ summitto.

Laus Deo, B. V. Mariæ, S. P. Augustino, & S. Catharinæ V. & M. Alexandrinæ Augustinianæ Religionis Protectrici.

INDEX
Rerum præcipuarum, quæ in hoc opere Continentur.

Et

Vuu 2 Quo-

Me-

Om-

Vt autem quae legere cupis facili negotio reperias, subiectum principale inuenias, & ibi quae de eo desideras videbis. v.g. si alicuius difficultatis de Genere solutionem scire cupis, caput de genere reperias, ibi enim omnes difficultates ad genus spectantes resolutas inspicies. Temporis angustia pressus nec omnia notare nec secundum literarum alphabeticarum ordinem disponere potui.

FINIS.

BONONIÆ

Typis Iacobi Montij M.DC.XLIX.
Superiorum permissu.